FRANCISCI MARIAE CAMPIONI

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
19 — E
34

Gio: Battista Placidi Pascali

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ
CAMPIONI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI
Cleri Examinatoris Apoſtolici,&c.

INSTRUCTIO

PRO SE PRÆPARANTIBUS
Ad audiendas Confeſſiones.

SECUNDA PARS.

Editio Secunda.

ROMÆ, ANNO MDCCIV.

Typis Georgii Plachi Cælaturam Profitentis, & Caracterum Fuſoriam in Plateà Eccleſiæ S. MARCI.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

SECUNDÆ PARTIS.

De Virtutibus & Vitiis in particulari.

DE Fidei Virtute. Caput Primum pag. 1.
De Actu externo Fidei. Caput 2. 17.
De donis Intellectus, & Scientiæ correſpondentibus Virtuti Fidei. Cap. 3. 23.
De Peccatis Commiſſionis per ſe oppoſitis Virtuti Fidei. Cap. 4. 27.
De peccatis Commiſſionis per accidens oppoſitis Virtuti Fidei. Cap. 5. 37.
Edictum Sanctæ Inquiſitionis de obligatione denunciandi delicta ſpectantia ad ipſum Tribunal. Caput 6. 44.
De Abſolutione à peccatis contrà Fidem. Cap. 7. 48.
De Virtute Spei, & ejus Actibus. Cap. 8. 52.
De Dono Timoris. Cap. 9. 55.
De Peccatis Commiſſionis oppoſitis Spei, & Dono Timoris. Cap. 10. 61.
De Charitate, & ejus Objecto. Cap. 11. 66.
De Actibus, & Præceptis Charitatis. Cap. 12. 75.
De Sapientiæ Dono correſpondēte Charitati. C. 13. 87.
De Peccatis contrariè oppoſitis Charitati, & Dono Sapientiæ. Cap. 14. 89.
De Prudentiâ, Virtute Cardinali, & Dono Conſilii correſpondente. Cap. 15. 112.
De peccatis per defectum oppoſitis Virtuti Prudentiæ. Cap. 16. 122.

Digitized by Google

De peccatis per excessum oppositis Virtuti Prudentiæ. Cap. 17. 124.

De Justitiâ in genere, secundâ Virtute Cardinali. Cap. 18. 129.

De Justitiâ Legali, & Vitiis oppositis. Cap. 19. 132.

De Justitiâ Distributivâ, & peccatis eidem oppositis. Cap. 20. 144.

De Justitiâ Vindicativâ, & Peccatis eidem oppositis. Cap. 21. 154.

De Justitiâ Commutativâ, & ejus Actu, qui est Restitutio. Cap. 22. 156.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ in genere. Cap. 23. 166.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ circà vitam proximi. Cap. 24. 170.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ, per quæ facto infertur damnum rebus Proximi. Cap. 25. 178.

De Peccatis verborum in judicio contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ. Cap. 26. 184.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ, & quæ verbo committuntur extrà judicium. Caput 27. 192.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ quæ committuntur in commutationibus voluntariis. Cap. 28. 197.

Asseruntur Decretales B. Pii V., & Sisti V. circà Census, Cambia, & Contractus Societatis. Cap. 29. 210.

Quædã Observationes in prædictas Bullas. C. 30. 220

De

De Religione, ejuſque Actibus internis. Cap. 31. 224.
De Actibus Religionis externis, per quos exhibemus noſtra Deo. Cap. 32. 235.
De Voto. Cap. 33. 246.
De Actibus Religionis, quibus aſſumuntur res divinę. Cap. 34. 258.
De Actibus externis Religionis, quibus aſſumitur nomen divinum. Cap. 35. 266.
De Peccatis per exceſſum contrariè oppoſitis Religioni. Cap. 36. 276.
De Peccatis externis per defectum contrariè oppoſitis Religioni. Cap. 37. 294.
De Virtute Pietatis, & Vitiis eidem oppoſitis. Cap. 38. 318.
De Obſervantiâ, Obedientiâ, & Vitiis oppoſitis. Cap. 39. 328.
De Virtutibus Retribuentibus, & Vitiis contrariè oppoſitis. Cap. 40. 337.
De Veracitate, ac Vitiis eidem contrariè oppoſitis. Cap. 41. 341.
De reliquis duabus Virtutibus annexis Juſtitię, ſcilicet, Affabilitate, ac Liberalitate, Vitiiſque oppoſitis. Cap. 42. 350
De Dono Pietatis correſpondente Juſtitiæ. Caput 43. 356.
De Fortitudine, ut eſt Virtus, & Donum, Vitiiſque oppoſitis. Cap. 44. 359.
De Magnanimitate, & Magnificentiâ, Virtutibus Fortitudini annexis, Vitiiſque oppoſitis. Caput 45. 372.

De

Digitized by Google

De reliquis duabus Virtutibus Fortitudini annexis, nempè, Patientiâ, & Perseverantiâ, Vitiisque oppositis. Cap. 46. 386.

De Temperantiâ in genere, ejusque partibus Integralibus. Cap. 47. 391.

De primis duabus speciebus Virtutum contentarum sub genere Temperantiæ. Cap. 48. 397.

De Vitiis contrariè oppositis Abstinentiæ, ac Sobrietati. Cap 49. 412.

De Virtutibus, quæ refrænant Concupiscentias Tactus. Cap. 50. 421.

De Actu Castitatis. Cap. 51. 424.

De Peccatis contrariè oppositis Castitati. Caput 52. 434.

De Pudicitiâ, Peccatisque contrariè oppositis. Caput 53. 443.

De tribus Virtutibus annexis Temperantiæ, scilicet, Continentiâ, Mansuetudine, Clementiâ, Vitiisque oppositis. Cap. 54. 449.

De Humilitate, Peccatisque eidem contrariè oppositis. Cap. 55. 464.

De reliquis Virtutibus annexis Temperantiæ. Cap. 56. 477.

Recapitulatio Virtutum Theologicarum, peccatorum, que illis oppositorum. Cap. 57. 499.

Recapitulatio eorum, quæ dicta sunt de Restitutione, spectante ad Justitiam commutativã. Cap. 58. 514.

Recapitulatio Peccatorum contrà Justitiam Commutativam. Cap. 59. 525.

Recapitulatio dictorum de Actibus Religionis. Cap. 60.

Digitized by Google

60. 532.
Recapitulatur doctrina de peccatis per excessum Religioni oppositis. Cap. 61. 536.
Recapitulatio peccatorum per defectum Religioni oppositis. Cap. 62. 541.
Recapitulatio dictorum de Temperantia. Cap. 63. 553.
Recapitulatio doctrinæ de Sacramento Pœnitentiæ juxtà Examen S. Caroli. Cap. 64. 558.
Eadem, quæ præcedenti Capite, proponuntur magis in particulari. Cap. 65. 572.
Recapitulantur dicta de Excommunicatione, & inseruntur quædam magis generalia de Suspensione, Interdicto, & Irregularitate. Cap. 66. 587.
Instruitur Confessor in praxi circà suum ministerium. Cap. 67. 595.
Sequitur eadem materia Praxis. Cap. 68. 620.
Sequitur eadem materia Praxis circà primum, & secundum Decalogi præceptum. Cap. 69. 632.
Sequitur eadem materia Praxis circà quintum Decalogi præceptum. Cap. 70. 642.
Sequitur eadem materia Praxis pro Vitiis Capitalibus. Cap. 71. 651.
Conclusio totius operis. Cap. 72.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtol. Mag.

IN-

Digitized by Google

INSTRUCTIO

PRO

Præparantibus se ad audiendas Confessiones

PARS SECUNDA.

De Virtutibus, & Vitiis in particulari.

CAPUT PRIMUM.

De Fidei virtute.

1. DICTUM est p. 1. c. 39. n. 1. quòd particularis præmissa syllogismi operativi, quæ est conscientia, seù dictamẽ rationis dictans hìc, & nùnc aliquid esse bonum, vel malum, v.g. dictans hunc actum esse occisionem; unde cõcludimus esse fugiendam, dictum est, inquam, in-

formari pluribus habitibus, seù, quod idem est, pendere à pluribus cognitionibus, & scientiis, quarum primaria quidèm est Synderesis, habitus legum naturalium, ut versatur circà operabile præceptum lege naturæ: illos autem alios habitus esse scientiam Theologiæ moralis, secundum quod conflatur per plures habitus partiales, spectantes ad diversas virtutes concurrentes ad formationem illius præmissæ, ut est in allatà occisionis, ad quam concurrit scientia de Justitià.

2. Hinc vides, quam methodicè, rationabilitèr, & profundè, post tradita in universali principia Moralis Theologiæ in 1. 2. S. Thomas in 2. 2. descendat ad examen singularum virtutum. Studebat Angelicus Theologi conscientiam in omnibus rectam efformare; nèc potest efformari talis, nisi habeatur scientia cæterarum virtutum, quæ habent efformare conscientiam.

3. S. Thomas 2. 2. q. 45. art. 2. notat posse dari duplex judicium de virtutibus: aliud *per rationis inquisitionem*, aliud *per quandam connaturalitatem*: Rectè judicat de omnibus necessariis ad conservandam castitatem, & de mediis fugiendi vitium oppositum Sutor ille, qui castè vivit, estò nunquam audierit Theologiam Moralem. Idem dic in reliquis virtutibus. Audisti ex Historià sacrà pueros ita in fide instructos, ut judicaverint in puerili ætate vitam esse dandam pro illius confessione, & de facto dederunt, præcedente utique syllogismo, quem totiès diximus necessarium ad

ope-

operandum, cujus secunda præmissa dirigi debebat per aliquam fidei notitiam, nullatenùs haustam ex Theologiâ Morali. Hæc notitia prædictæ virtutis, cùm quà indoctus operatur actum virtutis, dicitur *per quandam connaturalitatem*; & originatur in nobis, vel per exercitium talis virtutis, vel per donum Spiritus Sancti correspondens tali virtuti. Aliud judicium dicitur *per rationis inquisitionem*; & est in illo, qui, loquendo de castitate, vivit in se minùs castè, sed didicit perfectè partem illam Theologiæ Moralis, quæ agit de castitate. Porrò si quæratur, quodnàm ex his judicium comparare debeat præparans se ad confessiones, dicendum ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 6. quamlibet ex dictis scientiis requiri: nàm in Confessore exigit bonitatem vitæ, & scientiam: per scientiam intelligit judicium acquisitum per rationis inquisitionem ex studio Theologiæ Moralis; per bonitatem vitæ intelligit judicium acquisitum ex connaturalitate per exercitium virtutis, & per donum Spiritus Sancti, cum ex S. Doct. 1.2.q.68.a.2. hęc sint connexa cum virtutibus Christianis. Ita tamen, quòd in dirigendis pœnitentibus utamur judicio per rationis inquisitionem. Per hoc enim adsistere Christus promisit Ecclesiæ, suisque Superioribus: quare nèc ipse Romanus Pontifex judicat per primum, sed per secundum judicium, inquirens, quid ratio dictet; vel Spiritus Sanctus per inspirationem, non per exercitium; valebitque suum judicium, estò sit malus coràm Deo. Nihilominùs

omne feret punctum Confessor, qui perfectissimè sibi comparaverit utrumque judicium; Imò ad hoc maximè debet eniti, ut quancumque virtutem exercens excellentissimè, sit doctissimus in Theologiâ Morali. Nec aliud commendant Scriptura, Patres, Concilia, Romani Pontifices, Episcopi, & Doctores, qui scripserunt de sanâ Theologiâ Morali. Horum salutaria monita suscepturus, quà par est, veneratione, præparans se ad confessiones confideret primam Christianarum virtutum esse fidē; quare circà illam primò omnium efformanda est conscientia, seù dictamen rationis, quod dictet, quādo hìc, & nùnc sit exercenda &c. Ad hoc de fide dictamen efformandum, post implorata humilitèr, & ferventèr, dona Sancti Spiritus, assuescat exercere frequentèr actus prædictæ virtutis, ut judicet de illà ex quàdam connaturalitate. Ut verò perfectum omni ex parte judicium acquirat, hæc præcipuè per rationis inquisitionem addiscet de illà.

4. D. S. Thomas ubi agit de virtute Fidei?

M. Agit 2.2.à q. 1. ad 17. ubi agit primò de ipsâ fide in se ipsâ: secundò de actu interno fidei: tertiò de actu externo: quartò de habitu: quintò de causis: sextò de effectibus: septimò de donis Sāncti Spiritus, quę correspōdēt fidei: octavò de peccatis oppositis fidei: nonò de præceptis fidei, & hoc semper ordine procedit examinando singulas virtutes in particulari.

5. D. Præparans se ad confessiones debet nè inquirere de Habitu, an de Actu Fidei?

M. Principalitèr inquirere debet de actu, quem tene-

tenetur exercere Christianus, & ad cujus exercitium debet efformare conscientiam Pœnitentis?

6. D. Quid est actus fidei?

M. Actus fidei alius est internus, & alius externus. Internum ex S. Augustino, S. Thomas q. 2. a. 1. definit, quòd sit *cum assensione cogitare*. Quia præparans se ad confessiones, minùs assuetus terminis scholasticis, non ita facilè percipiet illam definitionem, ad ejus faciliorem inductionem dico, quòd actus internus fidei Theologicę est, quo firmitèr homo intellectu credit aliquid esse verum, seù tale, quale affirmatur, quia Deus summè verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesia Catholica illud nobis proponit ut verum, & revelatum à Deo. Externus autem est, quo verbis, vel signis exterioribus profitemur nos habere actum illum internum: Primò autem dicemus de interno, posteà de externo.

7. D. Actus fidei non erit meritorius: meritum enim consistit in actibus voluntatis, qui sequuntur ad actum intellectus?

M. Valdè meritorius est actus fidei, utpotè virtutis Theologicę, quem maximè debet frequentare Christianus, & ad illum Confessor invitare pœnitentem; imò facit optimè, qui pro pœnitentiâ in confessione imponit recitare symbolum Apostolorum, vel Nicænum, quod canitur in Missâ, vel S. Athanasii, quod dicitur ad Primam in Dominicâ; vel etiam Professionem fidei statutam à Pio IV., & positam in *Instructione pro ordinandis*

c. 23. n. 8. Aliqui actus intellectus præcedunt omnem actum voluntatis; & in illis nullum est meritum. Hujusmodi sunt tentationes in intellectu contrà fidem, castitatem &c., si quę prçcedunt omnem actum voluntatis.

8. D. Quomodo vocatur ille actus voluntatis, qui præcedit actum Fidei?

M. Tridentinum sess. 6. c. 6. vocat actum, quo *liberè moventur in* Deum: Scholastici Moderni vocant piam affectionem, quà voluntas fertur in Deum, ut fontem omnis veritatis revelatę Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc nobis propositę, vi cujus afficimur ad credendum quidquid ille dixit eidem, sicuti filius ex affectu ad patrem, ut veracem, movetur ad credendum quidquid nomine patris refert pædagogus à patre destinatus, ut sua filio dicta referat.

9. D. Hæc pia affectio non potest efficere, ut assensus fidei sit firmior, quam mereatur pondus rationum?

M. Hæc est 19. propositio damnata ab Innocentio XI. Vide illam p. 1. cap. 26. Adde S. Thomam q. 1. a. 4. *Intellectus* aliquando *assentit alicui, non quia sufficientèr moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magìs, quam in aliam.*

10. D. Datur nè præceptum habendi hanc piã affectionem ergà Deum loquentem Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc nobis?

M. Qui præcipit finem, simùl præcipit media.

Quia

Quia igitur jure divino tenemur explicitè credere tria fidei principaliora mysteria, etiam jure divino tenebimur ad piam hanc affectionem, ut revelavit tria mysteria: & quia præcepto Ecclesiæ tenemur ad totum symbolum, tenemur etiam ad piam hãc affectionem ex præcepto Ecclesiæ. Idem dic de aliis explicitè credendis juxtà cujusque statum, & de credendis implicitè. Porrò quia hæc affectio præcipitur ratione finis, obligabit tantùm per accidens. Applicà igitur dicta p. 1. c. 38. n. 16. de præcepto obligante solùm per accidens.

11. D. Tot mysteria contenta in Sacrà Scripturà, & traditione à Christo, vel instinctu Spiritus Sancti accepta, sub quà ratione sunt credenda?

M. Omnia sunt credenda sub eà ratione, *quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & hæc nobis proponit.* Ad quam ut assuescant Christiani magìs idiotæ, Parochi, Scholarum Magistri, Concionatores, curabunt tradere actus fidei cum illà causali, & Confessores imponent pœnitentibus, ut eliciant aliquotiès actus fidei cum illà causali; uti traditum est in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 19.

12. D. Ad justificationem sufficit fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo?

M. Est 23. propositio damnata ab Innocentio XI. Vide p. 1. c. 26. Ex S. Thomâ quæst. 1. art. 1. possunt credi, & creduntur plura creata, sed *quia Deus revelavit Ecclesiæ* &c. *Non enim fides, de quà loquimur, assentit alicui, nisi quod est à Deo revelatum.*

13. D. Potest nè stare assensus fidei cum notitiâ probabili revelationis, an requiritur evidentia moralis, quòd Deus fuerit locutus Ecclesiæ Catholiæ, & per illam nobis?

M. Thesis docens, quòd possit stare cùm notitiâ solùm probabili &c. est 21. damnata ab Innocentio XI. Estò fidei mysteria in particulari non appareant evidenter, tamen *in generali, scilicet, sub ratione credibilis*, ait S. Thomas q. 1. a. 4. ad 2. *sunt visa ab eo, qui credit: non enim crederet, nisi videret esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*. Et q. 171. a. 5. *Signum propheticæ certitudinis accipere possumus ex hoc, quòd Abrahæ admonitus in propheticâ visione se præparavit ad filium unigenitum immolandum, quod nullatenùs fecisset, nisi de divinâ revelatione fuisset certissimus*. Quinque signa, quæ simùl juncta faciunt hanc evidentiam, affert 1. contrà Gent. c. 6. primò miracula: secundò efficaciam Prædicatorum: vilissimi enim, indoctique Apostoli subegerunt orbem: tertiò sublimitatem doctrinæ omninò contrariam sensibus, & tamen adeò universalitèr acceptatam: quartò potestatem impugnantium, quâ non obstante, magis crevit fides, quò magis irrigata sanguine martyrum: quintò prophetias de hâc lege Evangelicâ omninò completas. Hæc, addit S. Thomas, *in suo effectu* conversione mundi *apparent evidenter*, sicut evidenter apparet ignis ex fumo: nèc tamen est necesse, quòd omnia hæc signa omnibus innotescant. S. Thomas dixit *propter*

ter evidentiam signorum, vel aliquid hujusmodi. Ex hoc secundo capite apparet evidenter notitia revelationis puero, qui perveniens ad usum rationis elicit actum fidei ex instructione parentum, Magistri, vel Parochi, estò ad prædicta signa non reflectat, sed solùm directè movetur ad talem actum fidei, ex evidentiâ, quam habet, quòd in materiâ salutis æternæ sequenda est eorum instructio.

14. D. Credimus nè fide Theologicâ revelationes particulares factas alicui Sancto, dùm Romanus Pontifex proponit illas, ut factas à Deo, quales sunt revelationes S. Birgittę, de quâ in Collectâ dicitur: *Deus, qui B. Birgittæ per Filium tuum secreta cælestia revelasti* &c.

M. Non tenemur: *Innititur fides nostra* ex Sancto Thomâ 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. *revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt: non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* De fide credenda debent contineri litteraliter in aliquo textu Scripturæ, vel in traditione habitâ ore Christi, aut instinctu Spiritus Sancti. Propterà est de fide, quòd in hostiâ consecratâ sit Christus; & non est de fide, quòd hæc hostiâ particularis sit consecrata: nèc enim hoc secundum continetur eo modo in Scripturâ, vel traditione.

15. D. Potest nè fide Theologicâ credi unus articulus sine alio, ut Calviniste credunt Trinitatem, sine præsentiâ Christi in Eucharistiâ?

M. Non

M. Non potest credi: etenim si credit, ut à Deo revelatum Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc nobis propositum, quia utrumque stat sub hàc ratione formali, utrumque est credendum: credit igitur sub aliâ ratione, quia proponitur à tali Ecclesiâ particulari. S. Thomas q 5. a. 3. Hæreticus igitur estò milliès ore protestetur se credere ex tali ratione formali, est protestatio contrà factum.

16. D. Tenemurnè credere omnia literalitèr cõtenta in Scripturâ; vel traditione habità ore Christi, instinctu Spiritus Sancti, per Ecclesiam proposita?

M. Omnia tenemur credere, quia omnia stant sub ratione formali posità n. 11. Non tamen omnia tenemur credere explicitè, sed aliqua sufficit credere implicitè. Juxtà *Instructionem pro ordinandis* c. 8. n. 5. credimus implicitè, quando credimus in generali, quando credimus quidquid ab Ecclesiâ proponitur: credimus explicitè, quandò credimus hoc, vel illud mysterium in particulari.

17. D. Unde habemus hoc præceptum eliciendi actum fidei?

M. Ex illis Apostoli verbis, Hebr. 10. *Sine fide impossibile est placere Deo*. S. Thomas q. 2. art. 3. & q. 16. Vide p. 1. c. 25. primam propositionem ab Alexandro VII. damnatam, & cap. 26. decimam sextam ab Innocentio XI. damnatam.

18. D. Circà mysteria explicitè credenda, calleo dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 8. præsertim à n. 7. ad 17. & nè memoriâ excidant, frequentèr

lego

lego librum. Insuper lego, quæ circà hoc ex Sancto Carolo tradita sunt p. 1. c. 11. n. 19. sed quia me præparo ad munus Doctoris in Confessionali; & iste debet *paratus esse omni poscenti se rationem reddere* de fide 1. Pet. 3. vellem scire, unde habeatur præceptum divinum credendi tria principaliora mysteria, de quibus in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 9.?

M. Præceptum divinum credendi unitatem Dei, & remunerationem æternam habemus. Hæbr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se Remunerator sit.* Hæc duo mysteria erant credenda in omni lege, etiam Moysis, & naturæ. S. Thomas q. 2. art. 5. Præceptum divinum credendi Trinitatem habetur Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* &c. Præceptum divinum credendi Incarnationem: Jo: 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* addità expositione Augustini ep. 157. *Illa fides sana est, quà credimus nullum hominem (sive majoris, sive parvæ ætatis) liberari à contagio mortis, & obligatione peccati, nisi per unum mediatorem Dei, & hominum, Jesum Christum.* S. Thomas q. 1. a. 8. q. 2. a. 7. Præceptum divinum de passione, & morte Christi. 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum.* Præceptum divinum de resurrectione. 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides.* S. Thomas q. 1. a. 8.

19. D. Ex *Instructione pro ordinandis* cap. 8. n. 9.

Chri-

Christiani tenentur ad illa tria tantùm mysteria ex præcepto divino, & ex n. 18. tenentur per se ad actum fidei de illis: primò in usu rationis: secundò in articulo mortis: tertiò quinquiès vel sexiès in anno, jàm quæro, an extet præceptum Ecclesiæ credendi aliqua mysteria, quæ, & quando?

M. Ex præcepto Ecclesiæ tenemur credere tria illa mysteria: sed omittendo utrumque præceptum, committimus unicum peccatum: quia distinctio peccatorum non sumitur ex diversitate præcepti, sed, ut dictum est p. 1. c. 35. n. 7. Insuper ex præcepto Ecclesiæ Christiani universalitèr tenentur per se ad mysteria symboli Apostolici, pro iisdem temporibus, quibus tenentur ad tria mysteria.

20. D. Tenemur igitùr iisdem temporibus ad recitandum symbolum quinquiès, vel sexiès in anno; sed sicut indeterminatum communicandi præceptum divinum, Ecclesia determinavit ad Pascha, sic determinavit nè tempus præcisum ad tales actus?

M. Ex universali consuetudine cognoscimus extare præceptum credendi mysteria symboli, dicente S. Thomà q. 2. art. 7. *Tàm majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communitèr in Ecclesiâ solemnizantur, & publicè proponuntur.* Transfiguratio Christi non solemnizatur communitèr, sed solùm ab Ecclesiasticis: quare ab his credenda est, & à toto populo illius Ecclesiæ particularis,

ticularis, in quâ communitèr solemnizaretur: non tamen est determinatum tempus credendi solemnizata communitèr.

21. D. Confessor à pœnitente debet haurire numerum peccatorum; quomodò igitur à pœnitente, qui per triennium omisit actus fidei, poterit scire utrùm commiserit, quindecim, vèl octodecim peccata?

M. Confessor in tali casu faciet explicare tempus, & inde circumcircà eliciet numerum peccatorum: *sufficit discipulo, si sit, sicut magister ejus* Matth. 10. Cum ergo Ecclesiæ Magistræ sufficiat scire circumcircà numerum, sufficiet idem Confessori discipulo Ecclesiæ.

22. Præter hæc mysteria omnibus credenda, tenenturnè alia credere Christiani particulares?

M. Ex S. Thomà q. 2. a. 6. *Plura tenentur explicitè credere majores, qui habent officium instruendi, quàm alii*; quare suprà universalitatem Christianorum, quò majus est officium instruendi, plura tenetur credere Episcopus suprà Sacerdotem, Sacerdos suprà Clericum, Clericus suprà Laicum. Vide dicta p. 1. c. 35. n. 7. Ex his, qui ignoraret, quæ tenetur alios docere, committeret triplex peccatum in Confessione specialitèr aperiendum: primò, quia omisit instruere populum suo tempore, uti tenebatur ex justitiâ: secundò, quia contrà præceptum affirmativum omisit illa explicitè credere suo tempore: tertiò, quia contrà præceptum negativum ignoravit. Si non explicet

omnia

omnia tria, Confessor tenetur inquirere.

23. D. Universalitas Christianorum per se tenetur ad actus fidei, ut dictum est n. 19. tenebiturnè aliàs per accidens?

M. Vide dicta p. 1. c. 35. n. 6. nàm sacramenta recipiens tenetur ad explicitè credendum principaliora illius sacramenti, v.g. in Paschate, quid sit sacramentum Eucharistiæ: quolibet etiam die Dominico, dùm audit missam, tenetur ad idem, & præterea, ut, quòad substantiam, explicitè (licèt non reflexè) credat potestatem Sacerdotis ad transubstantiandum panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, quam, nisi adorans hostiam consecratam, credendo supponeret, esset idololatra. Porrò consideranti facilè occurret, quòd simùl creduntur tria mysteria necessaria necessitate medii: nàm in Eucharistià creditur filius Dei, qualis est vivus in cœlo, qui seipsum sacrificavit ob dandam nobis vitam æternam. Quæ omnia Parochus, & Confessor explicabunt clarè, ac distinctè, ut Christiani curent reflexè tot actus elicere omni fervore, quò devotiùs audiant sacrum, & recipiant sacramenta, innuendo semper, ut exprimant rationem formalem, *quia Deus revelavit Ecclesiæ* &c.

24. D. Tenetur nè aliàs homo per accidens ad actus fidei?

M. Tenentur primò Catechumeni: Rituale in Rubricà de baptismo adultorum ait: *Si adultus fit baptizandus, debet priùs secundum Apostolicam regu-*

regulam, in Christianâ fide, ac sanctis moribus diligentèr instrui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri. Per instructionem acquirit scientiam de his mysteriis, ad quam obligatur præcepto negativo. Vide dicta p. 14. c. 35. n. 4. Primum opus pietatis exercendum est actus fidei, ad quem tenetur præcepto affirmativo; & exercitium dicit frequentiam; & verè sunt actus fidei, licet imperfecti, quia non procedentes ab habitu. Vide p. 1. c. 33. n. 2.

25. Secundò addit Rituale. *Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat*; utique dolore supernaturalis, qui ex p. 1. c. 13. n. 3. dirigatur lumine fidei, & pœnitentiâ ex Tridentino sess. 14. c. 1. necessariâ iis *qui sacramento baptismi ablui petivissent*, & ex S. Thomâ 3. p. q. 90. a. 4. est pars subjectiva virtutis Pœnitentiæ.

26. Tertiò ante fores Ecclesiæ petit fidem à Sacerdote; quo suggerente: *Fides, quid tibi præstat?* respondet: *Vitam æternam*: quare credit Deum Remuneratorem. Proponit Sacerdos mysteria Symboli credenda: & Catechumenus ait: *Credo*; quare circà singula elicit singulos actus fidei, vel unum æquivalentem omnibus. Posteà signatur cruce in fronte, cui signo voluntariè se subjiciens, profitetur jàm tèr principaliora mysteria. Vide dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 53.

27. Quartò recitat tèr Orationem Dominicam, quæ tota constans actibus Spei præsupponit in reciante totidem actus Fidei.

29. Sex-

Digitized by Google

28. Quintò tenetur recitare ex se symbolum Apostolicum; & iterùm, ut tertiò, interrogatus de ejusdem articulis respondet *Credo*. Quin imò considerantì omnes rationes, & ritus, quibus supèr baptizando utitur Sacerdos, constat præponi debere actum fidei ad omnes, & singulos.

29. Sextò: si Rubricæ Ritualis diligentèr perpendantur, uti præparans se ad confessiones perpendere debebit, in administratione, & receptione cujuslibet sacramenti, constabit ad illa, etiam ad absolutionem censurarum, præexigi aliquem actum fidei, circà institutionem, Ministrum, materiam &c. circà potestatem Ecclesiæ &c.

30. Septimò: Ecclesiasticus ratione officii divini, tenetur saltèm tèr in die ad symbolum Apostolorum, in Matutino; Primà, & Completorio; & pluriès in pluribus officiis, præsertìm diebus Dominicis, ad symbolum S. Athanasii. Et totum officium, ut oratio, presupponit actus fidei.

31. Octavò: Sacerdos celebrans pœnè innumeros elicit actus fidei, recitans orationes, symbolum Nicænum, commemorans Trinitatem, mysteria Redemptionis; consecrans &c. reverentiam exhibens nomini Jesu, vel imagini Crucis, & ubicunque aliquid facit, ad quod faciendum dirigitur lumine Fidei: Propterea videns Ecclesia, totiès, ut ita dicam, in die obligatum Christianum ad tot actus fidei, noluit determinare tempus præcisum, quo teneremur ad illos, quia necessitas aliarum operationum nos urget ad pluriès, quàm positivo

præcepto

præcepto exigi possit frequentandos hujusmodi actus. Hinc videas, quàm justè Innocentius XI. damnaverit 17. propositionem: *Satis est actum fidei semèl in vitâ elicere.* Hæc, ut jacet, deobligans Christianum ab omni actu fidei, sive per se, sive per accidens, deobligat ab omni oratione, perceptione sacramentorum, ab omni actu supernaturali spei, charitatis &c.; quo nequius quidquam somniare potuit, vel impiissima secta.

32. Hæc circà fidei actum curabit per rationis inquisitionem, seù diligenti studio addiscere præparans se ad confessiones, quæ juncta scientiæ sibi comparatæ per quandam connaturalitatem ex frequentatione actuum fidei, plurimùm inservient, ut Confessor efformet conscientiam rectam, sive suam, sive pœnitentis, in ordine ad actus internos fidei, quos debet elicere (quantùm spectat ad Confessorem ordinarium) quotiescunque in syllogismo operativo circà fidem, tenetur ponere particularem hanc præmissam, vel similem, *Hìc, & nùnc actus internus fidei me obligat.*

CAPUT II.

De actu externo Fidei.

1. NOn solùm obligamur actu interno credere mysteria à Deo revelata Ecclesiæ Catholicæ, & per illam tradita nobis;

verùm insuper obligamur eadē mysteria exteriùs profiteri verbis, vel signis. De hàc externà professione habemus præceptū affirmativū non obligans ad semper, quo tenemur aliquandò facere hos actus externos, & negativum obligans ad semper, quo tenemur nunquam ponere actus oppositos huic professioni externæ fidei; quidquid de præcepto affimativo aliquis dixerit damnatus ab Innocentio XI. prop. 18. Vide illam part. 1. cap. 26. Dandæ igitùr sunt notitiæ, ut Confessor, quòad ea, quæ ordinariè contingunt, possit per rationis inquisitionem efformare rectam conscientiam pœnitentis, quòad actus externos fidei.

2. D. Quando nos obligat per se præceptum affirmativum (sive sit naturale, sive divinum, circà quod non litiget Confessor) ad actum externum professionis fidei?

M. Ex S. Th. q. 3. a. 2. *Confiteri fidem est de necessitate salutis, quando per dimissionē hujus confessionis, subtraberetur honor debitus Deo, & etiã utilitas proximis impẽdenda, putà, si aliquis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii, propter ejus taciturnitatem, averterentur à fide.* Clara sunt verba S. Doctoris, ex quibus apparet nullum esse tempus huic præcepto determinatum ad actum externum fidei, sed ad illum obligari nos tantùm in prædictis circumstantiis: quare in illis, si Christianus mentiens dicat se non esse talem coràm multitudine, peccat primò peccato mendacii, gravissimo, utpotè

in

in materiâ fidei; & est peccatum commissionis: peccat secundò peccato omissionis non confitens fidem, quando tenetur ad id sub gravi: tertiò peccat peccato scandali: quod multiplicatur juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 9. si non mentiatur, sed taceat, erit duplex peccatum in specie: alterum contrà confessionem fidei: alterum commissionis, & scandali: At si nemo adsit, erit unicum peccatum. Ratio S. Thomæ videtur velle plùs, quàm 18. propositio Innocentii XI. Hæc enim restringitur ad interrogatum à potestate publicâ; Ratio autem videtur universalis ad omnem casum, in quo sequerentur mala prædicta. Igitur incideret in pœnas Bullæ solùm, qui doceret interrogatum à potestate publicâ, &c. quia contrarium est definitum judicio authoritativo Sedis Apostolicæ: non incideret, qui doceret id de interrogato non à potestate publicâ: etenim docetur judicio tantùm doctrinali S. Thomæ.

3. D. Dixisti n. 1. fidem esse profitendam non modò verbis, verùm, & signis externis, quæro, quomodo possit id contingere?

M. Multiplicitèr potest contingere, per ritus, vestes, abstinentiam à cibis prohibitis &c. quare, si casus accidat, multùm sit cautus Confessor: Christianus transit per hæreticos, minanturque mortem, nisi comedat carnes die Veneris. Interrogandus est pœnitens, nùm invitent ad carnes, quò dignoscant, an sit Catholicus; Tenetur abstinere in hoc casu, etiam cum evidenti periculo

mortis, & comedens peccat gravitèr contrà præceptum profitendi fidem tali ſigno: Si verò non fiat in ſignum dignoſcendi eum Catholicum, ſed ſolùm ex malitiâ hæreticorum, non peccabit, quia cum tanto incommodo Eccleſia non obligat ad abſtinentiam; ſi deſit incommodum, peccabit ſolùm contrà præceptum Eccleſiæ: ſi deſit incommodum, ſitque ſignum &c. peccabit duplici peccato. Idem dic in ſimili caſu de ritu, veſte &c.; quæ omnia Confeſſor interrogabit pœnitentem, ſi deficiat; & in examine Romano ſunt apertè diſtinguenda, quia ibi maximè ſumitur experimentum de approbandis, circà praxim.

4. D. Datur nè præceptum Eccleſiaſticum, per ſe obligans ad profeſſionem externam fidei?

M. Pro totâ Chriſtianorum univerſitate nullum datur. Ex particularibus obligantur primò qui dicti ſunt cap. 1. à n. 23. ſecundò tenentur ſuſpecti in fide, quorum alii ſunt ſuſpecti de levi, & alii de vehementi. Confeſſor ordinarius non tenetur ſcire hanc diſtinctionem, ſed, ubi contingat pœnitentem commiſiſſe delictum, quo reddatur in fide ſuſpectus, vel ex naturâ delicti, vel ex præcepto Eccleſiæ, hortetur, quantùm poteſt, tanquam bonum conſilium, ut ſpontè compareat coràm Sancto Tribunali; & interìm ipſe pro abſolutione ſacramentali eliciat externam profeſſionem fidei, quomodocunque ſit ſuſpectus: tertiò ex Tridentino ſeſs. 24. c. 12. de ref. tenentur Beneficiati cum curâ animarum, *ad minùs intrà duos menſes*

menses à die adeptæ possessionis: quartò ex eodem capite provisi de Canonicatu, aut dignitate in Cathedrali: quintò ex constitutione Pii IV. incip. *Injunctum nobis* Regulares, etiam Militares, provisi de Monasterio, Conventu &c. sextò ex aliâ *In Sacrosanctâ* qui debent legere scientiam, vel artem liberalem, aut præsidere in Collegiis, ubi leguntur, juxtà tenorem Constitutionis omninò legendæ. In quibus casibus formula professionis est, quam dedimus in *Instructione pro ordinandis* cap. 23. n. 8. Cæterum non est meum definire, quale sit peccatum omittere hanc professionem externam fidei, & an consuetudo illam omittendi introducta in quibusdam cõmunitatibus excusẽt à peccato, vel an lex illam emittendi sit tantùm pœnalis. Hæc scire non est omninò necessarium Confessori ordinario, cui scribo: qui tamen pœnitiùs introspicere vellet hujusmodi materiam, apprimè debet callere dicta p. 1. c. 38. de legibus, & consulere Canonistas magis classicos, qui de hac ex professo scripserunt, habentes præ oculis ordinationes Romanorum Pontificum, declarationes Sacræ Congregationis Concilii, & Constitutiones Episcopales. Idem dic, ubi ad Confessorem ordinarium accedit pœnitens, inquisiturus, nùm talem, vel talem pœnam, incurrerit in conscientiâ comminatam omittentibus professionem. Quia enim super hoc non tenetur statìm respondere Confessor, petat tempus, ut consulat prædictos. Adverto solùm ex Constitutionibus citatis obligari

gari magis Superiores (nàm emittenda est in manus eorum) etenim subditus non potest alitèr ad illam teneri, quare Superiores considerent suum statum, ubi negligunt exequi tàm salutare præceptum.

5. D. Christianus peraccidens tenetur nè unquam ex præceptis Ecclesię ad hanc professionem externam?

M. Ut dictum est n. 1. hæc externa professio fieri potest verbis, & signis: quæ dicta sunt c. præcedenti à n. 24. ostendunt recitatione symboli &c. pluriès per accidens teneri Christianos ad hanc externam professionem; ex quibus præparans se ad confessiones facili negotio deducet alios casus innumeros, in quibus per accidens tenetur; sed, & deducet non pauciores casus, in quibus tenetur per accidens factis exprimere hanc fidem, ut quotiès tenetur in Missà, vel Officio Sacerdos munire se signo Crucis; quando tenetur genuflectere coràm Sanctissimo &c., quæ sunt facta de se protestativa fidei, licèt non sempèr præcipiantur in protestationem fidei: etenim si hoc modo præciperentur, vel communitèr acciperentur, illa omittere semper esset peccatum mortale, nec daretur parvitas materiæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Donis Intellectus, & Scientiæ, correspondentibus virtuti Fidei.

1. QUi benè perpenderit dicta in præcedentibus de actu interno, & externo fidei, videbit ea multùm prodesse, ut per rationis inquisitionem præparans se ad confessionem, possit elicere ambas præmissas syllogismi operativi, & universalem, & particularem: v. g. debet pœnitens ita syllogizare: *Quandocunque instat obligatio eliciendi actum fidei, est eliciendus; At hic, & nùnc instat obligatio, ergo hìc, & nùnc est eliciendus.* Et dicta duplici capite præcedenti iiluminant pro utràque, sed principalitèr pro secundà particulari. Quia verò ex dictis p. 1. c. 38. n. 5. speculativa simùl, & practica sunt dona Sancti Spiritus, æquè principalitèr conferent ad utramque præmissam.

2. D. Explicà mihi, in quo consistat donum Intellectus?

M. Antèquam eliciam hunc actum fidei, *Credo Trinitatem, quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc mihi proponitur*, debeo percipere terminos hujus actus, nempè, quid significetur nomine Trinitatis, quid nomine Ecclesiæ Catholicæ, uti antequam judicem *Hæc domus est aliquod totum respectu mansionum*, debeo intelligere, quid

sit totum, quid sit pars; & id intelligo per Intellectum, qui est habitus primorum principiorum naturalium; Antèquam credam Petro dicenti se vidisse Constantinopolim, debeo percipere, quid sit Constantinopolis, quid sit videre; an accipiatur, ut videre dicitur etiam de intellectu, vel de oculo solùm corporeo. Igitur illos terminos *Trinitas*, *Ecclesia Catholica* &c. percipio per donum Intellectus, quà est speculativus; & per donum Intellectus, quà est practicus, correspondens Syndereſi, percipio, ac cognosco dari legem, seù præceptum eliciendi prædictum actum. Præparans se ad confessiones non intelliget primo ictu vim hanc Donorum, quia de illis neque Scholastici, neque Morales tractant; nihilominùs relegat sæpiùs, quæ dicta sunt: nàm explicata sunt omni claritate, ac brevitate possibili, & quæ non percipit hic, legat profundiùs in S. Thomà q. 8.

3. D. Dixisti Donum Intellectus præcedere actum fidei: hoc autem videtur expressè contrà S. Thomam, qui ponit dona solùm in habentibus gratiam: tu autem ponis donum Intellectus, etiam in peccatore fideli; imò, & in eo infideli, qui nondùm habet actum fidei, sed disponitur ad ipsum?

M. Habitus donorũ certè sunt solũ in habente gratiã; sed actus imperfecti, velut in lineà donorũ, reperiuntur etiam in peccatore fideli, & in disponente se ad fidem: Hic enim debet percipere terminos, quos ponit in suo actu fidei: Vide dicta

p. 1.

Digitized by Google

p. 1. c. 33. n. 3. S. Thomas q. 8. a. 5. ad 1. expresse agnoscit hunc actum imperfectum in lineà doni, ut dispositionem ad actum fidei.

4. D. Extat nè præceptum affirmativum habendi aliquandò hos actus doni Intellectus?

M. Extat; pro quo videatur S. Thomas q. 16. a. 2. sollicitus ostendere, quòd fuerit hoc præceptum in lege veteri, concludensque: *Hæc abundantiùs in novo testamento, tàm in doctrinà Evangecà, quàm Apostolicà, mandata leguntur.* Quatuor sunt actus doni Intellectus: primò accipere terminos credendos, ut, cùm opus fuerit, circà illos eliciamus actum fidei: secundò ita accipere, ut de illis instruamus alios (Circà hunc Tridentinum sess. 23. c. 14. de ref. vult comprobari per Episcopi examen idoneos quoscunque ordinandos in Sacerdotium) tertiò ut ea meditemur per studium: quartò, ut ea conservemus memoritèr: Primus actus præcipitur Matth. 17. illis verbis: *ipsum audite:* secundus illis Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni creaturę:* tertius illis Luc. 21. *Attendite, ne fortè graventur corda vestra* &c. quartus illis Jo. 15. *Mementote sermonis mei.*

5. D. Hoc præceptum habendi actus doni Intellectus, obligat nè per se, an per accidens?

M. Obligat per accidens, ratione actus fidei, quem per se tenemur elicere, nèc possumus, nisi percipiamus terminos, seù objectum, circà quod eliciendus est actus fidei.

6. D. Quid est donum Scientiæ?

M. Ad

M. Ad actum fidei Theologicæ eliciendum, non sufficit percipere terminos, v.g. quid sit Christus, & quid sit esse crucifixum: etenim si audio proferentẽ, quòd sol in meridie non luceat, utique percipio terminos propositionis, nèc tamen assentior, imò illum derideo, quia scio esse incompossibiles prædictos terminos; si quis mihi asserat se fuisse Cõstantinopoli, percipio statim terminos, at non statim credo, nisi constet mihi, quòd ille sit veridicus, vel alia adducat argumenta, quę id reddant credibile. Sic igitur, ubi à Concionatore percepi, quid sit Christus, & quid sit fuisse crucifixum, nisi constet mihi, quòd sit verax Deus loquens per Concionatorẽ tanquã per instrumentũ, vel nisi adducat motiva credibilitatis posita c. 1. n. 13. non judicabo: & si quidẽ scio reducẽs in veracitatẽ Dei, est donum Sapiẽtię de quà c. 13. si proptèr signa credibilitatis, est donũ Sciẽtię: actus quorũ donorũ sequitur actus fidei credens, *quia Deus revelavit* &c. Porrò quæ dicta sunt de dono Intellectus, paritèr applicanda sunt dono Scientiæ. Imò quartus actus Intellectui tributus, magis propriè convenit scientiæ. Objecta autem materialia, de quibus debet esse donum Scientiæ numerata sunt c. 1. à n. 16.

7. D. Quæ Beatitudines, & qui Fructus correspondent duobus hisce donis?

M. Ex S. Thomâ q. 8. a. 7. dono Intellectus correspondet sexta Beatitudo: *Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt*. Dono autem Scientiæ, ut q. 9. a. 4. correspondet tertia: *Beati qui lugent*,

gent, quoniàm ipsi consolabuntur. Ex fructibus fides correspondet utrique dono: sed sciendum in fructibus venire non actum, sed quandam certitudinem, unde Christianus vi talium donorum est certus vera esse, quæ credit per actum fidei, & ad quæ credenda dirigitur dono Intellectus, & Scientiæ.

CAPUT IV.

De peccatis commissionis per se oppositis Virtuti Fidei.

1. UT efformetur hìc, & nùnc rectum dictamen, seù recta conscientia de fide, præparans se ad confessiones debet per rationis inquisitionem scire etiam actus oppositos fidei: nàm oppositа juxtà se posita magis elucescunt. Porrò alii actus opponuntur fidei privativè, alii contrariè: opponuntur privativè peccata omissionis, quando omittimus ponere actus fidei, quos hìc, & nùnc præcepto affirmativo tenemur elicere. Opponuntur contrariè peccata commissionis, quando operamur contrà præceptum negativum fidei obligans nos semper, & ad semper. Quæ in præcedentibus dicta sunt, abundè sufficiunt, ut effotmemus rectam conscientiam, quòad fugienda peccata omissionis contrà fidem; quare nihil ampliùs de his restat dicendum. Ut recta efformetur circà peccata commissionis oppositа

posita contrariè fidei, distinguenda sunt peccata per se opposita, seù ratione sui, & peccata per accidens, seù, ratione periculi, quod immineret fidei, & de his agetur capite sequenti.

2. Quot sunt specie peccata contrariè, & per se opposita fidei?

M. Primum specie peccatum est Paganismus, quo nolumus credere mysteriis revelatis, neque in suà veritate manifestatà nobis per testamentum novum, neque in suà figura nobis propositâ in testamento veteri: Secundum est Hæbraismus, quo recipimus figuras testamenti veteris, sed nolumus credere veritati revelatæ per Jesum Christum, & per Spiritum Sanctum Ecclesiæ: Tertium est Hæresis, quà credimus aliquas ex prædictis veritatibus, sed non omnes. Hæ tres peccatorum species opponuntur actui interno fidei. Quartum est blasphemia hæreticalis opposita actui externo, tamen cum S. Thomà agemus de blasphemiâ in generali. Quintum est Hebetudo sensuum, & sextum Cœcitas mentis: hæc duo opponuntur dono Intellectus: septimum est Ignorantia rerum fidei, opposita dono Scientiæ, de quà nihil dicendum restat, quià sufficientèr de illà dictum est p. 1. cap. 35.

3. D. Scio peccata opposita actui interno vocari omnia nomine generico, Infidelitatem; & super illis videbo S. Thomam q: 10. sed quia hæresis est peccatum, super quo Examinatores Romani ferè semper experimentum sumunt ab approban-

dis,

dis, ideò super illà peto specialiùs instrui?

M. Hæresis est error in intellectu Christiani cum pertinacià in voluntate, circà aliquem articulum fidei, & erit Hæbraismus, si sit contrà omnem articulum testamenti novi; Paganismus, si contrà omnem omninò Sacram Scripturam. Est error; quare non sufficit ignorantia: vide dicta p. 1. c. 35. n. 1. Est error cum pertinacià; Hæc autem extat, quando sciens homo Christianus Ecclesiam aliquid definivisse, vult tenere contrarium: Ambo ad hæresim requiruntur: unum sine alio non sufficit. Rusticus credens Christum non esse totum sub utràque specie, sed ignorans, quòd id Ecclesia definierit, est hæreticus materialitèr, & etiam sine peccato. At si sciat Ecclesiæ definitionem, & per unicum instans id credat, est hæreticus formalitèr.

4. D. Petrus non absolutè discredit Christum esse totum sub utriàque specie, sed dubitat, sciens tamen Ecclesiam definivisse contrarium, quod peccatum committit?

M. Si Petrus voluntariè dubitat, etiam per unicum instans, est hæreticus formalitèr: & communitèr dicitur: *Dubius in fide est infidelis*: nàm habet errorem cum pertinacià: Error enim est omnis conceptus, quem de re habemus contrà id, quod debemus habere.

5. D. Petrus credidit aliquid contrà fidem, sed asserit se non fuisse pertinacem, quia ignorabat definitionem Ecclesiæ?

M. Di-

M. Dictum est p. 1. c. 35. n. 8. quomodo Confessor procedere debeat cum pœnitente, qui allegat ignorantiam invincibilem de mysteriis Fidei; eodem modo procedendum est cum allegante ignorantiam definitionis Ecclesiæ. Et pro hæresi est Regula S. Th., tùm 1. p. q. 32. a. 4., tùm hìc q. 11. a. 2. ad 3. desumpta ex principiis universalibus de ignorantiâ legis naturæ traditis p. 1. c. 35. n. 10. si enim discredo articulum obvium, & facilè cognoscibilẽ, hoc ipso, quòd illũ discredo, est cũ pertinaciâ; etenim non ignoro invincibilitèr Ecclesiam definivisse talem articulum, qui mihi propositus fuit per Ministros Ecclesiæ: si autem non sit obvius, nèc expressè definitus, tùnc ante definitionem expressam non erit hæreticus formalitèr, qui contrarium senserit. Hac methodo quotidiè procedit Ecclesia. Quosdam articulos proponit ut Catholicos, non tamen declarat hæreticos, qui contrarium senserunt ante suam definitionem. Ut ergo rectũ judiciũ Confessor efformet, semper in particulari consideret singula, Inrerroget pœnitentem, ubi non explicat; præ omnibus autem in facti contingentiâ meminerit consulere Ministros Sancti Tribunalis, apud quos viderit plura definita judicio authoritativo, quæ ipse, nec ex se, nèc ex libris poterit determinare judicio doctrinali.

6. D. Est nè unicum specie peccatum hæresis an multiplex, ita ut pœnitens teneatur aperire in confessione, cui adhęserit?

M. Est specie multiplex: etenim peccata diversi-

Digitized by Google

ſificantur ſpecie per diverſitatem objecti, cui adhæreo, & ita ſanctum Tribunal in praxi exigit, ut explicentur variæ hæreſes. Huic praxi Eccleſiæ ſuæ Matris, ac Magiſtræ te conformabis; Diſtinguitur autem ſpecie, quando ſunt contrà ſpecialem articulum. Ut autem cognoſcas, quando veniant ſub ſpeciali articulo, vide S. Thomam q. 1. a. 6. & 8.

7. D. Apoſtaſia eſt nè ſpecies infidelitatis diſtincta à reliquis?

M. De hàc in generali agit S. Thomas q. 12. diſtinguens tres Apoſtaſiæ ſpecies; prima eſt, cum initiatus Ordine ſacro, relinquit habitum ſuum animo non ampliùs vivendi vitam Eccleſiaſticam ſibi debitam: ſecunda, cum relinquit eodem animo habitum regularem: tertia, cum profeſſus fidem Catholicam, ab eà deſciſcit; & videndum eſt, an amplectatur Hæreſim, an Hæbraiſmum, an Paganiſmum; quòd quis primò profeſſus fuerit fidem Catholicam ex S. Thomâ q. 12. a. 1. ad 3. non diverſificat ſpeciem; eſt circumſtantia tantùm aggravans; quare aperienda in confeſſione, quia variat judicium Confeſſarii; & aperiendum, ſi pluriès apoſtatavit, & pluriès rediit in gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ.

8. D. Explicà mihi quartum peccatum, quod dicitur blaſphemia, & opponitur actui externo fidei, prohibeturque ſecundo Decalogi præcepto?

M. Blaſphemia oppoſita actui externo fidei eſt hæreticalis; nihilominùs S. Thomas q. 13. & 14. agit

agit de omni blasphemiâ, cum quo dicendum blasphemiam esse convicium in Deum, vel Sanctos: & si solùm corde concipiatur, erit blasphemia cordis; si ore proferatur, erit blasphemia oris; si facto quis convicietur Deum, vel Sanctos, erit blasphemia operis. Sive sit in Deum, sive in Sanctos est ejusdem speciei. S. Thomas q. 13. a. 1. ad 2. Distinguitur tamen simplex ab hæreticali; & simplex opponitur virtuti Religionis. Hæreticalis addit suprà simplicem, quòd affirmet aliquid contrà articulos fidei: quare dicens: *Deus est maledictus*, profert blasphemiam hæreticalem; dicens verò *Deus sit maledictus* profert blasphemiam simplicem, quia non affirmat, sed tantùm optat.

9. D. Videtur nulla intercedere differentia inter blasphemiam hæreticalem, & hæresim?

M. Intercedit maxima: quod sic ostendo: possum injuriari Petrum, vocando furem, sed non credendo, quòd sit fur; & possum vocare furem, credendo simùl, quòd sit fur: hæc secunda est multò major injuria quàm prima, quando præsertim est innocentissimus. Applicando hæc Deo, si dico *Deus est injustus*, non credendo, hæreticalitèr blasphemo: si credo, quòd sit injustus, sum hæreticus: quare ad dignoscendam speciem peccati, cùm pœnitens se accusat, de hujusmodi blasphemiis, interrogandus est statìm, an crediderit etiam pro uno instanti: nàm tùnc est hæreticus: hæresis enim, ut alia peccata, committi potest in uno instanti, dummodò adsit pertinacia, quòd, nempè,

sciam

sciam Ecclesiam definivisse contrarium.

10. D. Ut blasphemia sit peccatum mortale, requiritur ne animus conviciandi Deum?

M. Ex S. Thomâ q. 13. a. 1. ad 1. sicut, ad peccandum mortaliter peccato furti, non requiritur animus formalis displicendi Deo, aut proximo, sed sufficit advertere, quòd res accipienda sit alterius; ita ad mortale peccatum blasphemiæ sufficit advertere, quòd significatum verborum sit Dei convicium, & qui haberet illum animum committeret duo peccata; alterum odii contrà charitatem in Deum, alterum blasphemiæ contrà religionem, vel contrà fidem, si sit hæreticalis.

11. D. Dixisti n. 8. dari blasphemiam cordis, oris, & operis; ego solùm concipio blasphemiam oris?

M. Antequam ore proferas, v.g. *Deus sit maledictus*, habes hunc conceptum in corde: si ergo non proferas exteriùs, erit blasphemia cordis: Blasphemia operis esset, quando quis ex dictis c. 2. n. 3. obligatus facto profiteri fidem Christianam, v. g. non comedendo carnes in die Veneris, comederet, & id cederet in injuriam Dei.

12. D. Quæ sunt opera de se injuriosa Deo, ut propterea dici possint blasphemiæ?

M. Omne peccatum est injuriosum Deo, sed tamen aliqua sunt de se specialiùs injuriosa; & sunt sex, vocanturque blasphemiæ in Spiritum Sanctum: prima est *Desperatio* oppositæ Virtuti

Spei: secunda *Præsumptio* eidem Spei oppositа: Tertia *Impœnitentia*, seù propositum formale non pœnitendi, oppositа virtuti Pœnitentiæ. Quarta est *Obstinatio*: differunt Impœnitentia, & Obstinatio, quòd illa firmat se in peccato, estò videat, & consideret damna peccati, præsertìm infernum: ista firmat se in peccato, considerans delectationem ex peccato. Obstinatio non est species peccati, sed circumstantia notabilitèr aggravans quancunque speciem peccati. S. Thomas q. 88. a. 6. in fin. (propterea ex dictis p. 1. c. 34. n. 20. explicanda in confessione) Quinta est *Impugnatio Veritatis agnitæ*: non est determinata species peccati, sed est diversa, juxtà diversas formalitèr veritates, quas impugnat: Sexta est *Invidentia fraternæ gratiæ*, quà quis, ait S. Thomas q. 14. a. 2. *invidet gratiæ Dei crescenti in mundo*; Crediderim autem nomine invidentiæ hic venire quamlibet tristitiam de gratiâ Dei, sive sit odium, sive sit Invidia; & juxtà diversitates gratiarum, erit diversum etiam specie hoc peccatum, v. g. si trister, quòd aliquis sit justus per gratiam sanctificantem, est peccatum specie diversum ab eo, quòd trister, quia habet gratiam gratìs datam miraculorum. Hæc sanè peccata sunt rarissima, sed si contingant, Confessor debet inquirere speciem omnem specialissimam: quomodò autem de se sint specialiùs injuriosa Deo, explicat S. Thomas q. 14. Vide ipsum; qui a. 2. ad 4. schisma reducit ad Invidentiam, & omnes hæ blasphemiæ sunt contrà dona Spiritus Sancti.

13. D. Ex-

13. D. Explicà mihi ultima duo peccata, fidei oppositа, cùm de ignorantià jam multa dixeris?

M. Hebetudo sensus, & Cæcitas mentis opponuntur fidei, quatenùs opponuntur dono Intellectus, cujus aliquis actus præexigitur ad eliciendos actus fidei. De duobus hisce peccatis agit S. Thomas q. 15. dictum est c. 3. n. 2. donum Intellectus in eo consistere, ut percipiantur termini propositionis, quæ creditur: Vide ibi dicta: In corporalibus dicitur cæcus, qui nihil omninò videt: hebes autem visu, qui non distinguit objecta, quantum debet distinguere. Transferendo hæc ad spiritualia, dicitur cæcus mente, qui nullatenùs percipit terminos, quos debet percipere in judicio formando per donum Intellectus: Hebes autem sensu, qui non ita illos distinguit, ut debet distinguere: Donum Intellectus est simùl speculativum, & practicum: Ut speculativum debet percipere terminos hujus actus v.g. *Christus est crucifixus*: Ut practicum, debet percipere terminos hujus v. g. *Ad promerendam vitam æternam requiritur mortificatio carnis*. Quòad primum igitur, si nullatenùs percipiat, ly *Christus* importare duas naturas, divinam, & humanam &c. erit cæcus mente: si percipiat, non tamen distinguat, uti debet, erit hebes sensu. Confessarii experiuntur hujusmodi morbis laborare plurimos, quorum alii ad Confessionale approximant, uti narrantes historicè sua peccata, non perfectè percipientes, vel non

videntes, quid interſit inter confeſſionem, & ſimplicem narrationem: alii communicant non diſtinguentes inter panem de cœlo, & panem communem, quòad diſpoſitionem accipiendi. Videntur alii ad divina, velut ſomnolenti, ac lethargici. Confeſſor hos omnes reprehendat acritèr, non tamen damnet peccati diſtincti, & ſpecialis, niſi ſciat ipſos advertiſſe primò, quòd facilè incidèrent in hujuſmodi hebetudinem, aut cæcitatem, & cum hàc advertentiâ neglexerint remedia, ne incurrerent. In iſtis caſibus, & hebetudo, & cæcitas eſſent peccata diſtincta in confeſſione ſpecialitèr explicanda, quòad ſpeciem, & numerum, vel ſaltèm quoad tempus, quo permanſerunt in iſtâ hebetudine, aut cæcitate de iis, quæ debebant, & poterant percipere juxtà proprium ſtatum, & de credendis, & de operandis, ut cognito tempore, Confeſſor poſſit habere numerum *circumcircà* peccatorum: quia enim ex dictis c. 3. n. 4. dona nos obligant ratione actuum fidei, vel operationum ad Chriſtianos pertinentium, peccata hebetudinis, & cæcitatis multiplicabuntur numero, ſecundum quod, ratione illorum omittuntur illi actus præcepti.

14. D. Hebetudo ſenſus, & cæcitas mentis non videntur peccata inhumana, quando ſunt de articulis fidei, ut opponantur dono Intellectus?

M. Sunt peccata inhumana, ſicut de Ignorantiâ explicatum eſt p. 1. c. 35. n. 19.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De peccatis per accidens oppositis Virtuti Fidei.

1. VOco peccata per accidens opposita fidei actiones illas, quas Ecclesia prohibet ratione periculi circà fidem. Peccaret utique contrà fidem, qui exercens actionem aliquam, etiam de se indifferentem, cognosceret ex eà se constitui in periculo proximo amittendi fidem, vel peccandi aliquo alio peccato ex enumeratis capite præcedenti; peccatque eàdem speciè peccati, cujus periculo se exponit, estò non commiteret hoc peccatum, quia id est omninò per accidens; nihilominùs de istis actionibus in presenti non loquor. Prohibitæ sunt ex naturà rei, & ex intrinsecis virtutis fidei. Adverto solum, quòd non potest dari regula generalis ad dignoscendum, quæ actiones importent hoc periculum proximum, sed Confessor debet considerare ex circumstantiis statum personæ, ut si sit idiota, puer, fœmina, parùm firmus in fide &c. hujusmodi enim esse potest proximè periculosa v. g. lectio alicujus libri, quæ talis non erit docto. Confessor si conjiciat hujusmodi periculum, debet pœnitenti omninò prohibere talem lectionem, estò librum Ecclesia permittat universitati Christianorum.

Digitized by Google

2. Aliæ sunt actiones, non importantes quidem de sui naturà periculum proximum, sed quia sunt multùm periculosæ, præsertim respectu multitudinis, ideò illas Ecclesia absolutè prohibuit cuilibet fideli, determinando etiam aliquandò per suum præceptum, quòd operans illas habeatur ut suspectus de fide. Loquor in præsenti de hujusmodi actionibus, quæ ante prohibitionem Ecclesiæ vel erant permissæ, ut est lectio nonnullorum librorum, vel non erant prohibitæ, ut contrà fidem, v.g. sollicitatio Confessoris in Confessione ad turpia. Lectio libri antè prohibitionem Ecclesiæ, licèt permissa cuicunque ex illà non incurrat periculum fidei: post prohibitionem, si declaretur doctrina esse contrà fidem (non tantùm contrà bonos mores) esset peccatum cuicunque legenti sine licentià, oppositum virtuti fidei, ad quam pertinet ex dererminatione illà Ecclesiæ: Sollicitatio autem ante Bullas Pontificias, erat peccatum, & sanè gravissimum; sed per illas Bullas reductum est ad peccatum contrà virtutem fidei.

3. Porrò hìc non enumero singulas hujusmodi actiones, quià principaliores continentur in Edicto Sanctæ Inquisitiones, quod dandum c.6. Confessarii omnes debent frequentèr legere, notando singulos apices, & considerando verba semper in proprio sensu, ne ex unà parte deficiant suo muneri, in quo gravissimæ pœnæ rei erunt apud Sanctum Tribunal: ex alià ne gravent

pœ-

pœnitentes, obligando illos adire Sanctum Tribunal, ubi verè non extaret hæc obligatio. Satius autem erit abundare, in mittendo illos: etenim Tribunalis Ministri optimè conscii suarum facultatum, antequam in particulari, & judicialitèr accipiant in scriptis delictum, interrogant minutè denunciantem, & dimittunt, si comperiant delictum non esse suæ jurisdictionis. In dubio autem nihil agat Confessor sine consilio Tribunalis.

4. D. Quare Sancta Mater Ecclesia prohibuit tot actiones contrà fidem, quandoquidem paucissimas prohibet contrà aliàs virtutes?

M. Quia Sancta Mater Ecclesia gerit se more Sapientis Architecti, & Medici. Architectus principalitèr insistit, ne fundamentum patiatur: Medicus principalitèr curat morbos, qui sunt circà cor. Ambo invigilant contrà omne periculum, etiam non proximum, quod immineat, quia fundamento nutante, & corde infecto, sequitur ruina, & mors. Fides est fundamentum ædificii, & cor vitæ spiritualis. Eodem, quo mater Ecclesia spiritu, procedet Confessor, avertens à suis pœnitentibus omne periculum circà doctrinam fidei.

5. D. Opera in edicto sanctæ Inquisitionis contenta videntur spectare ad præceptum negativum Ecclesiæ, quo illas prohibuit, & per suam determinationem posuit sub numero peccatorum fidei aliqualitèr oppositorum, libentèr sci-

rem, an adsit præceptum affirmativum, quo posuerit aliquam actionem sub virtute Fidei, adeò ut ejus omissio aliqualitèr sit contrà fidem?

M. Extat aliqua hujusmodi actio: nàm præcepto affirmativo Ecclesiæ obligamur denunciare, quos cognoscimus reos contrà tale edictum. Porrò contrà hujusmodi obligationem, sequentia sunt notanda. Primò: non omnia peccata in edicto contenta sunt reservata: v. g. superstitio, blasphemia hæreticalis, sollicitatio Confessoris ibi continentur, nec tamen sunt reservata, sed quilibet illa potest absolvere, nisi specialitèr Episcopus reservet; cum hoc tamen, quòd reus sit sacramentalitèr absolutus à suo peccato, judicialitèr damnabitur ad triremes, vel alias pœnas contrà ipsos inflictas; secundò: ubi pœnitens se accusat de criminibus in Edicto contentis (& aliàs non reservatis) Confessor suavibus, at efficacibus verbis, ostendat, pro evadendis pœnis, nullum aliud remedium extare, quàm immediatè spontaneum comparere coràm Tribunali. Summà enim misericordià suscipit spontaneè comparentes, dummodò non sint diminuti, sed omnia ultrò fateantur contrà Edictum commissa, priusquàm juridicè denuncientur. Imò ubi reus integrè comparuit spontaneè, etiamsi subsequenter mille testes deponerent contrà illum de crimine spontè confesso, & correcto per pœnitentias salutares orationum &c. Tribunal non ultrà procedit.

cedit. Saxeus profectò erit pœnitens, qui hæc audiens renuat comparere spontaneus: tertiò: reus ipse non tenetur sub mortali ad denunciandum se ipsum: quartò: ex duobus complicibus alter sub mortali tenetur denunciare alterum, estò essent strictissimi consanguinei. Ne quid verò complex denuncians patiatur ex subsecuturà confessione complicis, Confessor hortetur, ut primò spontè compareat pro suo delicto, & secundò denunciet complicem: quintò: in delictis spectantibus ad Sanctum Officium, non est præmittenda correctio fraterna: tum quià hæc præcedere debet, *si peccaverit in te* personam privatam frater tuus, non in Ecclesiam: tùm quià suspectus de fide est suspectus, quòd nolit se subjicere judicio totius Ecclesiæ, quomodo igitur sperare poteris, quòd se corriget ob tuum privatum judicium? & aliàs, ubi admonentur, est grande periculum, ne fugiendo, se subtrahant à pœnis promeritis, transferanturque ad inficiendas alias provincias: sextò: denunciandi sunt Confessores delinquentes contrà Bullam *de sollicitatione*, quamvis unicum proferant inhonestum verbum, quod protulerint, sollicitati promissis, & minis à pœnitente. Quia solùm Bulla est contrà Confessorem, neque tenetur iste confiteri spontaneè suum crimen; si ex simplicitate referat, non attenditur. Si Pœnitens petat à Confessore, quomodo debeat se gerere in tali casu: respondeat Confessor, ut sincerè dicat à pristino Confessore dicta sibi esse talia,

vel

vel talia verba, quæ verè dixit, & in reliquis expectet interrogationes Inquisitoris, cui nunquam mentiatur: septimò: qui agnoscens reum contrà hoc edictum, & sciens edictum, non satisfecerit infrà trigintà dies, præcepto in virtute sanctæ obedientiæ per illud lato, post dictum terminum, incidit in excommunicationem majorem reservatam ipsi Sancto Tribunali.

6. D. Potest ne alitèr, quàm modis in Edicto contentis periclitari fundamentum Christiani ædificii, nempè fides?

M. Per se potest etiam aliqualitèr periclitari ex modo loquendi. Ut ait S. Hieronymus adductus à S. Thomà 3. p. q. 16. a. 8. *Ex verbis incautè prolatis incurritur hæresis*. Propterea consuevit aliquandò Ecclesia prohibere nonnullas etiam locutiones, quæ possunt sumi in malam partem. Hoc modo ibidem S. Thomas asserit fuisse prohibitam hanc thesim *Christus est creatura*. Plurimæ hodie turbæ vexant Ecclesiam ob nonnullos, qui volunt uti modo loquendi antiquo, sed à pluribus sæculis jàm obsoleto. Id nullatenùs pœnitenti permittat Confessor; exemplum Hieronymi proponat, qui nunquam usurpare voluit nomen *hypostasis*, quousque ab Apostolicà Sede certioratus non fuit de licito illius usu. Meminerit filios ita revereri matrem carnalem, ut nullum addiscant idioma, nec addiscant verba, quæ reprobet mater. Pari pietate colenda est Mater, & Magistra Spiritualis Ecclesia.

7. D. Pec-

D. 7. Peccata fidei oppositа,& enumerata tùm in hoc capitè, tùm in præcedenti, admittunt nè parvitatem materiæ, ratione cujus reddantur venialia?

M. Peccata fidei oppositа de naturà suà sunt mortalia, ob rationem dictam p. 1. c. 34. num. 6. Etiam c. 36. stabilita sunt principia, ex quibus deduci potest in genere, quando unum peccatum ex genere suo mortale reddi possit veniale. Confessor applicabit illa principia universalia huic peccato particulari opposito fidei; nihilominùs, quia non omnis, qui potest esse Confessor ordinarius, potest ex principiis universalibus pro suà capacitate, deducere omnes conclusiones particulares in illis contentas, ideò necessarium est subvenire cuilibet; & quia Confessor ordinarius potest communiter interrogari, an ex parvitate materiæ peccata fidei opposita reddi possint venialia, ideò applicando prædicta principia, dico, quod peccatum omissionis in omittendo actum fidei, quando præcipitur, vel in omittendo denunciationem faciendam Sancto Tribunali, quando instat præceptum, non admittit parvitatem materiæ (quidquid sit, an ex alio capite possint esse venialia) Peccatum commissionis oppositum fidei, eo quia facit irreverentiam Deo, non admittit parvitatem materiæ, quia hæc ex S. Thomâ 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. *non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget*, quia major videtur irreverentia negare fidem v. g. ex libito, sine ullà necessitate,

quàm

quàm negare fidem ad evitandam mortem. Crediderim dari parvitatem materiæ in iis peccatis, quæ sunt contrà fidem ratione periculi: v. g. prohibuit Ecclesia librum aliquem, vel communicationem cum hæreticis ob periculum, ne subvertatur Catholicus, in tali casu, si legendo unam vel alteram lineam, dicendo unum, vel alterum verbum, desit grave periculum, poterit excusari ex parvitate materiæ.

CAPUT VI.

Edictum Sanctæ Inquisitionis circà obligationem dennnciandi delicta spectantia ad ipsum Tribunal.

1. POstquam in genere dictum est de delictis ex Ecclesiæ statuto annexis Fidei, ad evitandum ipsius fidei periculum, memini ex Rituali p. 1. c 7. n. 8. Confessorem ordinarium obligari, ut sciat Ecclesiæ constitutiones, inter quas locum principalem habent Constitutiones Ecclesiæ Romanæ obligantes sub pœnà excommunicationis. Hujusmodi est edictum Sanctę Inquisitionis continens varia delicta, quæ tenemur denunciare. Quod propterea hic exhibeo, ut sæpè legatur.

Nos

Digitized by Google

Nos . . . divinâ misericordiâ S. R. E. Cardinales in totâ Republicâ Christianâ contrà hæreticam pravitatem Generales Inquisitores ab Apostolicâ Sede specialitèr deputati.

2. *CUm longâ experientiâ nobis constet, multos ex malitiâ, alios ex inobedientiâ, & alios ex ignorantiâ, non satisfacere obligationi, quam habent, denunciandi Sanctæ Inquisitioni delicta ad ipsam spectantia; ideòque contingere gravissima inconvenientia, & errores, non solum contrà bonos, & Christianos mores, verùm etiam contrà Fidem Catholicam, Nos, quibus præcipuè debet cordi esse Dei gloria, conservatio, & augmentum Fidei Catholicæ, & salutis Animarum, volentes providere tanto incommodo, Apostolicâ authoritate Nobis commissâ, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, præter alias pœnas præscriptas per Sacros Canones, decreta, Constitutiones, & Bullas Pontificum, tenore præsentis Edicti, omnibus, & singulis, cujuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis, Ecclesiasticæ, & Secularis, ut infrà mensem, cujus decem dies sint pro primo, decem pro secundo, & decem pro tertio termino peremptorio, ut denuncient; & juridicè notificent Sanctæ Inquisitioni, aut locorum Ordinariis, omnes, & singulos, quos sciant, habuerint, vel habebunt notitiam.*

3. *Quòd sint Hæretici, aut suspecti, vel difamati de hæresi, aut illorum credentes, fautores, receptatores,*

res, aut defensores; Adhæserint, vel adhæreant Ritibus Judæorum, Mahumetanorum, aut Gentilium, aut Apostataverint à Fide Christianâ.

4. *Quòd fecerint, vel faciant actus, ex quibus argui possit pactum expressum, vel tacitum cum Dæmone, exercendo incantationes, magias, sortilegia, offerentes suffitum, incensum, ad inveniendum thesauros, & alia, petendo responsa illorum, invocando, & promittendo obedientiam, consecrando pentaculos, libros, enses, specula, & alia, in quibus interveniat nomen, & opera ipsius.*

5. *Quòd se ingesserint, aut ingerant in experimentis Nicromanticis, aut Magicis cujuscumque generis, ingrediendo circulos, faciendo experimentum Ampboræ aut Cribri, ad inveniendos thesauros, res occultas, furto ablatas, aut amissas, vel faciendo similes actiones superstitiosas ad alios fines, maximè, cum abusu sacramentorum, rerum sacrarum, aut benedictarum.*

6. *Quòd absque debitâ licentiâ retineant scripta continentia hæreses, aut libros Hæreticorum tractantes ex professo de Religione, illos legerint, tenuerint, impresserint, aut imprimi fecerint, vel legant, teneant, imprimant, aut imprimi faciant, introducant, aut defendant sub quovis prætextu, & colore.*

7. *Quòd habeant libros Nicromanticos, Magicos, aut continentes incantationes, sortilegia, & similes superstitiones, maximè cum abusu rerum sacrarum.*

8. *Quòd contrà votum solemne factum in Religione approbatâ, aut post susceptos Ordines sacros contraxerint, aut contrahant matrimonium.*

9. *Quod*

Digitized by Google

9. *Quòd primà uxore vivente, nubant alteri, vel primo vivente marito secundum accipiant.*

10. *Quòd contrà decreta, & Constitutiones Apostolicas abusi fuerint, vel abutantur sacramento Pœnitentiæ, utentes Confessione, & Confessionali ad fines inhonestos, sollicitando Pœnitentes in ipsis ad turpia, & cum his differentes de rebus illicitis, & inconvenientibus fini, propter quem fuit institutum.*

11. *Quòd protulerint, vel proferant blasphæmias hæreticales contrà Deum, B. Virginem, & Sanctos, aut procedant ad aliquem actum offensionis, & contemptus contrà imagines, & figuras idem representantes.*

12. *Quòd induxerint aliquem Christianum ad Judaismum, aut aliam sectam Fidei Catholicæ contrariam, aut impediverint à baptismo Judæos, vel Turchas.*

13. *Quòd non ordinati Sacerdotes, ausi fuerint sacrilegè, aut audeant celebrare, estò non protulerint verba consecrationis, aut præsumpserint ministrare sacramentum Pœnitentiæ Christianis, etiamsi actu non absolverint.*

14. *Prætereà declaratur, quòd qui, juxtà præsens edictum, non denunciabunt, à nemine absolvi possunt, nisi à Sancto Officio, postquam in eo juridicè denunciaverint delinquentes; nec possint satisfacere huic obligationi per scripta, vel epistolas absque nomine, & cognomine Authoris, vel aliis modis incertis, quorum nulla habetur ratio in Sancto Tribunali.*

15. *Ulteriùs declaratur per suprà dictam expressionem*

sionem casuum, ut suprà commemoratorum, non excludi alios casus ad Sanctum Officium spectantes, & comprehensos in Sacris Canonibus, Constitutionibus, & Bullis Pontificum. Nec præsenti Edicto intelligatur derogatum aliis provisionibus Canonicis, & Apostolicis, neque aliis edictis Ordinariorum, & Inquisitorum.

16. *Et ne præsentis Edicti possit ignorantia obtendi, præcipimus affigi per consueta loca Urbis, & notificari Episcopis Urbium Romæ vicinarum, in quibus non adsunt Inquisitores, ut illud publicent, ordinentque suarum Diœceseon Parochis illud legere quotannis primis Dominicis Adventus, & Quadragesimæ; quod pariter fieri volumus à Parochis, & Regularibus Urbis, in propriis Ecclesiis, tempore majoris concursus populorum; & posteà illius exemplar affigi in Ecclesiis, & Sacristiis.*

CAPUT VII.

De Absolutione à peccatis contrà Fidem.

1. D. QUis potest absolvere à peccatis omissionis, quæ sunt contrà fidem?

M. Dictum est peccata omissionis contrà fidem prohiberi omnia per præceptum affirmativum fidei, sed alia prohiberi per præceptum fidei ex naturâ suâ obligantis; alia per præceptum fidei obligantis ex determinatione Ecclesiæ. Nullum ex his invenio reservatum

Digitized by Google

tum, nisi peccatum omittentis denunciationem debitam ex præcepto Ecclesiæ; nàm sciens edictum Sanctæ Inquisitionis, & simùl aliquem peccasse contrà illud, si omittat denunciare per trigintà dies: post illud tempus incurrit mortale peccatum, & excommunicationem reservatam Sancto Tribunali, à quà nec in Jubilæo potest absolvi, nisi suæ priùs obligationi satisfecerit.

2. D. Est nè reservatum aliquod peccatum commissionis oppositum fidei ex præcepto Ecclesiæ?

M. In Bullà Cœnæ §. 1. est reservatum cum excommunicatione peccatum, quòd quis committit omnibus iis modis, qui explicantur ibi circà libros Hæreticorum. Debent autem primò esse libri Hæreticorum; secundò continere hæresim, vel etiamsi non contineant hæresim, si sint libri Hæreticorum, dummodò tractent de Religione; quod totum interrogabit particularitèr Confessor, si pœnitens non sufficientèr se explicet: secundò quicunque peccant contrà septimum §. ejusdem Bullæ, quod diligentèr sæpiùs leget Confessor.

3. D. Est nè reservatum aliquod peccatum ex illis, quæ per se opponuntur fidei?

M. Dictum est c. 4. n. 2. quòd septem peccata per se opponuntur fidei, ex quibus tria prima hominis Christiani sunt reservata cum excommunicatione in §. 1. Bullæ Cœnę; quòad quartum de blasphemià hæreticali, non est reservatum Romę, sed solent illud reservare Episcopi: Unusquis-

que videat tabulam Casuum Reservatorum in suâ Diœcesi.

4. D. Intelligitur nè in dicto primo §. reservata quælibet hæresis, seù infidelitas?

M. Infidelitas, vel hæresis alia est merè interna, & alia etiam externa: Qui verbo profert aliquem errorem contrà fidem, est blasphemus hæreticaliter, si non credit: si credat, sed sine pertinaciâ, eo quia ignorat invincibilitèr contrarium fuisse definitum ab Ecclesiâ, ubi hæc ignorantia potest admitti, est hæreticus materialitèr, & non peccat, nisi quousque adjungat pertinaciam: ubi hæc adjungitur, est hæreticus formalitèr, & hæreticus externus, etiamsi proferat nemine audiente, nec valente audire, etiamsi non proferat ore, sed tantùm scribat, vel faciat aliud signum externum, sufficiens ad exprimendum, quòd ipse talitèr credat; & hujusmodi quicunque sit, comprehenditur in dicto primò §. Si verò sit hæreticus tantùm mentalitèr, est hæresis interna: non incurrit ullam excommunicationem, & potest absolvi à quolibet Confessario.

5. D. Potest nè hæresis externa absolvi saltèm virtute Jubilæi?

M. Vide dicta p. 1. c. 21. n. 5.

6. D. Si quis negaret exterius fidem, amplectens Mahumeti sectam: sed in corde tamen retineret fidem, posset nè absolvi?

M. Dummodò teneat fidem in corde, non est infidelis, nèc excommunicatus in Bullà Cœnæ:

sed

sed tamen est denunciandus, & si velit effugere pœnas Sancti Tribunalis, debet comparere spontaneus, juxtà dicta quòad primum p. 1. c. 19. n. 3. quòad secundum p. 2. c. 5. n. 5.

7. D. Quas penitentias debet Confessor imponere pro peccatis contrà fidem?

M. Vide dicta p. 1. c. 13. n. 19.

8. D. Adsunt nè aliquæ propositiones prohibitæ circà fidem, ejusque actus, aut peccata illi opposita?

M. Quòad objectum formale fidei, quod est revelatio divina facta Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc nobis proposita, vide 23. Innocentii XI. Quòad objectum materiale circà articulos credendos, vide 26. quòad ipsum actum internum fidei, vide primam Alexandri VII. 16. 17. 19. 20. 21., & 65. Innocentii: quoad actum externum fidei, vide 18. Innocentii; quòad ignorantiam oppositam dono Scientiæ vide 64. ejusdem: quòad præceptum affirmativum denunciandi, vide 5. 6. & 7. Alexandri VII. Quæ verò tangunt absolutionem ab hæresi sunt insinuatæ sufficientèr part. 1. cap. 18. num. 23.

CAPUT VIII.

De Virtute Spei, & ejus Actibus.

1. PRæparans se ad confessiones, ubi sufficientèr acceperit, quæ necessaria sunt ad formandam secundam præmissam particularem syllogismi operativi circà fidem, seù ubi formaverit conscientiam, ac dictamen rationis rectum circà illam, non debet esse contentus; nec enim habet in Confessionali solùm audire peccata contrà fidem, sed peccata cujuscunque generis, & contrà quamcumque virtutem. Procedet autem sapientèr, idest, ordinatè, ut formato dictamine rationis recto circà primam virtutem, formet illud circà secundam, quæ dicitur Spes, & est Virtus Theologica.

2. De Spe, ut est passio appetitus sensitivi, dictum est aliquid p. 1. c. 32. quæ tamen est Virtus Theologica, residet in voluntate, seù appetitu intellectivo; quæ procedit hoc modo. Justificandus ex Tridentino sess. 6. c. 6. ante omnia debet credere *vera esse, quæ divinitùs promissa sunt*. Hic est actus fidei circà Deum Remuneratorem (qui actus fuit necessarius in omni lege) Perceptis terminis importatis in Deo Remuneratore, nempè, vita æternà gloriæ, & vitâ æternà gehennæ, cognitisque proprietatibus utriusque, & quòd gloria sit maximum bonum, ad hanc cognitionem inclinatur

tur voluntas, ut complaceat, & desideret hanc gloriam: quæ complacentia, & desiderium sunt actus Voluntatis, ut est Concupiscibilis; At quia deinde cognoscit hoc bonum esse arduum, Voluntas, ut Irascibilis, per spem firmatur in tali desiderio.

3. Spes ista respicit quatuor causas nostræ salvationis: primò finalem, quæ est ipse Deus: nàm speramus consequi Deum, licet id, quo consequimur Deum, sit visio beata: secundò efficientem, quæ dabit ipsum finem, & media pro consequendo fine: hæc etiam est ipse Deus: tertiò causam formalem, seù motivam; à quà movemur ad sperandum, quòd Deus poterit, & volet dare nobis se ipsum: Hæc etiam est ipse Deus sub ratione duplicis attributi, nempè, ut est Omnipotens, qui potest, & Misericors, qui vult dare nobis beatitudinem: quartò causam instrumentalem. Hæc est aliquid creatum; & alia est necessaria omninò, alia utilis: necessaria omninò est duplex, nempè, primò gratia Dei, tàm actualis, quàm habitualis, collata nobis per Christum; secundò nostra bona opera facta per illam gratiam. Utilis verò sunt orationes Sanctorum, & quædam determinata, superogationis opera, ut facere eleemosinam, quando non est in præcepto &c. Quæ sunt necessaria, debemus comprehendere in ipso actu Spei, & comprehenduntur in actu Spei tradito in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 19. quare semper, ut verus sit actus Spei, proponenda sunt opera bona; &

nihilominùs est differentia inter Spem, & Charitatem: Charitas nùnc facit saltèm aliquem actum bonum, nempè, Contritionem: Spes verò proponit etiam istam pro futuro.

4. D. Tenemur nè unquam præcepto affirmativo ad eliciendum aliquem Spei actum?

M. Juxtà dicta de fide c. 1. n. 19. tenemur primò: cum pervenimus ad usum rationis: secundò: in articulo mortis: tertiò: quinquiès, vel sexiès in anno.

5. D. Sunt nè præcepti nobis à Christo aliqui particulares actus Spei?

M. Ex dictis p. 1. c. 35. n. 5. tenemur scire, & aliquotiès recitare orationem Dominicam: Porrò ex S. Thomâ 2. 2. q. 83. a. 1. ad 1. oratio est interpres desiderii; quòd si sit de bono arduo, firmatur per spem: quare quot sunt petitiones orationis Dominicæ, tot in nobis præcedunt actus Spei, & quia obligamur ad orationem Dominicam, obligamur etiam ad totidem actus Spei.

6. D. Universitas Christianorum obligatur nè ex præcepto Ecclesiæ ad aliquem actum Spei?

M. Nullum invenio Ecclesiæ præceptum per se obligans universitatem Christianorum ad aliquem actum Spei; ob rationem de fide adductam cap. 1. n. 31. Per accidens obligantur ex præcepto audiendi sacrum, cujus orationibus non possunt consentire, nisi suo modo etiam sperent: secundò: ex præcepto confitendi, quod ut impleatur, conjungi debet cum spe veniæ; tertiò ex præcepto com-

communicandi, quod ut impleatur, conjungitur cum spe gratiæ. Catechumenus totiès obligatur, quotiès ante baptismum, tenetur recitare orationem Dominicam. Ecclesiasticus quotiès in officio, obligatur ad hanc, & ad Salutationem Angelicam, quæ etiam ex dictis in *Instructione pro ordinandis* c. 9. n. 11. tota est actus Spei. Obligatur Sacerdos, quando tenetur celebrare, tùm propter orationes, tùm propter Symbolum Nicænum; in quo ex S. Thomâ q. 17. a. 6. ad 2. dicens *Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi*, suam fidem de duobus hisce mysteriis manifestat per actum Spei. Hæc de Spe curabit callere Confessor ordinarius; cætera videat apud S. Thomam q. 17. & 18.

CAPUT IX.

De Dono Timoris.

1. QUia non potest sciri, quid sit aliqua species, nisi primò sciatur, quid sit veluti genus, sub quo continetur, ideò S. Thomas q. 19. explicaturus donum Timoris, explicat timorem in genere. Quintuplex est Timor: primus est naturalis, quando quis ex apprehensione mali contristãtis naturam, refugit illud per actum Irascibilis. Hoc modo bruta cognoscentia cognitione sensitivà mortem esse maximum malum sibi, refugiunt illam; & homi-

nes illam refugiunt per volnntatem ad cognitionem intellectivam, antequam incipiãt ratiocinari, an sit adhùc subeunda ob bonum virtutis. De hoc timore S. Thomas agit 1. 2. q. 41. a. 3. non hìc, ubi solùm agit de timore bono, aut malo.

2 D. Quomodo vocatur secundus Timor?

M. Secundus Timor dicitur Mundanus. Dictum est sæpiùs, quòd prima omnium passionum est amor, & ex isto profluunt cæteræ. Igitur judicium de timore sumendum est ex amore, à quo procedit, eritque timor mundanus, si procedat ex inordinato amore mundi, & temporalium. Timebat, ac fugiebat mortem S. Athanasius; at non timore mundano, quia non ex amore inordinato vitæ, sed ex amore obediendi Christo dicenti, Matth. 10. *Cum vos persequentur in istâ civitate, fugite in aliam*. Christiani è contrà timore persecutionis negantes Christum, mundanè timent, quia inordinatè, & plus quàm amanda sit, amant vitam. Mundanus est timor Confessoris, qui nè perdat pœnitentem, connivet illius peccatis, & quærit omnes opiniones laxiores, ut illum possit absolvere, quando est in occasione proximà &c. Hìnc apparet, quòd timor prohibetur per accidens ratione inordinati amoris, à quo procedit: quare erit peccatum mortale, si talis sit amor; veniale, si venialis amor; & ut amor temporalium admittit parvitatem materię, ita Timor; nec obligatur pœnitens ad dicendum in confessione, quòd ex timore mortis negaverit, v.g. fidem, sed sufficit accu-

accusare, quòd negavit fidem. S. Thomas q. 19. artic. 3.

3. D. Quomodò vocatur tertius Timor?

M. Tertius timor dicitur servilis, & est, quando quis timet pœnam cognitam per fidem ex revelatione divinà imminere peccato. S. Thomas a. 2. ad 4. Timor iste, si excludat voluntatem peccandi, est supernaturalis, & consequentèr bonus, quia regulatur à fide, quæ est principium supernaturalitatis p. 1. c. 13. n. 3. Non excluderet voluntatem peccandi, si dicerem: *Doleo de peccatis ob metum gehennæ, sed si non esset gehenna, non dolerem.* Est etiam donum Spiritus Sancti, sed nondùm inhabitantis, ex Tridentino sess. 14. c. 4. propterea à est actus imperfectus doni Timoris, ex iis actibus, qui sunt habitus, sed nondum habentis habitum; & procedit ex bono amore, quo quis amans se ipsum, refugit sibi tàm grande malum; ad quem amorem tenemur. Quia verò timor iste servilis dicitur principalitèr respicere bonum proprium, est explicandum, quomodò cum hoc possit esse bonus. Homo timens gehennam, vult suum bonum, sed non ut ultimum finem: actus enim supernaturalis, & bonus respicit Deum, ut ultimum finem; & esset peccatum mortale, si respiceret se, ut ultimum finem: quare dicitur respicere principalitèr se, quia non habet Deum, ut finem suæ totius vitæ, sed solùm in illo actu timoris; quo modo justus, dum venialitèr peccat, respicit principalitèr Deum: estò enim in illo actu

res-

respiciat se, quia tamen justi vita est adhùc habitualitèr ordinata in Deum per gratiam sanctificantem, per hoc in peccato veniali respicit se minùs principalitèr, & magis principalitèr Deum: & quando justus timet gehennam, iste timor ex illâ ratione respicit principalitèr Deum. S. Thomas a. 4.

4. D. Extat nè præceptum affirmativum eliciendi aliquem actum timoris servilis?

M. Tridentinum sess. 6. cap. 6. ostendit nos obligari ad actum timoris servilis, quando volumus justificari. Vides hoc præceptum non obligare per se, sed per accidens, ratione justificationis, ad quam est medium; quare omissio istius timoris non est explicanda specialitèr in confessione, sed sufficientèr accusabit se pœnitens, dicendo, quòd tempore debito, non se justificavit, scilicèt, in articulo mortis, & in Paschate, quando peccator tenetur se justificare, vel quando voluit recipere sacramenta, & aliàs.

5. D. Quomodo vocatur quartus Timor?

M. Quartus timor dicitur filialis, & habet duos actus: primum, qui est revereri Deum; & ex hoc procedit ad secundum, qui est fugere culpam ex amore Dei. Hoc est propriè donum Spiritus Sancti; quando ejus actus sunt perfecti, & sunt perfecti, quando sunt conjuncti cum actu perfecto charitatis. S. Thomas a. 5.

6. D. Quomodò vocatur quintus Timor?

M. Quintus Timor dicitur Initialis. Iste timor

mor est mixtum aliquod ex duplici timore, scilicèt, servili, & filiali: Timor filialis habet pro fine charitatem, ita ut homo perfectè per totam vitam se subjiciat Deo; Porrò sæpè contingit, quòd solus timor filialis non est ita perfectus, ut per se adducere possit hominem ad hunc finem. Ut ergo ad illum homo perveniat, assumit timorem servilem, etiam à Deo ordinatum ad charitatem, sed magis remotè; atque ita hi duo timores simùl juncti, ex conjunctione habent efficaciam producendi, vel conservandi perfectam charitatem, quam efficaciam neuter habet ex se solo. Idem videre est in naturalibus; Ignis parvus non habet ex se solo efficaciam producendi, aut conservandi calorem in aquâ, sed si conjungatur ferro calenti, uterque simul junctus possunt, quod neuter ex se posset. Invenitur iste timor initialis in habentibus charitatem incipientem: quare Tridentinum insinuat illum sess. 6. c. 6. dùm memorato priùs timore servili, addit: Deum, *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*: & ex hac dilectione incipiente vult peccatorem moveri adversùs peccata per odium aliquo d &c. S. Thomas a. 2. & 8.

7. D. Tridentinum ad justificationem requirit timorem filialem perfectum: hic autem dicitur timor filialis esse imperfectus: quare non sufficiet ad justificationem.

M. Ex S. Thomà a. 8. de timore differendum est, sicuti de charitate. Charitas autem viæ ab eodem q. 24. a. 8. dicitur perfecta duplicitèr: primò

mò: si homo sit totus Deo deditus, ita ut ex vi solà charitatis, homo adhæreret Deo, etiamsi nullus esset timor gehennæ, sicut in naturalibus ignis magnus ex se solo habet efficaciam calefaciendi aquam, estò non adesset simùl ferrum calens. Timor ita perfectus non requiritur ad justificationem: secundò: charitas dicitur perfecta, quę, licet ex se solà non habeat vim, ut homo adhæreat Deo, tamen hanc efficaciam recipit ex consortio timoris gehennæ à Deo ordinati, ut medium pertrahendi nos ad suum amorem, sicut ignis parvus dicitur perfectus ad calefaciendum, qnando potest calefacere sufficientèr ex consortio ferricalentis. Hanc perfectionem habet timor initialis.

8. Qui fructus, & quæ Beatitudo correspondent huic dono Timoris?

M. Huic dono correspondet prima beatitudo, scilicet, *Beati pauperes Spiritu* &c. nam hoc donùm subjicit perfectè hominem Deo; & panpertas in actu nihil est aliud, quàm humilitas subjiciens hominem Deo; quare ista humilitas expressa in primà beatitudine est actus perfectissimus istius doni. Ex fructibus autem correspondent modestia, continentia, & Castitas; nam qui se subjicit perfectè Deo, moderatè utitur rebus externis. S. Thomas a. 12.

CA-

CAPUT X.

De peccatis Commissionis oppositis Spei, & Dono Timoris.

1. EX capite præcedenti sufficientèr habetur, quando peccemus peccata negativè opposita Spei, & Dono Timoris: tùnc enim peccamus omittendo, quando violamus præceptum affirmativum. Posset solùm dubitari, an quotiès elicimus actum charitatis, teneamur etiam elicere actum Spei, & Timoris ergà pœnam. Circà hoc scire debet Confessor ordinarius, quòd Innocentius XII. de anno 1699. prohibuit librum inscriptum *Explication des Maximes des Saincts* &c. in quo dicitur contineri hæc propositio: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ullà mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter fœlicitatem in eo amando inveniendam.* Hæc damnatio respicit asserentes dari hunc statum, in quo ex vi status, animæ possent elicere actus charitatis absque ullo actu Spei, vel Timoris imperfecti, qui est Timor pœnarum: An verò Anima dari possit adeò perfecta, quæ in aliquo casu eliciat alique m perfectum actum charitatis, sine præ-

præcedentiâ Spei, vel dicti Timoris, tùnc nec fuit quæsitum; sed neque debet inquirere Confessor ordinarius expositus multitudini fidelium, in quâ non sunt animæ adeò perfectæ; quòd si casu aliqua accedat, erit Confessoris ordinarii tunc nihil ex suo arbitrio gerere, sed consulere primò Judicem, & Doctorem à Deo sibi constitutum, nempè, Episcopum, deinde alios viros doctos tùm in Scholasticâ, tùm in Mysticâ, quibus repræsentabit statum, & perfectionem Animæ Pœnitentis, quòad omnes circumstantias, illorumque judicio, sed præsertìm orationibus ad Deum petet illùminari, ut discernat, nùm illusa sit Anima, vel tribuendum sit extraordinariæ Dei gratiæ, quòd eliciat unum, vel alterum actum perfectæ charitatis, absque ullo timore pœnarum, vel spe prœmii, saltèm virtualitèr concurrentibus ad charitatem.

2. D. Quot sunt peccata commissionis contrariè opposita spei, & dono Timoris?

M. Præcepto negativo Spei obligantis nos semper, & ad semper, opponuntur contrariè duo peccata, nempè, desperatio, & Præsumptio: Dono autem Timoris opponitur Timor mundanus, de quo sufficientèr dictum est c. 9. n. 2. quare nihil restat dicendum.

3. Quid est Desperatio, ut contrariè opponitur Spei Theologicæ, & c. 4. n. 12. dicta est peccatum in Spiritum Sanctum?

M. Hujusmodi Desperatio, per quam, ob

dif-

difficultates, quas habebit in consequendo Deum, voluntas ut Irascibilis, hìc, & nùnc assentit se nullatenus consecuturam; Christianus desperans credit Deum esse Omnipotentem, & Misericordem, esse causam nostræ salutis, ab eo dari media impetrandæ nostræ saluti, sed solùm concludit, quòd hìc, & nùnc non præstabit hæc omnia sibi, per syllogismum quatuor terminorum in hunc modum: *Deus non dat vitam æternam immerentibus, sed ego sum immerens, ergo mihi non dabit vitam æternam.* Ex hac conclusione voluntas movetur ad actum desperationis; & tamen syllogismus habet quatuor terminos; nàm major intelligitur de immerentibus in morte, non de immerentibus hìc, & nùnc; in minori verò supponit pro immerentibus hìc, & nùnc. Hoc peccatum oritur ex Acidià; est gravissimum, nec admittit parvitatem materiæ ex dictis p. 1. c. 36. n. 6. non tamen est reservatum Romanis Pontificibus. An Episcopi reservent illud, videat unusquisque casus reservatos propriæ Diœcesis. S. Th. q. 20.

4. D. Quid est Præsumptio?

M. Peccatum præsumptionis ex S. Thomà q. 21. a. 1. est duplex; aliud procedens à voluntate, ut Irascibili, per judicium, quo hìc, & nùnc judico aliquid esse possibile meis viribus, quod verè illis non est tale; Hoc peccatum opponitur Magnanimitati, & de illo differetur suo loco. Aliud procedit à voluntate, ut Irascibili, per judicium, quo hìc, & nunc judico dandam esse mihi

hi

hi gloriam æternam per Dei potentiam, & misericordiam, sine ullo respectu ad divinam justitiam, quæ in adultis ordinavit dare gloriam per merita, & gratiam sanctificantem per dispositiones prævias; & ego præsumo, quòd dabit sine his meritis, & dispositionibus. Hoc peccatum oritur ex Superbià; est gravissimum, & in Spiritum Sanctum, non admittens parvitatem materiæ, quia qui in minimo innititur contrà justitiam Dei, tollit omnem justitiam Dei; non tamen est peccatum Papæ reservatum. Confessor videns hoc peccatum esse duplex specie, in confessione, curet explicari à pœnitente motivum præsumptionis, ut cognoscat speciem, & ex S. Thomâ q. 130. a. 1. ad 1. advertat in secundo contineri primum peccatum.

5. D. Quas pœnitentias debebit Confessarius imponere peccantibus contrà Virtutem Spei?

M. Nullas Ecclesia pœnitentias in particulari determinavit contrà hujusmodi peccatores; quare dirigendi erunt juxtà regulas generales Ritualis adducti p. 1. c. 7. n. 23. quòd imponantur contrariæ peccatis pœnitentiæ. Omissio actuum Spei præceptorum provenit ex desidià, torpore, aut otio: quare isti maximè sunt objurgandi, utpotè qui deseruerint per longum tempus omnem orationem; & ad devotionis studia sunt obligandi præcipuè ad orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Desperantes, lenitèr tractabuntur, retrahendi à nimià consideratione propriorum cri-

criminum, & attrahendi ad considerationem infinitæ Dei misericordiæ; unde eliciant frequentiores actus Spei fundatos super Omnipotentiâ, & Misericordiâ. E contrà Præsumptuosi acerrimè objurgandi propositâ severitate divinæ justitiæ, & impositis pœnitentiis aliquantò gravioribus, ut ex justitiâ hominum judicare possint aliqualitèr de divinâ. Ubi Confessor agnoverit pœnitentem peccasse ex timore mundano; more periti Medici, animadvertens radicem timoris esse amorem proprium, reducet primò hunc amorem ad debitam mensuram, ita, quòd amet se, sed subordinatè ad Deum, & principaliter pro vitâ æternâ; Liberati à febri vires considerat Medicus corporalis, & convalescenti præcipit parvum iter, nulla tractare negotia &c. quòd si dùm convaluit, est complexionis adeò debilis, ut nequeat sine periculo magna tractare, interdicuntur omnia, ex quibus timetur relapsus: & ita Confessor, spiritualis Medicus, huic pœnitenti explicet vim litteralem illius dicti Luc. 10. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores; adhùc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ubi verò in vim illius præposuit Deum suprà se, sed adhùc est debilis, utatur prudentiâ, quam insinuat S. Thomas suppl. q. 3. a. 1. ad 4.; ut non tentet illum ad actus voluntatis expressos, quibus declaret in particulari se subiturum hanc, vel illam pœnam potiùs, quàm reincidere in tale peccatum, ratione

timoris, nisi esset in occasione proximà, quàm nequit alitèr declinare, sed prohibeat tractare negotia, in quibus illum facilè vincet timor mundanus, ut exercere officium Judicis, in quo deflectit à justitià ob timorem Principis. Inducet etiam, ut deserat patriam sub Hæretico constitutam Principe, cujus timore peccat contrà fidem &c. si opus fuerit.

6. D. Adsunt nè aliquæ propositiones prohibitæ circà Virtutem Spei, Donum timoris, & peccata illis opposita?

M. Circà præceptum affirmativum eliciendi actum Spei, extat prima Alexandri VII. Circà ejusdem actus bonitatem moralem extat 10. Alexandri VIII.; & 13. Porrò circà Timorem servilem extat 14. & 15. ejusdem Alexandri VIII.

CAPUT XI.

De Charitate, & ejus Objecto.

1. CHaritas est tertia, & suprema virtus Theologica, imò finis omnium virtutum, sive Cardinalium, sive Theologicarum. Sed & cujuscunque Confessarii finis primarius debet esse, ut illam introducat in animam suorum Pœnitentium, sive Judicis, sive Medici, sive Doctoris munus exerceat, quà proptèr de illà debet sibi comparare judicium rectissimum, primò per connaturalitatem, exercendo actus excellen-

lentissimos ejusdem, inter quos non infimum locum habet patienter adsistere Confessionali ad tollendas animas de potestate tenebrarum, & transferendas illas in regnum Dei: secundò per rationis inquisitionem, cognoscendo maximè naturam charitatis, objecta, actus, præcepta, & peccata illis opposita. S. Thomas agnovit hanc necessitatem in quocunque Theologo; propterea agit de illâ fusissimè à q. 23 ad 47.; à quo nos seligemus magis necessaria præparanti se ad confessiones, ut circà illam formet secundam præmissam syllogismi operativi, seù conscientiam, & rectum dictamen rationis ad concludendum, quando aliqua actio sit verus actus charitatis, quando sit elicienda, ergà quos &c. Porrò majoris claritatis gratiâ sunt hæc agenda capitibus distinctis.

2. D. Quia nomen importat definitionem, seù essentiam rei, via facilior ad investigandum aliquid mihi videtur, explicando ipsum nomen, ex cujus primà explicatione videbo insubsistentiam nonnullarum propositionum communiter à Casuistis traditarum, & olim etiam à me defensarum. Igitur quid venit nomine Charitatis?

M. Primò venit habitus à Deo infusus in voluntate, ut est concupiscibilis, vi cujus habitus, postquam intellectus cognovit Deum esse summum bonum, voluntas inclinatur ad illum sub hac ratione amandum per actus suo loco enumerandos. Quòd debeat esse habitus, adducit ratio-

nem S. Thomas hìc q. 23. a. 2. quòd debeat esse in voluntate q. 24. a. 1. & non in essentià animæ 1. 2. q. 110. a. 3. quòd debeat esse in voluntate, ut concupiscibili, quia distinguitur à Spe receptà in Irascibili. Hæc omitto, quia non omninò necessaria Confessori. Secundò, nomine Charitatis, venit actus, qui est proprius prædicti habitus, sive sit perfectus, hoc est, elicitus dependentèr ab habitu, sive imperfectus, qualis est, qui ut dispositio præcedit habitum juxtà dicta p. 1. c. 4. n. 12.

A S. Thomà q. 83. a. 3. ad 2. desiderare, quod præcedit orationem, & spem, expressè nominatur actus charitatis; nihilominùs magis communitèr nomine charitatis intelligitur actus perfectus procedens ab habitu præexistente: & ita sæpiùs accipit S. Thomas, præsertìm suppl. q. 9. a. 1. ubi admittit confessionem pœnitentis informem. Non est contrarius Tridentino docenti sess. 6. c. 6. amorem initialem Dei præcedere odium peccati (hinc multò magis confessionem) sed vult secundam partem Pœnitentiæ non præexigere, ut illam pœnitens ponat dependenter ab actu charitatis perfecto supponente habitum. Præparans se ad confessiones intelligat quæstionem, nec litiget de vocibus. Porrò amare est velle bonum, & amare amore amicitiæ est velle alicui bonum propter se.

3. D. Quod est objectum charitatis?

M. S. Thomas q. 25. a. 12. ex S. Augustino ponit quatuor diligenda amore charitatis. *Quæ sunt supra nos: quæ sumus nos: quæ sunt juxtà nos, & quæ sunt*

sunt infrà nos. Suprà nos est Deus: Nos est anima nostra: Juxtà nos est proximus noster: Infrà nos est corpus nostrum: Deus est amandus, ut principium nostræ beatitudinis æternę, non ita, quòd hæc ratio sit motiva charitatis; amicitia enim perfecta non respicit Deum, quia est mihi bonus, sed quia est in se bonus; estò tamen ratio motiva ad amicitiam perfectam non debeat esse Deus ut principium mihi beatitudinis æternę, amor charitatis in Deum, debet in me sequi ad actum fidei, per quem cognosco Deum mihi fore principium beatitudinis æternæ. Ita Tridentinum sess. 6. c. 6. nàm cognitio fidei, ad quam sequatur justificatio, describit esse fidem, quà credamus *vera esse, quæ divinitùs promissa sunt*. Igitur charitas omninò perfecta procedit per cognitionem, quæ cognoscit duas saltem rationes in Deo, alteram, quòd est bonus in se; alteram, quòd est bonus nobis per beatitudinem æternam; Utraque relucere debet in intellectu, sed prima tantùm habet movere voluntatem ad charitatem perfectam. Præparans se ad confessiones notabit hoc in confuso, & si accedant animæ quædam Mysticæ prætendentes amandum esse Deum, etiamsi non reluceat in illo secunda conditio, statim damnabit; ut verò securiùs illas ducat in posterum, profundiùs examinabit Doctores scribentes super verà Mysticà; quò clariùs detegere possit errorem, semper, & ante omnia sequens ipse ducatum Episcopi à Deo constituti, ut sit suarum ovium Magister, & Do-

ctor: proùt pluriès fuit dictum.

4. D. Quomodo est amandus Deus?

M. Deus est amandus supèr omnia, & in omnibus. *Super omnia* tamen appretiativè, non intensivè juxtà dicta p. 1. c. 13. n. 3. In omnibus autem, ita ut, *sive manducemus, sive bibamus, sive aliquid aliud agamus, omnia in gloriam Dei faciamus*, juxtà Apostolum 1. Cor. 10. & S. Thomam 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. & q. 100. a. 10. ad 2. Porrò caveat Confessor litigare, sive cum Pœnitentibus, sive cum aliis Theologis, & Confessoribus, an Apostoli verba sint tantùm de consilio, vel obligent sub veniali. Multi divertunt ad hasce quæstiones, non animo addiscendi, sed disputandi; unde nullus inde resultat profectus; & imò plerunque violatio charitatis Christianæ. Confessor igitur primò curet, sive in se, sive in pœnitentibus tollere omnia peccata mortalia; & erit sanè multum: secundò curet, quantùm potest, tollere peccata commissionis venialia ex suo genere: præsertim deliberata: tertiò: si adsit anima purior, apta, ut incitetur ad perfectionem dicti Apostolici, consulat Interpretes, & Classicos Theologos supèr illo, præcipuè Angelicum; Ulteriùs tamen sciat Confessor omnes actiones ex naturâ suâ bonas, & rectâ ratione regulatas esse per se ordinatas in Deum ratione operis; quare non indigent referri per actualem relationem operantis; unde vides solùm actiones de se indifferentes per operantem esse ordinandas in Deum; & sic esset summa felicitas, si nullum

aliud

aliud esset in mundo peccatum, nisi hoc venialissimum, quòd non referrentur in Deum, actiones hujusmodi per se indifferentes, quæ aliàs sunt pauciſſimæ: nàm, si benè consideres, comedere, bibere, dormire, ambulare &c. propter necessitatem, sive utilitatem corporis, sunt actiones bonæ ex naturà suà, & si ob dictum finem fiant, sunt meritoriæ in Justo. Confessor ergo non illas culpet, sed excessum, si adsit; & si invenit animas puriores timentes in his Deum offendere, curet, ut totiès dictum est, quòd se accusent, si quid excesserint, ob rationem dictam p. 1. c. 32. n. 8. S. Thomas.

5. D. Dixisti, quòd in Deo, ut objecto charitatis, relucere debeat illum esse fontem beatitudinis; & non esse amandum sub hac ratione, quia est fons beatitudinis; quid ergo faciam de infinitis, imò ferè omnibus pœnitentibus, qui accedunt ad sacramenta, moti ex amore Dei, ut fons est beatitudinis. Isti non videntur justificari?

M. Dixi, quòd charitas perfecta non movetur ex illà ratione, licèt consideret illam rationem. Charitas est amicitia, & amicitia triplex est: Utilis, Delectabilis, & Honesta: Omnes amant amicum propter se, ut finem proximum, non ut purum medium, sed tamen primæ duæ ordinant amorem, quo amant amicum, ad propriam utilitatem, seù delectationem: tertia verò neque amicum, neque amorem ipsum ordinat ad præmium (licèt aliàs speret præmium) sed & amici, & amo-

ris unicus finis est honestas. hæc tertia est amicitia perfecta: primæ duæ sunt imperfectæ, sed tamen veræ amicitiæ. Igitur pœnitentes, qui amant Deum propter se, sed ordinant hunc amorem, ut ex eo habeant præmium beatitudinis, si habeant alia requisita, justificantur, sed amicitiâ imperfectâ, à quâ semper incipiendum est. S. Thomas q. 23. a. 5.

6. D. Explicâ mihi secundum objectum charitatis quòd sumus nos ipsi?

M. Facilè dico, quòd post Deum debemus amare animam nostram; ut velimus illi beatitudinem æternam: ita ut velimus in alterâ vitâ Deo convivere, illo frui, & facere operationes consimiles divinis, quales sunt videre Deum, & amare Deum: Dei enim proprium est intelligere, & amare se, & debemus etiam velle operari hæc, dùm sumus Viatores, pro quanto possumus, cognoscendo Deum per fidem, & amando. S. Thomas q. 25. art. 4. & 7.

7. D. Explicâ mihi tertium objectum Charitatis, nempè, quòd est juxtà nos?

M. Intelligimus, quòd sit amandus proximus noster, seù quicunque potest nobiscum esse particeps æternæ beatitudinis in videndo, & amando Deum, sub ratione, sub quâ potest esse particeps: quare amandi sunt Angeli, sed non dæmones, aut damnati, quia hi nõ possunt esse participes. Amandi sunt inimici, & peccatores, non tamen sub hac ratione, ut sunt inimici, & peccatores: nàm sub

hac

hac ratione non possunt esse participes gloriæ, sed amandi sunt, quatenùs homines,& ut convertantur ab odio,& peccato. S. Thomas quæst. 25. art. 8. 10.& 11.

8. D. Explicà mihi quartum objectum charitate diligendum, nempè, quòd est infrà nos?

M. Est corpus nostrum, cui etiam debemus velle beatitudinem æternam in patriâ, secundum quòd est communicabilis corpori, non quidem ita, ut videat,& fruatur Deo, sed, quòd ex redundantiâ gloriæ in animâ, corpus habeat beatitudinem sibi convenientem. S. Thomas q. 25. a. 5.

9. D. S. Thomas ibidem a. 2. docet charitatem diligi etiam charitate; & a. 3. ponit etiam irrationalia posse diligi charitate; quare alia præter illa quatuor charitate diliguntur?

M. Nec charitati, nèc irrationali creaturæ volumus bonum beatitudinis æternæ, cujus non possunt esse participes; & ideò illa tantùm quatuor dicuntur charitate diligi, quatenùs illis volumus beatitudinem: S. Thomas dicit irrationalia charitate diligi, quia amans amicum, eodem amore diligit media, quibus conservatur amicus. Charitatem verò charitate diligi, est certum, quia diligere charitatem, est actus virtuosus, nec alteri virtuti potest assignari, quàm charitati. Sciendum universalitèr ex S. Thomà 1. p. q. 87. quòd homo cognoscens aliquod objectum, v. g. parietem, eàdem cognitione cognoscit, antecedentia, & consequentia ipsum objectum (non tamen semper di-

stin-

ſtinctè) qui videt fumum, cognoſcit antecedentia fumum, ſcilicèt, eſſe ignem, eſtò non videat ignem, & conſequentia fumum, ſcilicet, denſitatem in aere à fumo cauſatam; & ita homo cognoſcens parietem, cognoſcit ſuam cognitionem (directè, non reflexè) cauſaſque cognitionis, nempè, habitum, ſi extat, potentiam intellectivam, & eſſentiam animæ: quæ omnia antecedunt, ſeù cauſant cognitionem: cognoſcit etiam conſequentia ad cognitionem, nempè, actum voluntatis, quo vult parietem, habitum virtuoſum, vel vitioſum, quo inclinatur ad volendum parietem, ipſam potentiam, quà vult &c. quòd dicitur de cognitione, dicitur etiam de volitione. Igitur amans Deum, eodem actu amat hunc ſuum amorem, & cauſam iſtius amoris, nempè, habitum charitatis, & gratiæ, tùm ſanctificantis, tùm actualis, & præ iſtis, quæ ſunt principium, quo amat, etiam amat ſe ipſum, ut principium, quòd amat; amatque ſe ipſum totum, ſeù, ſecundum omne, quod requiritur, ut ſit completus, & perfectus ad operandum, ſcilicèt, ſecundum omnes habitus virtuoſos, qui reddunt perfectum, aut facilè operativum. Ex quà ratione habes charitate diligi non ſolùm, charitatem, & gratiam, verùm reliquas omnes virtutes, quibus homo perficitur ad operandum. Porrò præparans ſe ad confeſſiones notet hanc doctrinam; Ruſtici enim accedentes ad ſacramentum Pœnitentiæ, rariſſimè cogitant reflexè de Deo, ſed ſolùm explicant ſe velle hoc ſacra-

crámentum, ut redeant in gratiam Dei; quare volunt, & amant gratiam Dei, per consequens ipsum Deum, & habent verum actum charitatis. Confessor igitur non illos turbet, requirendo, ut expresse Deum ament: ad hoc enim eriguntur difficile; Imò tutissimum est ab illis exigere alios actus faciliores, qui præsupponunt actum charitatis, ut, quòd percutientes pectus, ore, & corde proferant: *Misericordia Domine* &c. Ad hos enim facillimè excitantur, non ita ad merum amorem Dei.

CAPUT XII.

De Actibus, & Præceptis Charitatis.

1. D. QUot sunt actus Charitatis?

M. Actus Charitatis alii sunt interni tantùm: alii sunt externi, & sunt, qui actui interno conjungunt externum opus proprium Charitatis; primò loquemur de internis, & posteà de externis?

2. D. Qui, & quot sunt actus interni charitatis?

M. S. Thomas de illis agit à q. 27. ad 31. & qui scientificè illa cognoscere desiderat, debet attentè sæpiùs legere S. Doctorem. Hìc solùm explicabuntur, pro quanto opus est præparanti se ad confessiones. Igitur primus actus est sibi complacere de Deo, ut summè bono: secundus est desiderare

Deum

Deũ ſummè bonum: tertius eſt amor benevolentiæ, quo volumus Deo bonum propter ſe ipſum: Primi duo ſunt omninò imperfecti; nec juſtificant: qui enim deſiderat aliquid, nondum habet illud: de tertio plures ſentiunt, quòd juſtificat, ſed apertè contrarius eſt S. Thomas q. 27. a. 2. docens eſſe principium amicitiæ, & inſuper exigi, quòd illi actui conjungatur animus perpetuò, (quantùm eſt de ſe) convivendi Deo, & faciendi eadem opera divina, quæ ſunt cognoſcere, & amare Deum: quartus actus eſt gaudium, ſeù complacentia de Deo jàm poſſeſſo. Hùc pertinet voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum, per quam ſeſs. 6. c. 7. Tridentinum docet nos juſtificari. Quatuor hos charitatis actus exercere poteſt homo, & ergà Deum, & ergà proximum: poteſtque ergà proximum exercere illos, tàm circà bonum principale, quod eſt beatitudo æterna, quàm circà bona minùs principalia, quæ ſunt, vita, fama, res exteriores &c.

3. D. Eſt nè neceſſarium ad juſtificationem peccatoris, quòd hi actus charitatis tendant ſemper in Deum, & in proximum, an ſufficit, ſolus actus aliquando in Deum?

M. Ad juſtificationem requiritur, quòd prædicti actus tendant in quatuor objecta diligibilia, uti prærequiritur Fides in omnia revelata; tamen dictum eſt de fide, quòd objectum formale eſt unũ, nempè, revelatio divina facta Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſita, ſed objecta materia-

lia

lia sunt plurima, & horum aliqua tenemur credere explicitè, nempè, quatuor mysteria; sed reliqua semper creduntur implicitè, hoc ipso, quòd non excludantur positivè à ratione formali; imò si quis positivè aliquod excluderet, jàm neque crederet illa quatuor fide divinà, sed humanà ex dictis c. 1. n. 15. Hæc sunt applicanda charitati, & dicendum, quòd ratio formalis amandi, est unica, nempè, bonitas divina, ut fide cognoscitur fons beatitudinis æternæ. Materialia objecta sunt quatuor enumerata, & majoris claritatis gratiâ, distinguamus quintò gloriam æternam: sextò gratiam sanctificantem: septimò gratias actuales; octavò habitus virtutum consequentes ad gratiam sanctificantem &c. Hæc omnia igitur objecta materialia non est necesse, quòd singula diligantur explicitè, ita ut appareant singularitèr in cognitione, fidei præcedente amorem. Explicitè debemus ferri primò in Deum: secundò in nos ipsos: tertiò in gloriam: quartò in gratiam sanctificantem: Cætera diligimus implicitè, diligendo illa explicitè; & si positivè excluderemus inimicum, v. g. jam non esset illa dilectio charitatis. Reliqua tenemur explicitè diligere in casibus particularibus, in quibus non posset esse vera dilectio Dei, nisi etiam explicitè tenderemus in illa, v. g. teneor explicitè velle salutem æternam proximi, in casu, quo illa est in periculo, unde imminet necessitas; idem dic de bonis temporalibus &c. nec non universalitèr de omni proposito non peccandi.

Digitized by Google

4. D. Sunt nè præter prædictos quatuor, alii actus interni charitatis?

M. Sunt etiam alii duo: quintus est pax. Gaudentes de Deo statim volumus, & subordinari eidem, simulquè ordinare nos ipsos in nobis, & ergà proximum, ut tamen ille præcipit sub mortali (hoc enim sufficit ad charitatem) Hic etiam actus explicitè ordinat justum in Deum, & in se ipsum, quòad gloriam, & gratiam: Ordinat autem implicitè in proximum, nisi in casu, quo sit læsus particularitèr; tunc enim explicitè debeo velle cum illo concordiam, seù me ordinare in illum; Hic actus ordinans, seù hæc unio dicitur pax; & hi quinque actus equidem sunt specie diversi, sed ab unà virtute procedunt quia omnes respiciunt bonum, ut bonum: sextus est Misericordia, quæ in Viatore importat saltèm duos actus: alterum, quo tristor de malo, seù miseriâ proximi: alterum, quo in illum volo operari bonum, ut bonum, & simùl ut sublevativum talis miseriæ. Misericordia est habitus, & virtus distincta à charitate, quia tendit in illam rationem, *ut bonum est sublevativum miseriæ*, sed est subordinata charitati, adeò ut idem actus sit, & Charitatis, & Misericordiæ: Charitatis, quia respicit bonum: Misericordiæ verò, quia etiam respicit ut sublevativum miseriæ. Hic actus tendit solum in proximum in casu; & ideò tendere debet explicitè in particulares hìc, & nùnc indigentes.

5. D. Enumerasti actus interiores charitatis, enu-

enumerà nùnc actus exteriores?

M. Actus exteriores charitatis uno generico nomine vocantur beneficentia; & dividitur in quatuordecim species, quarum septem vocantur eleemosinæ corporales; aliæ verò septem eleemosinæ spirituales. Hìc non enumero singulas, quia habentur in *Instructione pro ordinandis* c. 11. n. 37. Videatur S. Thomas q. 31. 32. & 33.

6. D. Extat nè præceptum affirmativum charitatis obligans nos ad actus internos?

M. Utique extat, vi cujus tenemur ad quinque primos ergà Deum per se loquendo; primò: dùm pervenimus ad usum rationis: secundò: cum sumus in articulo mortis: tertiò: quinquiès, vel sexiès in anno. Et quidem complacentia, ac desiderium de Deo ex dictis c. 8. n. 2. præcedunt spem: De gaudio autem, per quòd delectamur in Deo inhabitante animam nostram per gratiam; ad evitandas omnes lites, dico me, nomine gaudii, intellexisse voluntariam susceptionem, aut conservationem gratiæ, ac donorum. Ad voluntariam susceptionem obligatur peccator, & ad voluntariam conservationem obligatur justus quinquiès, vel sexiès in anno.

7. D. Plures justi non videntur facere hos actus quolibet bimestri, & peccatores habituati non se accusant, quòd reliquerint prædictos actus?

M. Ob innumeras vitæ humanæ tentationes, impossibile est justum perseverare in gratiâ, nisi renovet hunc actum internum, quo velit perseverare

Digitized by Google

rare in gratiâ, vel similem. Peccatores autem habituati certè violant hoc præceptum, sed sufficientèr se accusant, si tempus explicant, quo perseverarunt in peccato. Hæc, meo videri, una fuit ratio, ob quam Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 15. vult pœnitentem interrogari *quam pridèm sit confessus;* & Confessores, qui de hoc habituatos non interrogant, non possunt scire numerum circumcircà peccatorum, quæ contrà præceptum affirmativum charitatis fuere commissa. Hanc porrò doctrinam quis fortè nusquam legerit, sed quia jàm supponitur hæc obligatio trium virtutum Theologalium, pro quinquiès, vel sexiès in anno, danda particulariter fuit regula, ut Confessor juxtà illam possit efformare conscientiam, & suam, & pœnitentis, nec non officium Judicis exercere in inquirendo numerum peccatorum.

8. D. Extat nè præceptum affirmativum pro eliciendo quinto actu charitatis, qui est Pax?

M. Extat eodem modo, sed actus ille subsequitur ordinariè ad gaudium: hoc enim ipso, quòd volo suscipere, vel conservare in me gratiam Dei &c. volo paritèr unionem, ac subordinationem meæ voluntatis ad divinam, mearum virium inferiorum ad superiores, & concordiam cum proximo, saltèm in iis, quæ sunt absolutè necessaria, ut conservetur in me gratia Dei.

9. D. Extatnè præceptum affirmativum eliciendi sextum actum internum charitatis, qui est Misericordia?

M. De

M. De actu externo Misericordię loquemur posteà: nùnc autem loquimur de actu tantùm interno; qui duos comprehendit, alterum tristitiæ de miseriâ, alterum sublevationis miseriæ. Hos ergà Deum habere non possumus. Explicitè non tenemur ergà omnem proximum ex dictis n. 4. quando ad particulares teneamur explicitè, dicetur infrà. Neque ergà corpus nostrum tenemur explicitè; Restat ergo, ut teneamur ad hos duos actus ergà nos ipsos, quando sumus in miseriâ, & tenemur eodem tempore, quo dictum est n. 6. Miseria est peccatum mortale; & ita tenemur tristari, seù odire illum. Actus sublevativús hujus miseriæ est amor Dei, seù voluntaria susceptio gratiæ: quare, cum sumus peccatores, tenemur hoc modo misereri nostri prædictis tẽporibus juxtà illud Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

10. D. Extat nè præceptum affirmativum, per quod obligemur ad actus externos charitatis, seù misericordiæ in proximum?

M. Ex quatuordecim operibus Misericordiæ, in omnem proximum potest exerceri sola decima quarta, quæ est *Orare pro vivis, & pro mortuis.* Quia verò non tenemur per actum internum tendere explicitè in omnem proximum, ita neque tenemur tendere explicitè per actum externum: quia in actu interno tenemur explicitè non excludere proximum, ita in actu orationum communium tenemur explicitè non excludere ullum proximum.

11. Extatnè præceptum affimativum charitatis, seù Misericordiæ, per quòd obligemur aliquando ad aliquem proximum?

M. Dictum est ex S. Thomâ c. 11. n. 3. charitate diligi non solùm quatuor objecta materialia, sed etiam media, quibus aliqua ex illis possunt pertingere ad finem beatitudinis æternæ; & ex regulâ stabilità p. 1. c. 34. n. 6. sub mortali obligamur non modò ad charitatem, sed ad ea etiam, sine quibus non potest stare charitas. Adde ex S. Gregorio, quòd *Probatio dilectionis exhibitio est operis*: unde colligis non solum nos obligari ad amandam, & volendam proximi beatitudimem, sed ad volendum ea, sine quibus non posset proximus habere beatitudinem, nèc solùm ad volendū ista, sed etiam ad ea exteriùs exhibenda, per actus externos charitatis. Ad beatitudinem requiruntur & media corporalia, & media spiritualia. (Nùnc loquemur de spiritualibus;) & ideò sunt septem eleemosinæ spirituales: Ubi est in necessitate proximus, eas tenemur exhibere. Necessitas autem in hisce spiritualibus est, quòd probabilitèr speretur emendandus. Ita Christianus videns alium ignorantem necessaria ad salutem, sub mortali tenetur illum instruere, si probabilitèr sperat fructum. Ita sub iisdem conditionibus dare bonum consilium. Ita tenetur corrigere delinquentem &c. Circà quam nihilominus correctionem fraternam ex S. Thomà q. 33. primò notetur esse ponendam: *Si peccaverit in te frater tuus*: non igitur si

pec-

peccaverit in publicum; præsertim contrà fidem: secundò: ex meà correctione debet sperari probabilitèr emendatio; & propterea est facienda non tempore, quo delinquentis ira fervet, sed ubi animus est omninò sedatus: tertiò: si fui frustratus spe emendationis, & adhùc sperem, quòd emendabitur correptus in præsentià duorum, vel trium testium, debeo ita corripere; quòd si ulteriùs frustèr hac spe; sed sperem emendandum correptione superioris, omnium ultimò debeo recurrere ad Ecclesiam, seù Superiorem. In quocunque casu desit spes emendationis, non teneor uti medio, ex cujus positione non possum sperare emendationem: quartò: ubi adsit hæc spes, inferior tenetur corripere superiorem; & è contrà superior inferiorem, non ut superior, sed ut frater: nàm ut superior debet procedere per scientiam publicã, hoc est, per depositiones apud Notarium &c. cum concessione defensionum &c. peccantque Superiores, maximè Regulares, qui alitèr procedunt, & delictum subditi amici, etiamsi depositum juridicè, gravissimumque, curant tegere, absq; ullà emendatione, imò fortè foventes aliquando suà tolerantià. Delictum verò à subdito minùs benè viso ex fragilitate commissum, faciunt publicum, etiamsi non adsint publicæ depositiones, & statìm procedunt ad castigationem per pœnas canonicas, non ad emendationem delinquentis. Hæc omnia consideranda sunt in actibus externis eleemosinarum spiritualium.

12. D. Extat nè præceptum affirmativum exercendi actus externos eleemosinarum corporalium?

M. Extat etiam hoc præceptum; quia enim vita proximi est medium, ut ille consequatur beatitudinem, ubi nequit illa conservari, obligamur sub mortali ad eam conservandam eleemosinis corporalibus; & quidem si sit in extremà necessitate, tenemur subvenire etiam de iis, quæ superfluunt ad necessitatem nostri, aut nostrorum; si verò non sit in extremà necessitate, tenemur illi subvenire de superfluis nostro statui. Quomodo autem sit judicandum hìc, & nùnc esse superfluum statui, videatur S. Thomas quæst. 32. a. 5. & 6.

12. D. Ex vi hujus præcepti obligamur nè ad faciendum eleemosinas de illicitè acquisitis?

M. Regula stabilita numero præcedenti est universalis; & nihilominùs pro instructione præparantis se ad confessiones adhùc distinguendum est: aliqua enim dicuntur illicitè acquisita, eo quia cum peccato acquiruntur, sed tamen justè acquiruntur, ut est meretrix, quæ peccat quidem, sed non contrà justitiam. Ista lucrum facit suum: qui promisit, & aliàs potuit promittere, pretium non excedens, ante peccatum tenetur rescindere contractum, sed post peccatum tenetur solvere. Idem dic de quibusdam ludorum contractibus, quos quidem Princeps prohibuit, sed non irritavit. De his acquirens tenetur in prædictis casibus, & univer-

Digitized by Google

versalitèr potest facere eleemosinam, excepto, quòd ob reverentiam sacrorum, Ecclesia prohibuit, ut hujusmodi lucra offerrentur ad altare; quando publicè scitur ex tali lucro procedere oblationes pro missà &c. meretrixque perseverat in tali lucro. Alia dicuntur illicitè acquisita, eo quia acquiruntur contrà justitiam, & contrà leges irritantes omninò talem contractum: v.g. promisi centum Petro, si hostem occideret, & occidit: Id est contrà justitiam, & contrà leges Principum irritantes hujusmodi contractum. Promisi centum Petro, si mihi obtineat beneficium (in quo committitur Simonia) Promisi centum Petro, si mihi obtineat gratiam etiam temporalem, à Sede Apostolicà. Leges irritant hosce contractus, & super ultimo extat constitutio Alexandri VII. renovata per Innocentium XII. videnda omninò à Confessoribus Urbis, quia specificat multos casus particulares, quare in illis, & similibus, qui promisit, invalidè omninò recipit beneficium, & gratiam etiam temporalem, & qui accepit, non potest retinere sibi, sed tenetur erogare pauperibus. Adsunt Theologi universalitèr asserentes idem de omni contractu contrà justitiam ex eo principio, quia injustitia non potest fundare justitiam: quare volunt obligari Judicem ad erogandum pauperibus, quidquid accepit ob ferendam sententiam injustam. Similitèr qui committunt adulterium, vel stuprum, imò, & Religiosi sacrilegè peccantes contrà Castitatem, ita ut accipien-

pientes pretium nequeant sibi retinere. Certè fundamentum ita sentientium est solidum: & unica fortè via eliminandi tot adulteria, stupra &c. quæ nimis hodie regnant, esset, si Superiores præsertim Ecclesiastici, & Regulares, irritarent hujusmodi contractus, cogerentque ad restituendum pauperibus adulteras &c. quidquid receperunt in pretium adulterii &c.

13. D. Vellem scire, an Ecclesiastici specialitèr teneantur ad eleemosinas: etenim multi, etiam spiritualiores, paucas faciunt?

M. Hoc est judicium temerarium. Ecclesiastici obedientes illi præcepto Luc. 11. *Quod superest, date eleemosinam*, obediunt, & alteri, Matth. 6. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* In genere autem circà illos ex S. Thomà q. 185. art. 7. Confessor hęc habebit in promptu: primò: distinguet bona patrimonialia à bonis Ecclesiasticis; de illis tenetur juxtà dicta n. 11. de his secundò Clericus est dispensator, non dominus; quare tenetur ad rectam administrationem ex justitià: tertiò: etiam si habeat pingue patrimonium, vivere potest de redditibus Ecclesię, relicto consanguineis patrimonio: quartò: in Ecclesiis, ubi portiones non sunt distinctę reddituum, quatuor faciendæ sunt partes: prima pro Episcopo: secunda pro Clericis: tertia pro reparatione, aut ornamentis Ecclesiæ: quarta pro pauperibus: quintò: ut in praxi cognoscat, an portiones hę sint divisę, consideret, si proventus sui beneficii sint multò amplio-

pliores reliquis, si in urbe sint seminaria, hospitalia, & donus hujusmodi: ubi enim desint pro amplitudine civitatis, erunt indistinctæ portiones: sextò: si sint indistinctè, ex S. Thomà *ad restitutionem tenetur* Beneficiatus dans consanguineis, non pauperibus: septimò: non satisfacit proprio muneri Ecclesiasticus hauriens pingues redditus à beneficio, quod tamen sinit ruinas minari, & miserrimè incolas vivere, ut alibi extruat insignes Ecclesias: octavò: congruum est, ut, cæteris paribus, respiciat ad pauperes. Horum alii sunt voluntarii, & Deo inservientes: alii Religionem Catholicam disseminant inter hæreticos, & infideles: alii sunt in discrimine abnegandi fidem, ut captivi Turcharum, vel ruendi saltèm in mille scelera &c. Confessor autem suo Pœnitenti Benefitiato non ostendat tantùm obligationem erogandi eleemosinas, verùm & doceat, in quos horum pauperum utiliùs erogentur eleemosinæ.

CAPUT XIII.

De Sapientiæ Dono correspondente Charitati.

1. DE hàc S. Thomas q. 45. Distinguitur à scientia, quia hæc judicat de rebus per causas proximas, ut dictum est c. 3. n. 6. Sapientia verò est judicium, sive speculativum, sive practicum, quo homo judicat de re-

bus per causam altissimam, nempè, Deum. Justus judicans hìc, & nùnc sibi esse comedendum, ut conservet vitam, & proficiat in gratià, habet judicium doni Scientiæ. Justus judicans hìc, & nùnc sibi esse comedendum, quia Deus id præcipit, judicat per donum Sapientiæ. Doni Sapientiæ actus perfectus est illud judicium, quo judicamus Deum esse amandum, ut summum bonum, & ad quod immediatè sequitur actus perfectus charitatis. Hinc præcedens syllogismus est hujusmodi. *Quando instat obligatio amandi Deum, est amandus, quia summum bonum; sed hìc, & nùnc instat hæc obligatio, ergo hìc, & nùnc est amandus, quia summum bonum.* Prima universalis præmissa est actus speculativus doni Sapientiæ: secunda est conscientia, seù dictamen rationis formatum ex regulis charitatis: conclusio est judicium spectans ad ipsam virtutem charitatis. Ad hunc syllogismum sequitur judicium practicum, seù præceptum intellectus, quo dicit, *fac hunc actum charitatis ex eo motivo, quia Deus summè bonus est.* Hoc judicium in virtutibus Cardinalibus est actus Prudentiæ, sed in Theologalibus, quæ fundantur in Deo, est actus doni Sapientiæ, & actus quidem perfectus, quia sequitur infallibilitèr ad ipsum perfecta charitas. Simile judicium præcedit fidem, quia priusquam actu credam, judico mihi esse credendum, quia Deus revelavit Trinitatem Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc mihi proponitur, quod est judicium speculativum; deinde post syllogismum sequitur judi-

cium

cium practicum. Etiam præcedit utrumque Spem; nam speculativè, & practicè judico sperandam esse beatitudinem, quia Deus est Omnipotens, & Misericors. Judicia tamen præcedentia fidem, & Spem, non sunt actus perfectus doni Sapientiæ, sed judicia solùm immediatè præcedentia charitatem: sola enim hæc judicia ordinem habent ad voluntatem, ut perfectè quiescat in Deo.

2. D. Qui fructus, & quæ beatitudo correspondent dono Sapientiæ.

M. S. Thomas q. 45. a. 6. ponit Sapientiæ dono correspondere septimam Beatitudinem: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Dixerat autem q. 9. a. 4. ad 1. quòd fructus correspondentes dono Sapientiæ sunt gaudium, & pax.

CAPUT XIV.

De peccatis contrariè oppositis Charitati, & Dono Sapientiæ.

1. DE his agit S. Thomas à q. 34. ad 47. Peccata opposita charitati Dei reducuntur ad duo genera, nempè, Odium Dei, & Acidiam. Odium, quod est velle malum, includit tres actus specie diversos: primum oppositum complacentiæ, & est tristari de bono divino, quatenùs est bonum ipsius Dei: secundus opponitur desiderio, quòd Deus habeat bonum,

& est

& eſt deſiderare malum Deo: tertius opponitur gaudio de Deo, & eſt delectari, cum apprehenditur Deus habere aliquod malum. Vix committi poſſunt hujuſmodi peccata, & nihilominùs, quando committerentur, ad integram confeſſionem eſſet explicandum, de quo Dei attributo triſtaremur, vel quod Deo malum deſideraremus; explicandum, ſi triſtarer, quòd eſſet juſtus, vel miſericors &c.

2. D. Quid eſt Acidia, quam dixiſti ſecundum genus peccatorum charitati Dei oppoſitorum?

M. Quando triſtamur de bono, quod in ſe Deus habet, eſt odium, ut diximus. Acidia verò eſt triſtitia, per quam triſtamur de bono divino, quod relucet in ſerviendo illi, & faciendo opera bona, homini laborioſa. Præparans ſe ad confeſſiones, præſertìm pro examine Romano benè diſtinguat. Poſſum triſtari de opere bono, quia laborioſum eſt mihi, v.g. de recitatione Roſarii. In hoc caſu Acidia non eſt prohìbita per ſe, ſed per accidens, juxtà dicta p. 1. c. 38. n. 16. quare Confeſſor non ſtatìm damnabit pœnitentem peccati, ſed videbit primò: an omiſerit illud opus: ſecundò: an illud opus fuerit præceptum: tertiò: ſub quo præcepto ſit ìnjunctum, an veniali, an mortali: quòd ſi non omiſerit, ſaltèm an habuerit voluntatem deliberatam omittendi: quintò: ſi res fuerit præcepta ſub mortali, v. gr. divinum officium; videbit nùm res præcepta admittat parvitatem materiæ, ut eſt divinum officium; tùnc enim in-

par-

parvà quantitate non erit mortale peccatum: sextò: in tali casu non est necesse, quòd pœnitens accuset se omisisse opus illud ex tædio laboris, sed sufficit, quòd accuset se omisisse dictum opus: septimò: Confessor interrogabit ultimam speciem peccati, ut si ad jejunium omissum obligabatur ex voto, an ex præcepto Ecclesiæ &c. secundò: possum tristari non de opere bono, quia laboriosum est, sed de opere laborioso, quia bonum, seù divinum est, ita ut mihi displiceat, quia tendit in gloriam Dei: Hoc est propriè peccatum Acidiæ per se prohibitum, & mortale ex genere suo, juxtà dicta p. 1. c. 34. num. 6. non admittens parvitatem materiæ, adeò ut si ex eo motivo solùm omittam invocare nomen *Jesu*, sit mortale peccatum, estò nullam aliàs haberem obligationem invocandi, dummodò talis tristitia sit voluntaria, & deliberata. Si obligatus v. g. ad officium, illud omitto ex illo motivo, tùnc committo duplex peccatum; aliud Acidiæ contrà Charitatem, aliud omissionis contrà religionem; & utrunque tenetur distinctè pœnitens explicare; imò etiam tenetur explicare bonum opus, quod omisit: aliud enim est specie peccatum, si ex tædio omittam communicare, vel orare &c. Aliud etiam est, si ex tædio subordinationis ad Deum, nollem habere actum pacis. Hic enim actus esset directè, & per se oppositus paci. Hæc sunt peccata per se opposita contrariè charitati Dei.

3. D. Examinatores Romani volentes hasce spe-

ſpecies accuratè diſtingui ab approbandis, non ſunt ſanè ita barbari ut ſupponebàm; video nùnc, quòd gravarent ſuam conſcientiam, ſi alitèr procederent: nàm Confeſſores non ita edocti negligerent in Confeſſionali interrogare hujuſmodi ſpecies, cum ingenti damno pœnitentium. Procede jàm ulteriùs explicando, cur Acidia dicatur vitium capitale, & quæ ſunt illius filiæ?

M. Ex S. Thomâ q. 35. a. 4. dico Acidiam eſſe vitium capitale, quia ad evitandam triſtitiam in operando, multa peccata committuntur; quę propterea dicuntur oriri ex Acidia, tanquam ex capite, ſeù principio: Sex ſunt illius filię (in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 19. per inadvertentiam relictę sũt primę duę) *Malitia*, *Rancor*, *Puſillanimitas*, *Deſperatio*, *Torpor circà obſervantiam præceptorum*, & *Evagatio mentis circà illicita*. Malitia eſt deteſtatio bonorum operum: quare eſt genus complectens in ſe omnia opera bona, pertinebitque ad illam virtutem, cujus opera deteſtamur, v.g. injuſtitiæ, odii &c. Rancor eſt deteſtatio perſonarum, quæ nos incitant ad bonum, ut Confeſſarii, Concionatoris, Parochi &c. eſt etiam genus, & explicandum erit in confeſſione, ſi ſit deteſtatio ejus, quem obligamur audire ex juſtitiâ, ut Parochus &c. Inſuper opera, propter quæ illum deteſtantur audire circà myſteria fidei neceſſaria &c. nèc dabitur parvitas materiæ, ſi odio habentur, ut Miniſtri Dei, in nos excitando. Puſillanimitas eſt, ſpecies peccati oppoſita Magnanimitati, & de illà ſuo loco.

co. Deſperatio eſt contrà ſpem. Torpor eſt genus peccati; & eſt in illà ſpecie, cujus præceptum omittimus. Eodem modo eſt genus peccati Evagatio mentis &c.

4. D. Quot ſunt peccata, quæ S. Thomas enumerat, ut contrariè oppoſita charitati proximi?

M. Sunt novem: primò: Odium dilectioni oppoſitum: ſecundò: Invidia oppoſita gaudio: tertiò: Diſcordia oppoſita paci, ſeù Concordiæ internæ: quartò: Contentio oppoſita Paci quòad verba: quintò: Schiſma: ſextò: Rixa: ſeptimò: Seditio: octavò: Bellum: omnia quatuor oppoſita Paci; quòad opus; & ſchiſma renuit pacem cum membris Eccleſiæ. Rixa renuit pacem cum alio privato: ſeditio renuit pacem una multitudo regni cum aliâ ejuſdem regni: Bellum renuit pacem unus Princeps cum alio. Nonò: ſcandalum opponitur actui externo charitatis, hoc eſt, Beneficentiæ, ut dicetur infrà. Hæc novem peccata ex genere ſuo ſunt mortalia, utpotè oppoſita charitati.

5. D. Fortè nonnulli ex hac brevi notitiâ hujuſmodi peccatorum, ſe credent ſufficientes ad audiendas confeſſiones; imò aliqui datà operà emunt ſibi libellos, unde illa in compendio aſſumant, aſſumptaque cum parvo ſtudio, ſtatim ſe ſubiiciunt examini; ſed mihi ſuper hoc magnum ſcrupulum iniicit Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 7. quòd Confeſſor, quantam maximam poteſt, debeat habere ſcientiam: quare peto de ſingulis vi-

tiis

Digitized by Google

tiis singularitèr instrui, ita tamen ut omittantur casus disputati inter Doctores, super quibus dixisti sæpiùs, non interrogari approbandos. Igitùr propone tantùm necessaria Confessori ordinario: & primò circà odium proximi.

M. Odium est velle malum proximo; quod ex dictis n. 1. est in triplici specie: primò: si trister de bono proximi, ut est illius bonum: secundò: si delecter de malo, sive quod actu habet, sive quod imaginor illum habere, v.g. quòad primum, audio meum hostem fuisse occisum: quòad secundum: imaginor, quòd meus famulus invadit, occiditque hostem, & gaudeo in hoc: tertiò: si desiderem proximo malum. Ulteriùs etiam ex regulà generali stabilità p. 1. c. 31. erit intentio, si intendam proximo malum, & electio, si eligam media, ut illi noceam &c. S. Thomas q. 34. a. 3. In omnibus autem his peccatis Confessor interrogabit à pœnitente speciem ultimam, ut si malum volitum sit contrà famam, contrà bona corporis &c. Insuper, quia dictum est c. 12. n. 5. quatuordecim eleemosinas differre singulas inter se specie, Confessor interrogabit pœnitentem non solùm, quando omittit eleemosinam, sed etiam quando peccat contrà illas peccato commissionis, ut si imaginans Petrum indigere cibo, positivè dicerem *Nolo illi subvenire*. Idem dic de reliquis, & præcipuè de singulis eleemosinis spiritualibus.

6. D. Hæc omnia verè Confessor debet inquirere, ut satisfaciat Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 19.

sed

ſed explicà jàm mihi ſecundum peccatum gaudio oppoſitum, & vocatur Invidia?

M. De Invidià S. Thomas q. 36. eſt triſtitia; quæ triſtitia cum ſit paſſio, ex dictis p. 1. c. 32. n. 3. non eſt peccatum, niſi Confeſſor interroget pœnitentem, de quo triſtatus fuerit, & quo fine. Poſſum triſtari de bono, ſeù de victoriis Turcharum, quia ſunt in damnum religionis; hæc triſtitia eſt virtuoſa; ſecundò: poſſum triſtari de bono Petri, quia nollem, haberet tale bonum; hoc ex dictis n. 5. eſt odium, quia eſt contrà perſonam; tertiò: poſſum triſtari de bono Petri, quia illo eſt indignus: ſi triſter aliquem fuiſſe juſtificatum, quia erat indignus, eſt maximum peccatum in Spiritum Sanctum, nempè, Invidentia fraternę gratiæ ex dictis c. 4. n. 12. Idem dic de triſtitià reliquarum virtutum: Deus enim, & juſtificando, & infundendo illas, de indignò reddit dignum. Idem dic de gratiis gratis datis, ut, ſi quis faciat miracula: nàm hæ non dantur ob meritum recipientis, cum peccatores poſſint facere miracula, ſed ob utilitatem Eccleſiæ. Porrò hęc, eſtò non appareat hìc, & nùnc, nota tamen eſt Deo. Non eſſet mortale peccatum, ſi triſtarer; quia Petrus abutitur beneficio Eccleſiaſtico, redditibus, juriſdictione, amicitià, boniſque aliis temporalibus: etenim triſtitia tùnc eſt de malo uſu; ſed tamen perfectæ charitatis eſt, orare Deum, ut ex malè utent faciat benè utentem: & ad hanc Confeſſor excitabit efficacitèr Pœnitentem: tertiò: videns Petrum habere

habere bona, possum tristari, non quòd ipse habeat, sed quòd non habeam ego: & si sint virtutes, hæc tristitia dicitur Zelus, quo tristor me non esse virtuosum, ut est Petrus: si sint bona temporalia, & inordinatè appetantur, erit avaritia: quartò: possum tristari de bono Petri, quia illud in Petro apprehendo, ut diminutivum meæ excellentiæ. Displicet mihi, quòd Petrus obtinuerit pingue beneficium, eo præcisè, quia ego non habeo majus, vel æquale: hoc est propriè peccatum Invidiæ.

7. Erubui numero tertio, quia ignorabam filias Acidiæ, videns me Sacerdotem ignorare, quæ pueri debent addiscere in doctrina Christianà: &adivi statim *Instructionem pro ordinandis* cap. 12. num. 16. ut addiscerem filias Invidiæ, sed quia ibi non assignas virtutes, quibus opponuntur, aspirans toto nisu audiendis confessionibus, desidero id scire, quia utilissimum est Confessori?

M. Fateris legisse Instructionem, sed integram sanè non legisti: nàm Appendicis cap. 7. num. 5. extat contrà aspirantes toto nisu audiendis confessionibus, illa increpatio Augustini: *Otium sanctum quærit charitas: quam sarcinam si nullus imponat, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, sustinenda est propter charitatis necessitatem:* ego tamen indulgeo tibi ex illo principio Sancti Thomæ 2. 2. qnæst. 10. art. 11. quòd aliquandò potest per-

permitti minus malum pro consequendo majori bono: quare permitto vehemens hoc desiderium, ut inflammeris ad continuum studium Theologiæ Moralis. Quod ais in prædictà Instructione non fuisse insinuatas virtutes, quibus opponuntur filiæ Invidiæ, factum est jure; nàm ibi instruuntur Tonsurandi, quos Tridentinum obligat solùm scire doctrinam Christianam: Lacte illi sunt nutriendi, non escà, quæ tamen debetur Confessori obligato plura scire. Hinc jam dico, quòd filiæ Invidiæ sunt quinque: *Odium*, *Susurratio*, *Detractio*, *Gaudium in adversis proximi*, & *Afflictio in prosperis*. Odium ex n. 5. est genus peccati contrà charitatem. Susurratio, & Detractio sunt species contrà Justitiam, de quibus suo loco. Gaudium in adversis est propriè odium ex nu. 5. Affictio in prosperis, si est, ut hæc sunt diminutiva meæ excellentiæ, non est filia, sed ipsa Invidia mater: est filia, ut affligor, & conor impedire, nè consequatur illa prospera; eruntque explicanda in confessione media, quæ eligo ad impediendum. S. Thomas q. 36. a. 4. præsertìm ad 3.

8. D. Explicà tertium peccatum oppositum Charitati proximi, quod vocatur Discordia?

M. Ex c. 12. n. 4. pax dicit duas uniones nostri affectus, alteram ad Deum, & alteram ad proximum: hæc secunda sine primà, vocatur Concordia, peccatumque internum illi oppositum vocatur Discordia, peccatum charitati oppositum, & consequentèr ex genere suo mortale: quando te-

nemur concordare sub mortali. Erit diversum specie peccatum Discordiæ juxtà diversitatem eorum, in quibus discordamus, ut si filius discordet à patre, subditus à Principe, miles à duce, pœnitens à Confessario &c. Est speciale peccatum, si discordem animo, non tantùm facto. Discordat facto à patre filius, qui sub mortali aliquid obligatus agere, non agit; & tùnc in confessione sufficientèr se accusat, dicens non obtemperasse patri. At si formalitèr intendat deobedire, ut discordet ab ejus voluntate, tùnc committit duplex peccatum, aliud inobedientiæ, aliud discordiæ S. Thomas q. 37.

9. D. Explicà quartum peccatum Charitati proximi oppositum in verbis, & vocatur Contentio?

M. De Contentione S. Thomas q. 38. ex quo habes tùnc esse peccatum contentionis oppositum charitati, & ideò ex genere suo mortale; quando quis vel impugnat veritatem cognitam, vel defendit veritatem modis indebitis; & quidem impugnatio veritatis agnitæ est peccatum in Spiritum Sanctum, de quo c. 4. n. 12. In utroque possunt intervenire alia peccata: etenim si impugnat Hæreticus veritates Catholicas, jàm peccat etiam contrà fidem: si calumniis impugnetur, aut destruatur bona fama alicujus, erit contrà justitiam &c. si vera sint, quæ sparguntur, sed occulta, adhùc erit contrà justitiam, quia peccator occultus, habet jus ad propriam famam: si verò crimen sit pu-

publicum, tùnc firmatur veritas modo ſolùm à charitate prohibito, quæ non vult malum proximi; & ideò peccatum erit in ſolà ſpecie Contentionis; ſed hæc omnia, nè Confeſſor erret, prudentèr inquirat à Pœnitente.

10. D. Explicà quintum peccatum charitati proximi oppoſitum quòad opus, & vocatur Schiſma?

M. Schiſma, de quo S. Thomas q. 39. eſt, quando quis ſe dividit, ſeù ſeparat ab unione Eccleſiæ tàm gravitèr commendatà per Chriſtum; eſt graviſſimum peccatum, quia tollit maximum bonum; & fit duobus modis: primò ſi ſe ſeparet à Capite Eccleſiæ, nolens obedire Romano Pontifici, ex eo præcisè (formalitèr, vel virtualitèr) quia non vult ei ſubeſſe. Violans jejunium Vigiliæ renuit obedire Romano Pontifici, ſed ut ſatisfaciat gulę, non quia renuit eidem ſubeſſe, ideò non eſt ſchiſmaticus: ſecundò: ſchiſma committitur, ſi quis ſeparet ſe à communione reliquorum fidelium. Utrunque ſchiſma frequentèr eſt cum hæreſi: nàm ut palliet ſuam rebellionem, inducit ſe ad credendum, quòd Romanus Pontifex non ſit caput Eccleſiæ, vel quòd fideles non ſint vera Eccleſia; ſed tamen poteſt quis eſſe ſchiſmaticus, & non hæreticus: nàm ſubditus tenens in intellectu aliquem eſſe ſuum verum Principem, poteſt adhùc ab eo rebellare per voluntatem excitatam à judicio, quo hìc, & nùnc judicat illi non eſſe obediendum.

11. D. Explicà sextum peccatum charitati proximi oppositum quòad opus, & dicitur Bellum?

M. Bellum est, quando Princeps supremus renuit habere pacem, sive unionem civilem cum alio supremo, & ideò illum aggreditur militibus. Non semper est peccatum, quia Princeps constitutus, ut suorum offensas vindicet, potest etiam vindicare offensas in suum publicum illatas ab alio Principe, sicuti pœnà mortis vindicat suos, ita potest vindicare morte inimicorum. Quando est peccatum, directè violat charitatem, quia opponitur paci, sed involvit alias mille injustitias. Ut liceat, primò requiritur causa efficiens, quòd bellantes sint supremi Principes, non habentes tertium superiorem, ad quem recurri possit utrinque pro justitiâ obtinendâ: sine hàc conditione bellum est contrà justitiam legalem: secundò: debet indici ex causâ materiali licità. Duæ tantùm virtutes possunt honestate bellum: Justitia Vindicativa mali publici, & Religio; ut reparentur injuriæ illatæ illi, vel isti: nèc ardor extendendi dominium dat justam belli causam; & circà Religionis injurias, priùs judicare debet Romanus Pontifex, quòd tales sint, ut licitè possit inferri bellum: tertiò: causa finalis debet esse ad obtinendam pacem ex convenienti reparatione injuriarum: quartò: causa instrumentalis debent esse media aliàs licita: solùm enim uti possunt insidiis: non fraudibus. Fraudes, & insidiæ distinguuntur, quòd illæ sint

signum

signum per se deceptivum, non istæ. Fraude, & dolo fuit usus ille Dux, qui jurans inducias per triduum, primà nocte hostilitèr egit, causans deinde, quòd nomine dierum intellexisset lucem, non spatium viginti quatuor horarum, usus æquivocatione illius nominis cum dolo ex parte suà, & simplicitate pro parte adversarii. Sunt insidiæ, si Dux, exposità parte exercitus, reliquos milites occultet in sylvâ: nèc enim tenetur exponere: Ordinarius Confessor sciat hæc in confuso; nàm casus particulares non ita facilè poterit discernere nostris temporibus, quando innumeri scripserunt in favorem æquivocationum: ubi casus contingat, priùs attentè legat S. Thomam q. 40. a. 4. q. 110. & 111. ex quo callebit doctrinam de fraudibus, aut dolis mendacibus; curabitque semper audire sententias Ducum expertorum, qui tamen habeant magnum Dei timorem: quintò: se tenent ex parte causæ instrumentalis, personæ, seù milites, qui bellantur; & hę, ut bellum sit licitum, esse debent idoneæ. Ut dictum est, bellare convenit Reipublicæ: porrò non singuli de Republicà sunt apti ad officium, quod convenit multitudini. Respublica benè ordinata debet habere sutores, fabros &c. quorum officium dedecet Nobiles, & eos, qui destinati sunt gravioribus ministeriis. Respublica includit Clericos, quos, utpotè Mediatores Dei, & hominum, dedecet bellare contrà homines: quare hos Ecclesia declaravit ineptos bello. Poterit quidem indicere bellum Princeps

Ecclesiasticus habens gladium temporalem; sed sicuti potest præcipere, non exercere sutoriam per se, neque per primores in populo, ita potest præcipere bellum, sed non exercere per se, neque per Clericos, qui sunt primores in populo. Hæc circà Bellum; Porrò sicuti Princeps non agit de illo, nisi post maturum consilium,& Ducum,&Theologorum, ita non audeat Confessor ordinarius quicquam determinare circà illud particularitèr, nisi post diligens studium Doctorum; sed, & priusquàm consulat bellum, considerans innumera peccata, quæ oriuntur ex bello etiam licito, totus inclinet ad pacem.

12. D. Explicà septimum peccatum oppositum charitati proximi, & dicitur Rixa?

M. Rixa, de quà S. Thomas q. 41. est, quando unus absque auctoritate debità, insurgit in alium, vel pauci in paucos, violando pacem, seù concordiam. Si sit sine condicto, dicitur propriè Rixa: si verò ex condicto, cum designatione loci, & temporis, dicitur Duellum. Utrunque semper est conjunctum Injustitiæ: nàm vel offenditur proximus, vel exponitur periculo. Rixa (non ita Duellum) potest esse sine peccato ex parte illius, qui injustè invaditur, nèc potens fugere se defendit cum moderamine inculpatæ tutelę, ut dicetur de Homicidio. Confessor notet oriri semper ex contentione verborum; quare in confessione primò exquiret verba, & injurias illatas in famà; deinde damnum illatum in corpore, vel quod erat peri-

periculum inferendi, cum numero personarum, cum quibus, vel contrà quos rixando, cooperati fuimus peccato; quòd si unus fuit reliquis Author rixandi, tùnc iste non solùm cooperatur, sed est causa omnium peccatorum; & ita peccat in diversà specie; propterea debet id explicare.

13. D. Explicà octavum peccatum Charitati proximi oppositum; & dicitur Seditio?

M. Seditio dicitur, cùm ad violandam pacem, pars unius Reipublicæ insurgit in aliam, sive actu pugnet, sive præparet se ad pugnam (quæ duo distinguenda erunt in confessione) Importat non modò peccatum contrà justitiam commutativam, in damnificando compartem, sed etiam contrà justitiam legalem, quia tendit ad tollendas leges justas; sed est peccatum respectu solùm illius partis, quæ insurgit, non quæ defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ. S. Thomas q. 42.

14. D. Explicà nonum peccatum Charitati proximi oppositum; & vocatur Scandalum?

M. Peccata commissionis enumerata huc usque opponuntur contrariè actibus internis charitatis, & in Deum, & in proximum, restat considerare peccata contrariè opposita beneficentiæ, seù actibus externis Charitatis. Beneficentia in Deum non potest exerceri, quia bonorum nostrorum non eget. Reperitur tamen respectu Dei aliquid simile beneficentiæ in eo, qui quærit gloriam extrinsecam Dei; sed hæc extrinseca glorificatio

consistit in exercitio virtutum omnium, & ita peccata contrariè opposita huic glorificationi sunt singula peccata contrariè opposita singulis virtutibus: quòad charitatem in proximum Beneficentia habet ex dictis c. 12. num. 10. quatuordecim actus specie diversos, quorum septem sunt eleemosinę corporales, & septem spirituales. Utrisque dantur peccata contrariè opposita: Non pascere esurientem est peccatum omissionis; at verò peccatum commissionis est tollere alteri cibum, quo reddatur esuriens; eo ipso tamen quisque videt, quòd hujusmodi peccata commissionis sunt formalitèr contrà justitiam; quare tractanda sunt, ubi agetur de Justitiâ: quòad eleemosinas spirituales, debent etiam dari plura specie peccata contrariè opposita charitati proximi; sed, ubi sola violatur Charitas, omnia illa vocantur sub uno generico nomine *Scandalum*, de quo videatur S. Thomas quęst. 43. optimè distinguens scandalum activum, seù Phariſæorum, à passivo, seù Pusillorum.

15. Scandalum in genere est dictum, vel factum, proximo præbens occasionem ruinæ, seù mali spiritualis: dicitur occasio, non causa, quod notare debet Confessor, ut ritè suum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris exerceat: etenim imperio, suasione, consilio &c. causans in alio peccatum, non peccat solùm contrà charitatem, sed etiam contrà virtutem, ad quam violandam inducit, v.g. contrà Castitatem, contrà Justitiam &c. Hinc sequitur, quòd ut causa inducens ad

vio-

violandam justitiam, & ipse tenetur restituere. At verò, qui solùm suo malo exemplo inducit hominem ad peccatum, iste dicitur occasio peccati, & peccat solùm contrà charitatem: quare, si malo exemplo inducerem alium ad furandum, quia non lædo justitiam, non teneor restituere, quia restitutio est actus justitiæ. Confessor hæc omnia diligentèr inquirat, an solo malo exemplo pœnitens induxerit proximum ad furtum &c. vel etiam verbis &c. nàm hoc est necessarium, ut cognoscat speciem peccati, & ulteriùs, ut obliget ad restitutionem, quando pœnitens fuit causa injustitiæ, sed non si malo exemplo fuit tantùm occasio.

16. Scandalum debet esse occasio ruinæ data, non accepta. Dat occasionem murmurationum sæcularibus ille Confessor, qui quotidiè visitat fœminas pœnitentes, absque adsistentiâ Socii, tempore minùs congruo, vel plus debito, in die magni concursus detinet easdem ad confessionale, quamvis agat semper de rebus spiritualibus; Possunt etiam nonnulli aliquando scandalizari, quòd longior sit in audiendo confessiones, estò plus debito non insumat, & verè pœnitens indigeat toto illo tempore; hoc est scandalum pusillorum; sed si aliqui scandalizentur de veris actibus virtutum, posteà quàm sufficientèr innotuit virtuosè tales actus exerceri, tùnc erit scandalum Pharisæorum. Circà duplex hocce scãdalum videatur S. Thomas a. 6. 7. & 8. ubi docet, quæ bona temporalia, vel

etiam

etiam spiritualia sint dimittenda, ut evitetur scandalum pusillorum. Hìc ea non refero, quia Confessorii ordinario, in partibus Catholicorum, fortè nunquam continget, ut teneatur explicare pœnitenti, quæ debeat dimittere, ut evitet tale scandalum; & si casus contingat, poterit petere tempus, ut maturiùs studeat, consiliumque Doctiorum exquirat. Ubi autem opus hoc incideret in manus Missionarii, prævideat ex se casus, qui contingere possent in suâ missione, Superioriſque judicium authoritativum petat, ipsius etiam Congregationis de Propagandâ Fide, cujus Eminentissimi Cardinales, Apostolicâ verè patientiâ, & benignitate, solent audire hujusmodi dubia, & decidere cùm consilio principaliorum Theologorum de Urbe.

17. Scandalum, ut audisti n. 15. est genus peccati; quare Confessor, quò ritè suum munus exerceat Judicis, Medici, & Doctoris, in Confessionali debet inquirere speciem ultimam peccati: quæ desumitur ex ultimâ specie peccati, ad quam homo inducit malo exemplo; quare pœnitens interrogabitur, si induxit ad violandam castitatem, & in quâ specie; si ad violandam justitiam, & in quâ specie &c. Porrò quia ex dictis p. 1. c. 34. n. 9. differentia objecti materialis facit differentiam numericam, pœnitens interrogandus erit non solùm quotiès, verùm etiam quot scandalizaverit. Ulteriùs notetur ad praxim, quòd ego pluriès obligatus interrogavi adolescentiores incipientes peccare contrà castitatem, quomodo commiserint

miserint primùm illud peccatum, & nonnulli responderunt se inductos vel exemplo (quod est peccatum scandali) vel verbis perditorum (quod est esse causam) nusquam tamen audivi se accusantem de hoc peccato inductionis; ad quod non advertunt, nèc unquam sanè, ob malignitatem temporum, advertent, nisi seriò Confessarii, Concionatores, & Parochi docentes doctrinam Christianam, inculcent malitiam hujus peccati distincti, & ad illud eradicandum, virilitèr incumbant prudenti, sed efficaci monitione.

18. D. Explicatis peccatis contrà Charitatem, explicà peccatum Stultitiæ, quod est peccatum oppositum dono Sapientiæ?

M. De hoc peccato agit S. Thomas q. 46. & est, quando quis obligatus ad judicandum per altissimam causam, nempè, Deum, redderetur stupidus, ita ut non judicaret: v. g. dictum est, antequam eliciantur actus fidei, spei, & charitatis, hominem teneri ad judicandum, quòd sit credendum articulis, quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & per illam nobis: ad judicandum, quòd debeamus sperare, quia Deus est omnipotens, & misericors, ad judicandum, quòd debeamus amare, quia Deus est summè bonus. Igitur si homo, ubi obligatur, talium virtutum actus omittat, quia stupidus nescit judicare, committit peccatum stultitiæ, sed quia obligamur ad hoc judicium per accidens, ratione virtutum præceptarum, in confessione sufficientèr se accusabit, si dicat se omi-

omisisse actus talium virtutum; sed si prævidens, quòd ex luxuriâ, quæ ut plurimùm est mater stultitiæ, incidet in talem stupiditatem, quòd tempore debito, non poterit formare hujusmodi judicium, vel si velit positivè ita esse stupidus, in hoc duplici casu stultitia est peccatum per se, distinctè explicandum: quare pœnitens tenebitur primò explicare peccata luxurię: secundò: quotiès omiserit actus virtutum Theologalium: tertiò: peccatum stultitiæ, quam directè, vel indirectè voluit, cum tempore, quo in eà duravit, ut hujus peccati numerum sciat circumcircà Confessor. Omnia etiam peccata Charitati opposita, si bestialia sint, opponuntur dono Sapientiæ, ut est contrà Misericordiam Obstinatio Acidiæ filia, de quà n. 3. & sexta blasphemia in Spiritum Sanctum, de quà c. 4. n. 12.

19. D. Quæ propositiones prohibitę tangunt virtutem Charitatis?

M. Circà charitatem Dei, vide primam Alexandri Septimi, quintam, sextam, & septimam Innocentii XI. primam inter duas Alexandri VIII. Inter ejusdem 31. sunt etiam nonnuliæ, sed magis videntur afficere Scholasticos, quàm Morales. Porrò pro animabus, quæ profitentur Mysticam, releges 68. damnatas ab Innocentio XI. & 23. Innocentii XII. Præceptum affirmativum charitatis proximi tangitur in 10. & 11. Innocentii XI. Odium, seù Invidia tangitur in 13. 14. & 15. ejusdem. Secunda verò Alexandri

dri VII. tangit Rixam ex condicto, seù Duellum. Circà actus externos beneficentiæ extat 12. Innocentii XI.

20. D. Ex peccatis contrà Charitatem extat nè aliquod reservatum.

M. In §. primo Bullæ Cœnæ infligitur excommunicatio reservata Papæ contrà schismaticos. In Tridentino, aliisque Constitutionibns Pontificiis infligitur excommunicatio contrà Rixantes ex condicto, seù Duellistas, à quà intrà Italiam, & extrà Urbem, juxtà dicta p. 1. c. 10. n. 6. non possunt absolvere Privilegiati.

21. D. Peccata charitati opposita admittunt nè parvitatem materiæ?

M. Ex regulà stabilità p. 1. c. 36. n. 5. nullum peccatum oppositum charitati Dei admittit parvitatem materiæ, neque Acidia, dummodò de illà differas, uti dictum est n. 2. Neque parvitatem materiæ admittunt peccata contrà charitatem proximi, quæ violant unitatem multitudinis, quia semper est graviſſimum malum violare hanc unitatem. Igitur Schisma, Seditio, & Bellum erunt semper peccata mortalia, si habeant perfectam rationem schismatis &c. In odio, contentione, ac rixà, quæ sunt contrà particulares, quia potest inferri parvum nocumentum, erit veniale ex parvitate materiæ, quamvis omninò deliberatè intendam illud leve nocumentum. Circà scandalum audisti n. 5. esse genus peccati; quare si sim occasio sufficiens peccati non admittentis parvitatem

tem materiæ, neque illam admittet scandalum; v. g. si sum occasio peccati contrà castitatem, dummodò meum factum, vel dictum non inducat nimis remotè; in hoc enim casu est veniale non ex parvitate materiæ, circà quam versatur, sed ex parvo influxu, quem habet in peccatum.

22. D. Quas pœnitentias debet Confessarius imponere violantibus charitatem?

M. Sicut eadem vestis non potest esse omninò proportionata duobus hominibus, præsertim, quando alter est parvus, & alter magnus; ita nèc eadem pœnitentia. Habenda igitur ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 22. ratio *status, conditionis, ætatis, & dispositionis*, imponendo juxtà idem, contrarias peccatis pœnitentias. At potissimùm Confessor in illos officium Doctoris exerceat, quò circa charitatis excellentiam in intellectu illuminati, ex se ipsis voluntatem inclinent charitati ferventiùs in posterum exercendæ. Igitur ostendat quàm sit excellens charitas in proximum, adeò ut è cœlo descenderit Dei filius illam exerciturus perfectissimè. Nullum est efficacius signum charitatis Dei in nos, quàm charitas proximi. Tantùm illa crescit, quantùm ista: quod proximis impendimus, Christus acceptat, ut sibi impensum. Ex Appendice ad *Instructionem pro ordinandis* c. 17. explicet vim veræ Misericordiæ: quia verò exempla plurimùm accendunt, nonnulla colligat ex capitibus, quæ ibi sequuntur. At Confessarius pauper carens

rens libris, ex Breviarii lectionibus in secundo Nocturno, quæ talibus abundant hauriat. Dicta verò Patrum pro excellentiâ charitatis assumat: ex Evãgeliis, & Epistolis Apostolorum, præsertim S. Joannis ad primum Nocturnum, & ex Homiliis ad tertium. Distinguat rudibus hæc duo: velle malum furi, & velle bona sibi rapta a fure; secundum ordinariè licere: primum omninò prohiberi a Christo. Qui verò spirituaiiores, præferunt se velle punitionem furis, ut actum justitiæ Vindicativę, moneantur primò, ne odium verè foveant sub specie virtutis: secundò; justitiæ charitatem præminere: tertiò: omnes obligari, vel saltèm incitari ad charitatem, ad justitiam verò vindicativam obligari solos superiores; quartò: tùnc esse zelum justitiæ, quando magis ardescimus in peccata contrà Deum: esse amorem proprium, si omnia sus deque vertimus, ubi quis minimum peccat in nos; connivemus autem, si noster amicus majora delinquat in Deum.

CA-

15

CAPUT XV.

De Prudentiâ Virtute Cardinali, & Dono Consilii correspondente.

1. AD operandum non requiritur tantùm syllogismus concludens finem; sed alius requiritur, sive formalitèr, sive saltèm virtualitèr distinctus, concludens media pro executione finis: v. g. ad eliciendum actum charitatis in proximum, non sufficit iste syllogismus: *Indigenti est subveniendum, sed Petrus hìc, & nùnc indiget, ergo hìc, & nùnc subveniendum est Petro.* Post hæc debeo consulere media, quibus illi subveniam; si pecuniâ, cibo, vel veste; si mutuò, vel donatione &c. Post consilium, debeo judicare, quod nàm ex repræsentatis sit medium opportunius, & quantum sit dandum, illudque præcipere. Hæc igitur omnia, quę, præsuppositò per priorem syllogismum fine virtutis, aguntur in intellectu nostro circà media, ut actus in singulari prodeat omni ex parte virtuosus, pertinent ad Prudentiam, si sint circà Virtutes Cardinales humano modo operabiles: At verò pertinent ad Consilii donum, si sint circà Theologales, vel circà Cardinales, ut operabiles ex motione Sancti Spiritus. Possum conficere datum syllogismum de subventione pauperis, & ex misericordiâ naturali, & ex mero Dei amore, si eliciam hoc secundo motivo,

tivo, tùnc per donum Consilii, consulo, seù inquiro media subveniendi; ex dono Consilii judico in subventionem eligendam esse assignationem menstruam toto vitæ suæ tempore, quò non ampliùs indigeat: per donum Consilii præcipio hanc assignationem menstruam. Circà fidem elicui hunc syllogismum: *Quæ Deus revelavit, & præcepit explicitè credi, sunt explicitè credenda pro aliquo tempore, sed hujusmodi sunt tria mysteria Trinitatis, Incarnationis, & Remunerationis, ergo sunt credenda pro aliquo tempore.* Primæ præmissæ terminos percipimus per donum Intellectus, & cognoscimus per donum Scientiæ, juxtà dicta cap. 3. num. 26. secunda particularis est conscientia, seù dictamen procedens, & ex donis, & ex virtute fidei; conclusio est judicium spectans ad ipsam virtutem fidei. His positis inquiro media, scilicèt, quod sit tempus opportunius ad eliciendum actum fidei circà prædicta mysteria, omnibusque pensatis, judico tempus opportunum præcipuè esse bis in die, cum surgo manè, & vesperi, cum vado cubitum; præcipioque mihi elicere hos actus prædictis temporibus. Hæc omnia aguntur in nobis per donum Consilii. Libuit hæc explicare clariùs, & longiùs, quia nemo Moralium Modernorum ea tractat, & aliàs crediderim sic explicata plurimùm posse prodesse præparanti se ad confessiones, tùm ut se, tùm ut suos pœnitentes dirigat in actionibus virtutum. S. Thomas à q. 47. ad 57.

2. D. Dixisti tria spectare ad Prudentiam, con-

sulere, seù inquirere media, judicare de mediis, & præcipere media, sunt nè hæc tria unus, & idem actus Prudentiæ?

M. Hi tres non modò sunt actus diversi, sed & procedunt à diversis virtutibus. Consiliari media spectat ad virtutem Eubuliæ. Judicare de mediis potest spectare ad duas virtutes: In Philosophiâ, & Theologiâ Morali notum est, quòd ubi, ratione materiæ, invenitur specialis difficultas ad se exercendum in parvo, & in magno, necessaria est diversa virtus pro actu circà parvum, & pro actu circà magnum. Quia erogans virtuosè parvam pecuniam, potest habere difficultatem in erogandà magnà, ideò liberalitas est distincta virtus à magnificentiâ, quæ inclinat ad magnos sumptus, & consequentèr ad erogationem ingentis pecuniæ. Pari passu Philotimia inclinans ad mediocres honores distinguitur à magnanimitate inclinante ad summos honores. Id etiam locum habet in Jurisprudentiâ; quare Princeps concedens aliquid in universali, non concedit illo rescripto, quæ habent specialem difficultatem; propterea ex dictis p. 1. c. 21. n. 5. Alexander VII. declaravit non concedi absolutionem hæresis in Jubilæis, estò universalitèr concedantur omnes casus Bullæ Cœnæ, quia, ut ait, in suâ Constitutione, ob specialem difficultatem concedendi hanc absolutionem, hæresis est speciali notâ digna. Cùm hàc reservatione procedunt quotidie Principes: Hanc regulam generalem applicando casui nostro,

ſtro, dicimus, quòd aliquando judicium circà media procedit ex principiis communibus, aliquando autem ex principiis altioribus: v. g. Petrus apud me repoſuit enſem, & repetit: ex principiis communibus judico eſſe reddendum, quia depoſitum debet ſtare ad inſtantiam deponentis; veruntamen ſi video Petrum iratum, qui repetit gladium ad occidendum hoſtem, tùnc non debeo judicare ex principiis communibus, quæ dictat ratio depoſiti, ſed ex principiis altioribus teneor judicare, quòd in tali circumſtantià non ſit reddendus gladius. Igitur primum judicium procedens ex principiis communibus habetur per virtutem Syneſis: alterum procedens ex principiis altioribus habetur per virtutem Gnome: Tandèm poſt conſilium, & judicium habetur per virtutem Prudentiæ præceptum *Fac hoc*, vel ſimile, ab intellectu practico factum voluntati, quæ talitèr mota elicit actum virtutis, v. g. Juſtitiæ: qui actus eſt elicitivè à virtute Juſtitiæ, ſed directivè à virtute Prudentiæ. Porrò Eubulia, Syneſis, & Gnome ſunt virtutes minùs principales, quia inſerviunt ad actum præcepti, qui eſt principalis; & ſic Prudentia dicitur virtus Cardinalis: aliæ dicuntur partes potentiales ejuſdem Prudentiæ. S. Thomas q. 51.

3. D. Quid requiritur, ut actus Prudentiæ ſit integrè, & omni ex parte perfectus?

M. Iſte articulus non eſt adeò neceſſarius pro multitudine confluentium ad ſacramentum Pœnitentiæ. His enim ſufficit elicere actum præcep-

tum quòad substantiam, nec curant elicere actus omni ex parte perfectos; nihilominùs adsunt pœnitentes, qui student perfectioni; & hos Confessor debet instruere; magis tamen est necessarius ipsi Confessori: nàm Rituale adductum p.1.c.7.n.7. vult, quòd habeat *quantam maximam potest, prudentiam*. Debet enim Minister operari simillimè ad causam principalem, quæ est Christus. Porrò S. Thomas q. 49. enumerat octo. Igitur primò Confessor habeat memoriam, quæ applicat principia universalia casibus particularibus; unde oportet scire casus particulares, qui discuntur experimento, & tempore. Quomodo juvari possit memoria explicat art. 1. ad 2. S. Thomas, docetque juvari præcipuè ex studio cum affectu discendi. Hanc primam partem Confessori pluriès Rituale commendat, dùm inculcat studium Theologiæ Moralis, conjunctum scientiæ de casibus reservatis &c. De scientiâ principiorum universalium est dictum p.1.c.38. Experimentum verò præcipit idem Rituale, dùm vult Confessorẽ facilem, & promptum audiendis confessionibus. Vide p.1.c.7.n.10. secundò habeat Intellectũ, & ut virtutem, & ut Donum, seù cognitionẽ universalium principiorum; ex quibus facilè deducat decisionem casus particularis. Ex hujus defectu Moralistę nonnulli docuere Theses, quas Apostolica Sedes damnavit, & hærent Confessarii complures, quia non habent in suo libello casum singularem, quando nèc omnes possunt exscribi. Huic defectui supplendo præsens in-

instructio dat regulas generales; at meliùs videri poterunt in legibus ab Apostolicâ Sede firmatis per damnationes Thescon, per declarationes &c. nèc non ex continuâ lectione S. Thomæ. Ut habeat Confessor hanc secundam partem, composita est ordinatio tota Ritualis pro sacramento Pœnitentiæ. Tertiò sit docilis, facilis, & promptus, quæ ex se non habet, edoceri ab aliis doctis, & piis; at præsertìm à proprio Episcopo, quem sibi Deus constituit Doctorem. Rituale commendat hanc tertiam partem, ubi p. 7. c. 7. n. 7. commendat *prudens consilium peritorum*. Cum hoc procedunt omnes Urbis Congregationes, præcipuè Sacra Pœnitentiaria, & Sancta Inquisitio, sed, & Romanus Pontifex, nèc non Concilia Oecumenica, quamvis habeant adsistentiam Spiritus Sancti, nèc invenias Judicem, qui habens judicare de uno obolo, priùs accuratè non examinet leges, & non audiat Advocatos utrinque: quanquam Judex ipse sit doctissimus. At Confessor judicaturus de salute animæ, statìm ex Tripode judicat, unicè innixus libello, quem vix legit primis oculis, dùm se præsentabat examini pro audiendis confessionibus: quartò sit Solers, ex se inveniens facilè, ubi stat ratio peccati, & media medendis animæ morbis. Hanc quartam partem Rituale meminit n. 19. dùm vult interrogandas speciem, numerum, & circumstantias peccatorum: quintò sit benè ratiocinativus, inquirens omnia, quæ, pro, & contrà se dicit Pœnitens, ut inde concludat, an

ſit damnandus, vel excuſandus à peccato. Hanc quintam partem Rituale meminit n. 18. dùm vult interpellari pœnitentem, quando eſt opus aliquid melius intelligere: ſextò ſit providens, ne in futurum pœnitens relabatur. Hanc ſextam partem Rituale meminit, dùm n. 7. Confeſſorem ait Arbitrum inter Deum, & homines, *ut honori divino, & animarum ſaluti conſulat*: ſeptimò ſit circumſpectus attendens ad mala præſentia. Rituale n. 20. *ne ſcandalum patiantur* Pœnitentes, Octavò ſit cautus ad mala futura. Rituale ibidem, *indeque peccare diſcant*.

4. D. Prudentia eſt nè una Virtus?

M. Confeſſori eſt maximè neceſſarium ſcire, in quot ſpecies Prudentia diſtinguatur: quia debet interrogare ſpeciem, numerum, &c. Rituale n. 19. Sunt igitur quinque ſpecies: Prima dicitur Monaſtica; per hanc homo dirigit ſe in ſuum finem: Secunda dicitur Oeconomica; per hanc pater familias dirigit domum in finem debitum familiæ. Tertia eſt Politica: per hanc ſubditus dirigit ſe in finem debitum Reipublicæ, juxtà ordinationem Principis: quarta eſt Militaris: per hanc Dux dirigit exercitum in finem victoriæ. Quinta eſt Regnativa; per hanc Princeps dirigit Rempublicam in finem communis tranquillitatis. Hæc ſubviditur in alias ſpecies infimas, juxtà varios modos regendi; & quælibet ex illis præter primam, reperitur in uno perfectiſſimè, in alio magis, in alio minùs; v. g. perfectè reperitur Oeconomica in

Patre

Patre familias; minùs perfectè in Matre: minusque perfectè in Magistro domus &c. Idem dic de Militari, quæ reperitur perfectissimè in supremo Duce; minùs perfectè gradatim in reliquis Officialibus. Idem dic de Regnativà, suisque speciebus. Reperitur hæc perfectè in supremo Principe: minùs perfectè in Baronibus, qui habent rationem dominii, sed, & in Judicibus, Consiliariis, aliisque Ministris Reipublicæ. Et hujusmodi ministeriorum diversitas constituit diversitatem specificam Prudentiæ, adeò ut peccans contrà illam debeat id explicare in confessione.

5. D. Extat nè præceptum aliquod affirmativum eliciendi unquam actus Prudentiæ.

M. Cui præcipitur finis, præcipitur etiam ponere media necessaria ad consequendum finem. Porrò est notandum, quòd alia media sunt de se utilia, & alia omninò necessaria. Extat præceptum ponendi secunda, non prima. Sic obligatus elicere actum jejunii, tenetur consulere, seù inquirere media omninò necessaria, judicare de illis, & præcipere pro jejunando. Idem dic de reliquis virtutibus, quando obligamur exercere actus illarum, quia tùnc per prudentiam Monasticam tenemur illis trium virtutum actibus providere media, sine quibus impossibile esset consequi vitam æternam. Quoad alias species, obligatur sub mortali subditus, ut se disponat ad recipiendas instructiones Superiorum, quæ sunt omninò necessariæ pro fine illius Superioris: v. g. filius, quæ pater familias

milias media profert, sine quibus non posset, servari pax familiæ, quòad substantiam; & ita de reliquis. E contrà Superiores tenentur providere media pro tranquillitate sibi commissà. Confessor media omninò necessaria, ut pœnitens justificetur &c. Notandum tamen, quòd species Prudentiæ, præter Monasticam habent dirigere ad bonum commune, velut ad finem; non ad bonum singulorum de communitate.

6. D. Obligat nè Prudentia ex genere suo ad mortale?

M. Ex regulà stabilità p. 1. c. 34. n. 6. prudentia non obligat ex genere suo ad mortale, sed si obligemur ad aliquem finem sub mortali, & media sint omninò necessaria, tùnc prudentia obligabit sub mortali.

7. D. Confessori est necessarium scire, an virtus obliget, vel per se, vel per acccidens ob dicta p. 1. c. 38. n. 16. quia si per accidens tantùm obligat, non tenetur pœnitens explicare specialitèr illud peccatum. Igitur peto, an Prudentia obliget per se, vel per accidens?

M. Prudentia obligat per accidens, nisi in casu, quo præviderem, vel tenerer prævidere media nonnulla esse necessaria pro tali fine, ad quod obligor sub mortali, & nollem ponere v. g. Princeps prævidens, quòd permittendo impune fures, turbabitur regnum, & nullum ponens medium ut impediat, quia non vult, peccat duplici peccato, altero contrà justitiam Vindicativam, non castigando

gando fures, altero contrà Prudentiam regnativam, non ponendo tale medium pro tranquillitate regni. Utrumque debet explicare in confessione. Hoc secundum, utpotè contrà bonum commune, de naturà suà est gravissimum. Sed hæc sunt peccata Superiorum, ut Superiorum, de quibus vix est Superior, qui se accuset, quia Confessores, & Concionatores supèr illis non instruunt. Unus narratur Caroli quinti Confessor, qui auditâ confessione, regesserit: *Dixisti peccata Caroli: dic peccata Principis.* Accusant se de impatientiis &c. sed vix de omissione Prudentiæ alioqui tàm gravitèr obligantis pro bono communi.

8. D. Quod est donum Consilii correspondens Virtuti Prudentiæ?

M. Tres actus Prudentiæ, scilicèt, Consilium, Judicium, & Præceptum ex n. 2. eliciuntur per virtutes distinctas; Ubi verò movemur ad operationem per donum Spiritus Sancti, idem habitus, utpotè perfectior, habet elicere tres illos actus, licèt specie diversos; quare donum Consilii inquirit, judicat, & præcipit media. Hoc donum supplet prudentiam Monasticam in ponendis mediis pro consecutione ultimi finis; & ejus actus requiritur, ubi exercemur in virtutibus Theologalibus estò ad fidem, & spem informes, actus præcedens Consilii sit quoddam præambulum non attingens ad perfectam rationem doni, juxtà dicta ex Angelico 1. p. c. 33. n. 3. Præcedit etiam ad actus virtutum

tum Cardinalium infuſarum, ad quos movemur à Spiritu Sancto. De præcepto autem eliciendi actum hujus Doni, differendum eſt, ſicut de Prudentiâ. S. Thomas q. 52.

8. D. Qui fructus, & quæ Beatitudo correſpondent Dono Conſilii?

M. S. Thomas videndus a. 4. ad 3. ponit benignitatem, & bonitatem, ut fructus correſpondentes Conſilio, & quintam beatitudinem. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

CAPUT XVI.

De peccatis per defectum oppoſitis Virtuti Prudentiæ.

1. QUæ peccata opponuntur dono Conſilii non habent nomen ſpeciale diſtinctum à peccatis oppoſitis virtuti Prudentiæ, ſed ſub iiſdem nominibus peccata, ut ſunt humana, opponuntur Virtuti: ut ſunt inhumana, & beſtialia opponuntur Dono. Porrò quælibet virtus Moralis, & Donum correſpondens habet duo genera peccatorum ſibi oppoſitorum: alia opponuntur per defectum, & alia per exceſſum: illa ſunt, quæ deficiunt à virtute Prudentiæ: iſta, quæ excedunt, ut explicabitur. Agemus in hoc capite de oppoſitis per defectum, & in ſequenti de oppoſitis per exceſſum.

2. Pru-

2. Prudentia cum suis virtutibus annexis primò per Eubuliam inquirit media: secundò per Synesim, aut Gnome judicat de mediis: tertiò per se ipsam præcipit media voluntati, & potentiis executivis. Igitur

3. Primùm peccatum per defectum Prudentię oppositum, dicitur Præcipitatio; & est, quando quis ex passione agit sine consilio, seù actu Eubuliæ, præcipitans se, hoc est, non transiens per medium consilii.

4. Secundum dicitur Inconsideratio; & est, cum homo, postquam per Eubuliam inquisivit media, procedit ad opus, absque judicio debito de mediis per Synesin, aut Gnome, non considerando, quantum debet, quæ media sint magis opportuna pro consequendo fine. Vocatur Inconsideratio, sive deficiar in judicando per Synesin, sive per Gnome.

5. Tertium peccatum dicitur Inconstantia, & est, quando post bonum consilium, & judicium, deficitur in præcipiendo voluntati, ut debet, quòd eligat tale medium.

6. Quartum dicitur Negligentia; & est, quando post bonum consilium, judicium, & præceptum voluntati factum, deficit in exequendis mediis per alias potentias: Debemus enim tardè consiliari, sed citò exequi. Experientia docet in omni eventu, quòd, differendo executionem, refrigescimus; at maximè id apparet in conversione peccatoris: etenim multi proponunt confiteri, sed quò

diffe-

differunt magis, eò majorem sentiunt difficultatem.

7. Quando, & quomodo unumquodque ex his quatuor sit peccatum, veniale, vel mortale, deducitur ex dictis p. 1. cap. 34. n. 6. ubi habemus, quando, & quomodo prudentia nos obliget. Sanctus Thomas q. 53. 54.

CAPUT XVII.

De peccatis per excessum oppositis Virtuti Prudentiæ.

1. PEccata per defectum opposita Prudentiæ generico nomine vocantur Imprudentia; & peccata per excessum opposita, generico nomine dicuntur Prudentia Carnis. Alii distinguunt Prudentiam Diabolicam, Mundanam, & Carnis. Hæc distinctio non est omninò necessaria Confessori. De illà videatur S. Thomas q. 55. a. 1. ad 3. Per prudentiam carnis intelligo, cum homo ex amore alicujus finis dirigit media de se mala, in quo excedit. Si quis constituat sibi finem malum, & dirigat media mala in hunc finem, committet duplex peccatum; aliud de intentione finis; aliud de directione mediorum malorum: quòd si finis sit bonus; at media sint mala; tùnc unicum est peccatum in applicatione medii; sed in confessione debebit explicari quale medium sit applicatum; v. g. qui ad faciendam eleemosinam

nam furatur, explicabit, si res sit sacra &c. Prudentia Diabolica dici possunt vitia per excessum opposita dono Consilii.

2. D. Genus prudentiæ Carnis in quot species distinguitur?

M. Distinguitur in sex species: prima vocatur *Astutia*. Secunda *Dolus*. Tertia *Fraus*: Quarta propriè dicta *Carnis prudentia*. Quinta *Sollicitudo temporalium*. Sexta *Sollicitudo futurorum*.

3. D. Quid est Astutia primum peccatum?

M. Astutia per excessum opponitur Eubuliæ; & est quando quis ad consequendum finem sive, bonum, sive malum, inquirit media mala voluntariè. Peccabitque specialitèr hoc peccato, si advertens esse media mala, velit adhùc de illis inquirere; in quo casu explicabit se accusans hoc peccatum, & speciem mediorum malorum.

4. D. Quid est Dolus, secunda species peccati per excessum oppositi Virtuti Prudentiæ?

M. Dolus est, cum quis post consilium, sive judicat, sive præcipit, sive exequitur ad finem, sive bonum, sive malum, media mala consistentia in verbis: v. g. cum quis ad defensionem sui honoris, uti docebat 44. propositio damnata per Innocentium XI.) judicat imponendum esse falsum crimen, sive præcipit voluntati, ut imponat, sive actu imponit. Si tantùm voluntariè judicet, sed non præcipiat, peccabit contrà Synesim, aut Gnome: si ulteriùs præcipiat, peccabit contrà Prudentiam: quòd si etiam exequatur, peccabit

contrà

contrà Justitiam: & ita in confessione debet explicari distinctè; sed si explicet secundum, intelligitur explicare primum, & si tertium, explicat primum, & secundum.

5. D. Quid est Fraus; tertia species peccati per excessum oppositi virtuti Prudentiæ?

M. Inter fraudem, & dolum intercedit hæc solùm differentia, quòd Dolus consistit in verbis: & Fraus ordinariè consistit in factis. In reliquis eodem modo de utrisque differendum est. Fraudulentèr egit villicus Luc. 16. qui falsavit cautiones sui domni.

6. D. Quid est Prudentia carnis, quarta species peccati per excessum oppositi virtuti Prudentiæ?

M. Prudentia carnis propriè dicta est, cum homo, post consilium, & judicium, præcipit media mala, ut consequatur finem sive bonum, sive malum. Villicus Luc. 16. addidit hoc etiam: ubi enim judicavit de fraudulentiâ, præcepit eandem fraudulentiam voluntati.

7. D. Quid est sollicitudo temporalium, quinta species peccati per excessum oppositi Virtuti Prudentiæ?

M. Quia ad prudentiam pertinet sollicitudo in exequendo media, quæ pro consequendo fine bono, inquisivimus per Eubuliam, judicavimus per Synesin, aut Gnome, & præcepimus per Prudentiam, assignavimusque Negligentiam, ut vitium oppositum per defectum huic sollicitudini,

Digitized by Google

dini, debemus eidem assignare vitium oppositum per excessum, quod est duplex; & primum sollicitudo temporalium. In hoc potest peccari triplicitèr: primò: si respiciamus media velut finem: secundò: si nimis sollicitemur in iis acquirendis: tertiò: si acquisita nimis sollicitemur, ne deficiant.

8. Quid est sollicitudo futurorum, sexta species peccati per excessum oppositi virtuti Prudentiæ?

M. Hæc pariter opponitur sollicitudini debitæ. Illam explicat satis aptè S. Thomas a. 7. Si quis in vere sollicitus esset de vindemià, præparans dolia, conveniens cum vindemiatoribus &c. hæc esset nimia sollicitudo futurorum, sed non est nimia, si de his cogitet in mediâ æstate: aut præveniret, ut ad finem honestum, minoris conduceret operas artificum.

9. D. Adsunt nè propositiones prohibitæ per Romanos Pontifices circâ Prudentiam?

M. Indirectè omnes attingunt Prudentiam, quatenùs prohibemur dare consilium, judicare, aut præcipere juxtà illas, quando præsertìm expressè prohibemur eas deducere in praxim. Directè solum invenio tertiam ex damnatis ab Innocentio XI. vi cujus damnationis negatur esse actus prudentiæ operari secundum illam.

10. D. Adsunt nè censuræ aliquæ contrâ violantes Prudentiam, sive per excessum, sive per defectum?

M. Or-

M. Ordinariè loquendo, neque Romani Pontifices imponunt cenſuras, aut ſibi reſervant actus merè internos, ſed ſemper, ubi conjungitur actus externus, ſeù finis: & ita nullæ ſunt cenſuræ, neque ulla reſervatio peccatorum, quæ opponuntur Prudentiæ, Virtutibuſque illi annexis.

11. D. Quas pœnitentias imponere debet, ſeù commmendare Confeſſor delinquentibus contrâ Virtutem Prudentiæ?

M. Peccanti contrà prudentiam maxime commendabit Confeſſor, ut, quantum poteſt, in operando fugiat ductum paſſionis: Veriſſimè dicitur. Jer. 12. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*, conſiderando finem, ob quem operatur, quando alioqui hæc eſt differentia inter bruta, & hominem, quòd illa ſequuntur ductum paſſionis; iſte debet ſemper, ante operationem, præſtituere ſibi finem; & hoc præſtituto conſiderare media magis proportionata, ut conſequatur finem: Porrò finis omnium hominum eſt gloria Dei, & ſalus animæ propriæ: Ad hunc finem, velut ad centrum, dirigenda eſt omnis operatio, etiam ad bonum publicum, adeò ut Principes, Reges, ipſe Romanus Pontifex debeant primariò reſpicere gloriam, quæ Deo reſultat ex ſalvatione animæ propriæ, & ad hanc dirigere cætera, velut media, & conſequentèr amando cætera, minùs quàm illam. Ipſum etiam deſiderium ſalvandi totum orbem procedere debet ex deſiderio propriæ ſalutis, quod pro-

probè notabit ipse Confessor, ne, cùm prædicat aliis, ipse reprobus efficiatur. Certè ob rebellionem carnis, dum sumus Viatores, non possumus ita nos dirigere ductu rationis, ut nunquam in operando præveniamur passione. Fuit hoc singulare privilegium B. Virginis. Donum hoc habebamus in primo parente; illud amisimus, cum in eo peccavimus grande peccatum, & solùm perfectè restituetur in patriâ: cæterùm pro quanto possumus, enitendum est, ut hoc modo procedamus. Id suavitèr, & efficacitèr commendabit Confessor: nec enim alia est via acquirendi Prudentiam, & cum Prudentiâ cæteras virtutes; quę omnes regulantur Prudentiâ.

CAPUT XVIII.

De Justitiâ in genere, secundâ Virtute Cardinali.

1. FIdes, & Prudentia, ut potè receptę in intellectu, respiciunt verum. Illa verum, ut à Deo revelatum Ecclesię Catholicæ, & per hanc nobis propositum: ista verum, ut operabile in singulari ad finem consequendum. Virtutes in Appetitu receptæ respiciunt bonum: Spes bonum sub conditione Ardui: Charitas bonum, ut bonum: Justitia bonum, ut alteri debitum; hinc apparet cum omnibus virtu-

tibus sibi annexis recipi in voluntate (ad differentiam Fortitudinis, & Temperantiæ, quæ respicientes bonum proprium, recipiuntur in appetitu sensitivo) nam comparare unum cum alio pertinet ad intellectum, & per consequens appetere bonum, ut comparatum alteri, pertinet ad appetitum, qui sequitur intellectum.

2. Quod dicitur passivè debitum, activè dicitur jus: etenim si aliquid mihi à Petro debetur, ego habeo jus ad illud. Et aliud est jus naturale, quod exigit natura, ut quæ continentur in Decalogo; aliud jus gentium, quod exigunt communitèr populi, ut ab uno Principe nõ offendi Oratorem alterius: aliud jus divinum, quod exigit Deus, ut quòd omnes baptizentur: aliud jus humanum civile, aut Ecclesiasticum, quod exigunt Princeps, & Ecclesia.

3. Et hinc vocatum est jus, non solùm id, quod mihi debetur, sed etiam lex ipsa, per quam aliquid mihi debetur: quare dicimur obligati facere aliquid jure (hoc est, lege) naturali, divino, gentium, humano, &c.

4. Prædictæ Juris species sunt subalternę, continetque sub se alias species; quod maximè debet notare Confessor obligatus exigere à pœnitentibus infimam peccati speciem; nèc enim sufficit, si me accusem violasse jus naturæ, nisi explicem, in quo violavi. Idem dicendum de jure humano &c.

5. Alia etiam differentia est notanda: nàm aliquid

quid debetur, & de se reddi potest ad æqualitatem, ut qui debet centum Petro: nàm hæc de se reddi possunt (quidquid sit, an impossibilitetur per accidens ob inopiam) secundò: aliquid debetur, at reddi non potest ad æqualitatem: ita debemus Deo, patribus, patriæ, Principi, Magistris, Confessori &c. nàm illis debemus esse, educationem &c. quæ illis reddere non possumus; cætera bona exteriora, quæ damus, & possumus dare, de se non compensant ad æqualitatem. Hæc duo sunt debita rigorosa, ideò ad illa obligamur sub mortali: tertiò: debemus aliquid ex honestate, seù convenientià, sicuti benefactori debemus retribuere: quartò: debemus aliquid alteri, non ratione sui, sed ratione nostrorum, ut dives, qui debet erogare pecunias, non quia debeat, sed quia convenit sibi, ut eas eroget in bonum aliorum. Hæc ratio diversa debiti constituit diversa genera virtutum, de quibus in singulari differetur; Et quia omnes hæ virtutes respiciunt illam, quæ reddit debitum rigorosum ad æqualitatem, ideò omnes quidem vocantur nomine Justitiæ: sed ratio Virtutis invenitur principalitèr in istà; & propterea hæc etiam propriissimè dicitur Justitia, estque Virtus Cardinalis.

6. De hàc Virtute Cardinali differendum est ante reliquas minùs principales illi annexas; & est quadruplex: prima dicitur Legalis, per quam Princeps dat subditis, quod leges præcipiunt dirigendo illos ad bonum commune (subditi verò

reddunt, quod præcipitur à Principe per leges.) Secunda dicitur Justitia Distributiva, per quam Princeps dispensat honores, & bona Reipublicę, juxtà merita Subditorum: Tertia dicitur Justitia Vindicativa, per quam Princeps distribuit pœnas à lege statutas, juxtà demerita Subditorum. Quarta tandem dicitur Justitia Commutativa, per quam unus reddit ad æqualitatem, quod debet alteri: Primæ tres requirunt jurisdictionem in Superiore. De singulis differetur. Interim de jure videatur S. Thomas à q. 57. ad 60.

CAPUT XIX.

De Justitiâ Legali, & Vitiis oppositis.

1. QUælibet Respublica constituit unum corpus, in quo subditi, velut membra, per justitiam legalem ordinantur ad salutem totius, non tamen per eosdem actus: Alia, ut, Caput, imperant: alia, ut oculi, dirigunt: Hi sunt Consiliarii: Alia, ut manus moventur, & movent. Hi sunt Judices subalterni, qui moventur per authoritatem sibi à Principe communicatam, & movent regulando alios. Inter hos locum habent Confessarii in Hierarchiâ Ecclesiasticâ, qui sunt Judices, & debent, secundum leges ab Ecclesiâ prescriptas, regulare pœnitentes: Alia, ut pedes, habent exequi, quæ præcipiuntur: Hujusmodi sunt Satellites &c. Alii

verò

verò neque jus habent dirigendi, neque exequendi, ut sunt cæteri subditi, ad quos spectat non facere, ut alii exequantur, sed ipsi debent exequi.

2. Secundum quod unus participat de jurisdictione, ita participat de Justitiâ legali activè sumptâ; & possunt authoritativè alios inducere ad bonum commune Reipublicæ magis, vel minùs perfectè. Reliqui non possunt judicare, sed tenentur obedire, adeò ut actus, quo se movent ad obediendum, spectet ad justitiam legalem passivè sumptam, & dirigatur à Prudentiâ, quæ ex c. 14. n. 4. dicitur Politica. Obedit autem ad hoc inclinata per Virtutem Obedientiæ.

3. D. Quotuplex est Justitia legalis?

M. Duo sunt genera Justitiæ legalis: altera retinet nomen commune: Altera dicitur Epicheja. Ex c. 14. n. 2. audisti duas in intellectu practico dari virtutes, quarum altera judicat secundum causas ordinarias: altera per altiores causas: & paritèr in voluntate datur duplex virtus: altera, quæ ordinat Reipublicæ membrum in bonum commune per leges ordinarias, scilicèt, secundum verba legis, & secundum intellectum obvium earundem, quæ communi nomine dicitur Justitia legalis: altera verò, quæ ordinat, non secundùm verba, sed secundùm finem altiorem legis. Extat in Civitate lex obligans reddi statim deposita petenti: per justitiam communem inclinatur Judex ad judicandum, ut sonant verba legis prædictæ:

sed per Epichejam Judex considerans nùnc peti à me gladium depositum apud Petrum, ut hostem occidam, prohibet reddi, respiciens non ad verba, sed ad finem legis, qui est tollere injustitias, & quæ augerentur, si statim redderetur. S. Thomas q. 120. ex quo habebis alia complura, sed omitto, quia non sunt simpliciter necessaria Confessori ordinario.

4. D. Quia dixisti duo esse genera Justitiæ legalis, vellem scire, an unaqueque contineat sub se plures species?

M. Utique illarum quælibet sub se continet plures species, omninò explicandas, si violentur; alterius enim speciei peccato peccant Princeps violans utramque, habens in se plenitudinem jurisdictionis, Baro non habens ita plenam authoritatem, Consiliarius, Judex, ipsi Executores; nàm aliter peccat Satelles, aliter Lictor. Et quia diversa est jurisdictio Ecclesiastica, & Sæcularis; ideò violans justitiam legalem Ecclesiasticam, explicabit in confessione hoc, & præterea utrum sit supremus Hierarcha, utrum Episcopus, utrum simplex Confessor. Nihil tamen refert, quòd jurisdictio sit ordinaria, vel delegata; In Oeconomicà etiam, quæ participat aliquid Justitiæ legalis, explicabit, an sit pater, vel mater &c. Quòd si Confessor in praxi dubitet, nùm diversa participatio jurisdictionis, constituat diversitatem specificam, inducat pœnitentem suavibus, at efficacibus verbis, ut superabundet in explicando potiùs,

quàm

quàm deficiat: ut abundare ſolent, & debent in explicandis Medico morbis corporum.

5. D. Quos actus hæ duæ virtutes Juſtitiæ legalis, & Epichejæ, habent exercere circà ſuum objectum?

M. Tàm iſtæ duæ ſpecies, quàm aliæ, ſcilicèt, Vindicativa, Diſtributiva, & Commutativa habent actum in voluntate, quo illam inclinant ad reddendum cuilibet jus ſuum; ſed terminant in intellectu per judicium, qui propterea dicitur proprius actus Juſtitiæ in genere acceptæ, per quod judicamus de aliis, ut competit cuilibet juſtitiæ in particulari: nàm Legalis, Diſtributiva, & Vindicativa dant judicium authoritativum, ſeù ſententiam circà gubernium Reipublicæ, circà pœnas, & præmia. Porrò Commutativa dat judicium privatum de hominibus, vel de aliis rebus, ſecundum quod exigit jus. Quia igitur judicium ſpectat ad quamlibet juſtitiam, priùs eſt agendum de illo in communi, deinde agemus de illo, ut proprium eſt Juſtitiæ legalis.

6. D. Quid requiritur, ut Judicium ſit licitum?

M. Judicium ex primâ inſtitutione impoſitum fuit, ut ſignificaret rectam determinationem eorum, quæ in praxi erant agenda; ad quod requiruntur duo; primò virtus proferens judicium; & hæc eſt potentia intellectiva cum ſuo habitu: ſecundò requiritur diſpoſitio judicantis, per quam reddatur idoneus ad judicandum; & hæc, ſi judicet

in materiâ Temperantię, erit ipsa Temperantia; si in materiâ justitiæ, ipsa Justitia; & sic de reliquis virtutibus: posteà nomen judicii ampliatum est ad significandum, quidquid determinamus etiam in speculativis, ut cum dico: *Petrus est homo.* S. Thomas q. 60. a. 1. ad 1. Nùnc verò differimus de judicio practico, & ut procedit à dispositio per justitiam ad judicandum rectè de iis, quæ pertinent ad jus alterius; & semper supponendum est, quod alibi pluriès diximus, in unàquaque virtute dari actus perfectos, & imperfectos: perfecti sunt, qui procedunt ab habitu præexistente virtutis: imperfecti verò, qui sunt ipsius virtutis; at non procedunt ab ipsâ præexistente in operante. Hoc ergo judicium commune cuilibet Justitiæ, ut sit licitum, debet esse prudens. S. Thomas q. 60. art. 2. nàm si *deest certitudo rationis, putà, cum aliquis judicat de his, quæ sunt dubia, vel occulta, propter leves conjecturas*: est *judicium temerarium*. Quod dictum est ad licitum judicium requiri certitudinem rationis, explicat idem a. 3. ad 1. quòd requiritur certitudo, *non quidem sicut in demonstrativis, sed sicut convenit tali materiæ, putà, cum aliquid per idoneos testes probatur;* vel per indicia sufficientia: hæc enim est certitudo moralis in operabilibus, quam respicit Prudentia, utpotè virtus intellectualis tendens in verum, non quod sit verum necessariò, sed ut in pluribus. Ut autem circà hanc moralem certitudinem Confessor tollat scrupulos complures, teneat hanc regulam. Multi Pœniten-

Digitized by Google

tentes anguntur scrupulis, an omnia juvẽtutis peccata confessi fuerint, vel voluntariè aliqua omiserint. Multi Sacerdotes, an Episcopus illos ordinans habuerit intentionem, an tetigerint physicè instrumenta, dum ordinabantur. Multæ Moniales, aliàs timoratæ conscientiæ, an consenserint inhonestæ cogitationi, vel dubiis fidei &c. In his, & similibus casibus ad tollendos scrupulos, Confessor utatur hàc regulà. Esset gravissimum peccatum judicii temerarii, si judicarem in ordinando Episcopum non habuisse intentionem: quare certum est mortalitèr, quod habuit.

7. D. Quæ differentia intercedit inter judicium, & suspicionem?

M. Judicium est firma adhæsio, seù determinatio intellectus, quòd res in se sit talis, qualem ego determino in meo intellectu; ex suspicione autem inclinor in unam partem, sed cum formidine oppositi: Judicium, si sit ex levibus indiciis, dicitur temerarium, & mortale peccatum ex suo genere, contrà justitiam commutativam: quia fit injuria proximo; & per hoc admittit parvitatem materiæ: nàm levis injuria est peccatum veniale. Judicium potest esse falsum, & non temerarium: Video Petrum fugientem evaginato gladio, totum in se, & in gladio respersum sanguine, judico illum occidisse: potest esse falsum, sed non erit judicium temerarium, quia procedit ex gravissimis indiciis. Ut sit peccatum, debet esse temerarium. Suspicio, utpotè actus imperfectus, de se

non

non est mortale peccatum, nisi vestiatur talibus circumstantiis, ut gravis injuria sit vel suspicari malum de tali proximo, ut si suspicarer Regem ditissimum, & piissimum pro uno obolo vendere justitiam &c.

8. D. Quia dixisti n. 6. ad judicandum requiri certitudinem moralem, quid faciendum est, ubi deest hæc certitudo?

M. Sæpissimè Confessarius incidet in hos casus, in quibus caveat nimium laxare, vel stringere conscientias. Majoris claritatis gratiâ, divido quæstionem in tria genera personarum: vel enim quæritur, quid in tali casu debeat homo judicare de proximo non subdito: secundò: quid Superior de subdito: tertiò: quid homo de seipso. Quoad primum Apostolus ait Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum*: & Christus Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini*. Confessor semper inculcet pœnitentibus, ut abstineant à judicando, quæ ad se non spectant, etiam si certa sibi videantur habere indicia, multò magis, ut abstineant ab his, quæ dubia sunt. Quoad Superiores, & Judices, cæteris paribus, in dubio semper inclinabunt ad favorem rei ex illà regulà, quòd *Nemo præsumitur reus, nisi constet*. Illos tamen moneat Confessor, quòd hæc regula non concedit duo judicia, sed unicum. 3. Reg. 3. Salomon judicavit unicè in favorem mulieris, quę nolebat infantem dividi, sed non judicavit aliam ad pœnam, quia indicia erant sufficientia pro primo in favorem reæ, sed non pro secun-

secundo ad damnationem Actricis; In tertio casu homo dubius de suis actionibus, non debet judicare se reum: Ita enim judicaret falsum; sed debet apponere remedium, ac si esset reus juxtà dicta de conscientià dubià p.1.c.39.n.9. Igitur Superior dubitat, nùm Petrus sit irregularis; nunquam damnabit irregularitatis; & Petrus paritèr dubius non judicabit se irregularem, sed geret se tanquam irregularem, petendo dispensationem. Maritus dubius de validitate matrimonii, non feret præjudicium comparti, negando debitum, sed quoad se ipsum, aget quasi matrimonium esset invalidum; non petet debitum; antequam obtineat dispensationem. Idem dic in similibus casibus. Confessor videbit complures alitèr sentire, cum quibus nolim contendere. Hoc unum mihi certum est, quòd tutissimum est ita in praxi regulare conscientias. Videatur S. Thomas q. 60. a. 4. præsertim ad 3.

9. D. Huc usque dictum est de judicio, prout spectat ad omnem justitiam, etiam commutativam, quæro, an, ut spectat ad justitiam legalem, debeat habere alias conditiones?

M. Judicium, quod est actus Justitiæ legalis, præter conditionem jàm explicatam, debet habere alias duas: prima, ut sit conforme omni justitiæ, tùm legali, tum commutativæ &c. Consideranda sunt attentè pauca hæc verba; nàm in illis multa comprehenduntur. Peccat Judex, sententians ex testimonio unius; nam per leges: *In ore duo-*

non habent nomen speciale. Habet ista virtus, utpotè moralis vitia sibi opposita per defectum, & per excessum. Judicium omne, cui desunt tres assignatæ conditiones, opponitur justitiæ per defectum. Si verò semper velit procedere juxtà apices juris, & sequendo in omnibus rigorem legis absque prudentià, tùnc, quia *summum jus summa injuria*, erit peccatum oppositum justitiæ legali, tàm cõmunitèr dictę, quàm Epicheję per excessũ.

12. D. Adsunt nè circà Justitiam legalem aliquæ propositiones prohibitæ à Romanis Pontificibus?

M. Judicium, quod est actus justitię legalis, exigit, ut dictum est, tres conditiones; veruntamen; quatenùs est actus justitiæ legalis, primariò respicit jurisdictionem: Igitur Alexander VII. damnavit tertiam, & quartam, quæ concedebant personis ibi enumeratis jurisdictionem super hæresi: 12. quæ concedebat jurisdictionem Mendicantibus super casibus Episcopo reservatis, & 16. quæ jurisdictionem ad absolvendum, ut ibi, concedebat simplici Sacerdoti.

13. D. Ex peccatis Justitiæ legali oppositis adsunt nè aliqui reservati cum censuris?

M. Tertius Canon Bullæ Cœnæ est contrà Piratas, qui turbant jurisdictionem Pontificiam: quintus in eos, qui sibi arrogant jurisdictionem ad imponenda nova pædagia. Nonus in arrogantes sibi jurisdictionem ad faciendum, quæ ibi exprimuntur contrà morantes in Curià. 13. in arrogan-

gantes jurisdictionem ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum. 14. contrà sibi arrogantes jurisdictionem in Causis Ecclesiasticis. 15. contrà illam sibi arrogantes super libertate Ecclesiasticà: 16. contrà impedientes jurisdictionem Prælatorum Ecclesiasticorum. 17. contrà illam sibi arrogantes super bonis Ecclesiasticis. 18. contrà illam sibi arrogantes ad imponendum onera Ecclesiasticis. 19. contrà illam sibi arrogantes ad judicandum de personis Ecclesiasticis. 20. contrà illam sibi arrogantes in temporali dominio Ecclesiæ. Tandem excommunicantur, qui sibi usurpant jurisdictionem ad absolvendum in prædictis casibus.

14. D. Quas pœnitentias imponet Confessor violanti Justitiam legalem?

M. Hoc peccatum est gravissimum, & in usurpante sibi jurisdictionem maximè Ecclesiasticam, & in habente jurisdictionem, sed deficiente in aliis conditionibus. Quoad hoc secundum, Superior habens jurisdictionem, & judicans contrà justitiam magis peccat, quàm privatus furans, detrahens, vel occidens: Minus est pati hæc ab homine privato, quàm à constituto per Deum, ut avertat hujusmodi ausa privatorum; & maximè si ob pecuniam inducerentur isti Superiores ad injustè judicandum; essent enim pejores, quàm Sicarii, & Assassini, qui locant suam operam, ut alios occidant. Quoad primum curabit Confessor continere Principes intrà suos fines: ostendet

quàm

quàm grave sit peccatum occupare jurisdictionem alterius, quando illi defendendæ pro uno terræ palmo, licent Principibus bella, ex quibus tamen tot mala occasionantur; unde apparet jurisdictionem esse majus bonum, omnibus bonis exterioribus; & etiam bono privatorum hominum. At summè majus peccatum est usurpare jurisdictionem Ecclesiasticam. Qui hanc usurpat Ecclesiæ, & personis Ecclesiasticis, est veluti filius, qui, ut regnet, dejicit è throno patrem, ac matrem. Porrò in casibus, in quibus Confessor absolvet excommunicatos ob usurpatam jurisdictionem Ecclesiasticam, habebit ante oculos, pœnitentias, quæ præscribuntur in Bullà Cœnæ, vel in aliis Constitutionibus Pontificiis.

CAPUT XX.

De Justitià Distributivà, & Peccatis eidem oppositis.

JUstitia distributiva habet exercere sui judicium circà Reipublicæ bona, dividendo illa inter cives, (tamen ad utilitatem Reipublicæ) servando æqualitatem, non Arithmeticam, sed Geometricam. Justitia commutativa servat æqualitatem Arithmeticam, reddendo quod omninò debetur in re ipsà; si debeo centum personis decem aureos, reddo singulis decem,

sive

sive sit Princeps Creditor, sive plebejus. At distributiva servat æqualitatem Geometricam, quia habet proportionem ad dignitatem personę, adeò ut in eodem bello pugnantes milites, ex illis mereantur præmium in se majus, Duces, quàm gregarii milites, & merces menstrua trium scutorum proportionata militi, est omninò impar Duci. In hoc dicitur Justitia distributiva servare æqualitatem Geometricam, quia dividit considerans dignitatem præmiandi, & proportionat præmium ad personam. S. Thomas q. 62.

2. D. Quæ sunt ista Reipublicæ bona proportionalitèr, & Geometricè dividenda per justitiam distributivam?

M. Nomine bonorum proportionalitèr dividendorum veniunt gradus, honores, Magistratus, divitiæ (non tamen privatorum, sed quæ spectant ad Cameram) onera, vectigalia, talleæ &c. ex quibus ditescit Camera, seù publicum Principis ærarium.

3. D. Quid intelligis, dum dicis hujusmodi bona esse dividenda in utilitatem Reipulicæ?

M. Hujusmodi bona sunt dividenda proportionalitèr ad dignitatem personæ, ut cedit in utilitatem Reipublicæ. Ut enim Princeps justè distribuat gradus militares, non debet considerare tantùm subditi virtutem, si sit in se bonus civis, sed si sit bonus miles; & si exercendo gradus militares, erit utilis Reipublicæ. Ideò communitèr dicitur esse distribuenda non melioribus simplicitèr, sed

sed melioribus hìc, & nùnc; etenim considerandi sunt in singulari gradus, honores &c. pro loco, & tempore, ac estò in reliquis non sit civis ita virtuosus, si, omnibus consideratis, est utilior, debet præponi. In spiritualibus tamen habet locum *vitæ integritas, ac morum honestas*, ut §. 6. ait Clemens X. in Bullà *Supernà magni*, quia debent pascere populum exemplo, verbo, & opere, ut esse meliorem sit idem ac esse aptiorem in his circumstantiis ad consulendum Ecclesiæ.

4. D. Quas circumstantias debet in providendis considerare Superior, ut justè distribuat bona Reipublicæ, præsertìm Ecclesiasticæ?

M. Circumstantiæ in omni casu esse possunt infinitæ; propterea non possunt paucis comprehendi. Tamen innuendo aliquas in particulari: post talem vitæ integritatem, ut non sit scandalo populis providendus de Ecclesià, seù beneficio, debet primò omnium Superior habere ante oculos leges, & Canones: qui per hos redditur indignus, non potest provideri: secundò considerandum est servitium, cui providendum est, non persona: Multi cognoscunt se obligatos alicui, & statìm illi conferunt beneficium absque alià consideratione; hi providentpersonam, non beneficium. Justus dispensator (qualis est Superior, non Dominus, præsertìm beneficiorum Ecclesiasticorum) considerat beneficium: si enim sit Canonicatus, vel alia Præbenda, quæ solùm indiget adsistentià Chori, & recitatione Officii, ad ista quis esse potu-

rit aptior, etiamsi habeat doctrinam minorem alio: tertiò debet etiam considerari status providendi: nobilis enim debet provideri juxtà suum statum; quare illi non sufficit beneficium tenue, quòd plebejo sufficeret: quartò videndum est, ubi situm sit beneficium: Ecclesia enim ruralis debet provideri de Theologo, non purè Scholastico, sed Morali, legente sæpiùs Rituale Romanum, ut practicè sciat conferre sacramenta: quintò debet etiam maximè considerari, ut Superior confidere possit de illo, cui confert beneficium. Propterea S. Thomas q. 63. a. 2. ad 1. ait licere Prælato præferre cæteris suos consanguineos, quando aliàs æquè digni sunt, & fieri potest sine scandalo. Confessor igitur dirigens conscientiam dispensatoris bonorum, præsertim Ecclesiasticorum, proponat illi hæc omnia, faciatque distinguere hæc duo: nàm peccat, si distribuat, quia amicus est, quia consanguineus est, sed si cum hoc, quòd bonus est, & utilis Ecclesiæ, conjungitur esse amicum, vel consanguineum, in tali casu potest præferri, quia per illam circumstantiam redditur utilior.

5. D. Possunt nè distribui bona, præsertim Ecclesiastica, ob commendationem alicujus potentioris, & præcipuè Principis?

M. Unicum distribuendi motivum debet esse utilitas hìc, & nùnc Ecclesiæ. Si commendatio hominum esset, ut commendatio Dei, qui dùm commendat, facit bonum, utique posset id fieri: commendatio tamen hominis non facit bonum, &

uti-

utilem, ſed ſupponit; quare Superior in tantum poteſt admittere commendationem, in quantum iſta præſupponit meritum commendati; & ſupponendo meritum, debet aliqualitèr reſpici, ut teſtimonium, quod Apoſtolus 1. Tim. 3. vult accipi *ab iis, qui foris ſunt:* ſed merè, quia commendatur, non poteſt provideri: quare Superiores ubi habent commendationem, curabunt, ut commendantes, etiam merita commendati, & requiſita proponant.

6. D. Orationes Sanctorum proſunt peccatoribus; & Dogmatiſtæ probant licitam invocationem Sanctorum, ex ordine reperto in naturalibus, quòd pauper indignus aliquà gratià, tamen illam impetrat per interceſſionem nobilioris; quare aliàs indignus ob commendationem poterit provideri?

M. Deus in aliquibus ſe habet, ut Dominus; & in aliis, ut juſtus Judex: ut Dominus dat gratiam: ut Judex, ac diſpenſator dat gloriam; Ut Dominus ad interceſſionem Sanctorum dat gratiam; ſed ut diſpenſator dat gloriam juxtà merita. Superior ergo imitetur Deum in omnibus: In quibus eſt Dominus, faciat gratiam relaxando pœnam (niſi præjudicet bono communi) dando etiam occaſiones ſubdito ſibi intimo, ut poſſit mereri plura, ſed nunquam det bona Reipublicę præſertim Eccleſiaſticæ (quorum eſt diſpenſator) niſi merentibus, juxtà excellentiam meriti, & in utilitatem Eccleſiæ. S. Thomas q. 63. a. 1. ad 3.

7. D. Sufficit nè providere bonum, an requiri-

Digitized by Google

tur eligere meliorem, ut nõnulli videntur docere?

M. Cum bona Reipublicæ, præsertim Ecclesiasticæ, sint distribuenda merentibus, & utilibus Reipublicæ: & jus ad hæc bona fundetur in tali merito, hinc apparet, quòd jus majus habebit, qui magis meretur, & est utilior. Superiores autem constituuntur dispensatores; ut juri uniuscujusque provideant; propterea debent expectare sufficiens tempus, ut informentur de utilioribus, & ad hoc, sive per se, sivè per Ministros agere debitas diligentias: cum hac tamen ulteriori regulà, quòd Superior providens absolutè indignum, peccat ipse, & peccat provisus; Imò iste si acceptat, sicuti nullum habebat jus ad beneficium, ita nullum acquirit jus in beneficio, & providens tenetur illum spoliare. Si autem, omisso meliori, provideatur bonus, tùnc peccat solùm providens eligendo, quem hìc, & nùnc cognoscit non esse utiliorem Ecclesiæ, sed non peccat provisus acceptans, & se remittens judicio Superioris; imò acquirit jus in beneficio, nèc illo potest expoliari. Vide prop. 47. ab Innoc. XI. damnatã, quę ostendit, etiam extrà concursum, eligendos esse digniores.

8. D. Hæc doctrina replet scrupulis; nèc videtur attendi in electionibus etiam Regularium m_: nèc enim examinatur quis ex duobus sit dignior, sed quis consanguineus, amicus, nationalis &c.

M. Hæc doctrina non replet scrupulis, sed fundatur in verà, & naturali ratione: si enim est eligendus dignus, ergo magis dignus erit magis eligen-

gendus: præsertim quia dicimus eligendum digniorem hìc, & nùnc, omnibus pensatis; Cæterum sicuti Sancta Mater Ecclesia nullatenùs damnat electiones, quæ ordinariè fiunt, ita neque debet illas damnare filius volens in omnibus obedire, & imitari suam matrem, sed supponere legitimas, nisi contrarium manifestè constet; quando præcipuè malum non est eligere amicum, nationalem &c. sed eligere indignum, quia amicus, vel nationalis est. Cæterùm esset omninò lacrymabile, quòd Rerum publicarum, præsertim sacrarum, provisores introducerent hoc grande scelus contrà justitiam distributivam. Propter hoc peccatum expectari posset exterminium totale Reipublicæ: nàm *Regnum à gente in gentem transfertur* Eccl. 10 *propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos:* quæ omnia interveniunt, ubi justitia pessumdatur; nèc ullo possunt averti studio supremi Principis, nisi firmentur duæ virtutes in immediato provisore, Christiana charitas, & justitia distributiva. S. Thomas q. 61. a. 1. 2. & 3.

9. D. Extat nè præceptum affirmativum obligans ad actus Justitiæ distributivæ?

M. Extat hoc præceptum respectu Superiorum, qui habent dispensare bona Reipublicæ: Circà autem beneficia Ecclesiastica Sacri Canones determinarunt tempus; quo transacto provisio pertinet ad alium Superiorem. Non est meum determinare, an peccet mortalitèr Superior toto

illo tempore negligens providere. Certum est, quòd peccabit mortaliter peccato omissionis, ubi ex dilatione, beneficium, Ecclesia, Respublica, vel etiam privati patiantur grave damnum.

10. D. Quod est peccatum contrariè oppositum per excessum Justitiæ distributivæ?

M. Hoc peccatum non habet speciale nomen sed illo peccant, qui maximæ perfectionis ideam sibi fingunt, & juxtà illam volunt providere bona Ecclesiæ, conferre sacramenta &c. Bona hominum dividenda sunt hominibus, non Angelis. Ubi Superiores, parvi habito justitiæ, aut honoris affectu in providendis, unicè incumbunt ideæ perfectionis efformatę, decipiuntur sæpè: nàm plures, ut obtineant beneficium, quod appetunt, assumunt larvam sanctitatis. At obtento, ruunt in pessima quæque. Innumera id evincunt exempla. Hoc peccato peccaret Confessor, qui vellet absolutionem impertiri solùm, juxtà theses 16. 17. & 18. damnatas ab Alexandro VIII., vel communionem Eucharisticam, juxtà 23.

11. D. Quod est peccatum per defectum oppositum contrariè Justitiæ Distributivæ?

M. Istud peccatum vocatur acceptio personarum, & est, quando Superior in distribuendis Reipublicæ bonis non cõsiderat merita, nèc ad utilitatem respicit Reipublicæ, sed alias qualitates personarum non considerabiles in illà singulari distributione, honorum, graduum &c. Porrò sufficienter est explicata hujus peccati ratio, in præcedentibus.

12. D. Pec-

Digitized by Google

12. D. Peccata oppositа Justitiæ distributivæ sunt nè mortalia ex naturâ, & ex genere suo.

M. Peccata, sive omissionis, sive commissionis, & per defectum, & per excessum oppositа justitiæ distributivæ, sunt ex suo genere mortalia, ob rationem adductam p. 1. c. 34. n. 6. relegendam: est enim hæc justitia medium necessarium ad conservandam charitatem: qui non vult dare bonum alteri debitum, certè non vult charitatem proximi.

13. D. Admittunt nè parvitatem materiæ hujusmodi peccata oppositа Justitiæ distributivæ?

M. Admittunt utique parvitatem materiæ: dispensantur enim in utilitatem, seù bonum Reipublicę: propterea, quia potest Respublica sentire parvum detrimentum, erunt venialia ex parvitate materiæ.

14. D. Necessarium mihi est scire, an tria illa peccata, nempè, omissionis, commissionis per excessum, & commissionis per defectum, sint species infima: si enim sint species subalterna, cogam pœnitentem, ut ulteriùs explicet speciem infimam, juxtà Rituale adductum part. 1. cap. 7. num. 19.

M. Coges pœnitentem, ut ulteriùs explicet, an violarit, hanc justitiam in distribuendo bona Ecclesiæ, vel Reipublicæ sæcularis, vel familiæ &c. Item qualia sint bona, si honores, gradus, &c. Confessorque semper habebit præ oculis doctrinam S. Thomę 2. 2. q. 185. a. 7. *Si in modico de-*

ficiat, vel superabundet distributor, *potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualitèr accipere, quod fieri oportet: si verò sit multus excessus, non potest hoc latere: unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absque peccato mortali.*

15. D. Adsunt nè ullæ propositiones prohibitæ circà Justitiam Distributivam.

M. Adest 47. Innocentii XI. quam relegat, & curet Confessor, ut in terminis, in quibus jacet, servetur illa damnatio.

16. D. Adest nè ulla censura, vel reservatio peccatorum contrà Justitiam distributivam?

M. Nulla est censura, vel reservatio in universali contrà hujusmodi peccata præcisè, & per se spectata; nàm qui simoniacè distribuunt bona Ecclesiæ suprà violationem hujus Justitiæ, violant etiam Religionem. Canones in variis occasionibus imponunt pœnas malè distribuentibus; At hìc non refero ex duplici capite: primò: quia sequor Angelicum agentem Theologum, non Canonistam: secundò: quia hoc opus est pro Confessore ordinario, qui potest sufficientèr exercere suum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris, absolvendo, aut retinendo hæc peccata, medendo aut instruendo de illis, ac remittendo pœnitentes, ut super pœnis Canonicis incursis interrogent doctiores: quòd si Confessor cupiat scire illas, ut meliùs exerceat suum munus, habebit Doctores insignes, qui hæc scribunt.

17. D. Quas

17. D. Quas Pœnitentias imponet Confessor peccantibus contrà Justitiam distributivam?

M. Ecclesia consuevit determinare quasdam pœnitentias in particulari pœnitentibus, qui incidunt in aliquos casus reservatos; & cum peccata contrà Justitiam distributivam non sint reservata, Confessor non habet pœnitentiam determinatam, quam omninò teneatur imponere, sed diriget se juxtà Rituale, ut imponat contrarias peccatis pœnitentias. Peccans per excessum suadebitur, ut consideret sibi præ omnibus, ante oculos habendas esse leges Reipublicæ, præsertim Ecclesiæ, quam Spiritus Sanctus dirigit: quare in promovendis exigere aliquid suprà leges Ecclesiæ est exigere aliquid suprà Spiritum Sanctum. Sed faciliùs, & frequentiùs peccatur per defectum, acceptione personarum, respiciendo non ad merita, sed ad carnem, & sanguinem. Ut Confessor tollat suavitèr hujusmodi peccata pœnitentiis medicinalibus, ostendet, sacrilegia omnia, quæ provenient ex indignâ provisione, tribuenda esse malo provisori, v.g. si Confessor distribuat pœnitentibus malam doctrinam, vi cujus existiment licere, quod nullatenùs licet, & in quo non possunt excusari, Confessor non solùm peccat, dùm ita docet, sed est causa omnium peccatorum, quæ populus committit sequens talem doctrinam. Idem dic de ordinante indignum ad Sacerdotium &c. Monendus erit Pœnitens, ut in omni provisione quærat utilitatem Reipublicæ, non propriam. Et quia facilli-

cillimè possumus deflectere, Confessor hujusmodi Provisoribus consulet, ut in confessione se accusent, si quid ex inadvertentiâ, vel oscitantiâ deliquerint in distributione; quò gratia sacramentalis hujus sacramenti possit illis fortior in posterum adesse ad rectè distribuendum.

CAPUT XXI.

De Justitiâ Vindicativâ, & Peccatis eidem oppositis.

1. JUstitia Vindicativa differt à Distributivâ solùm in eo, quòd ista distribuit bona Reipublicæ merentibus: illa verò distribuit mala, seù pœnas à Republicâ statutas merentibus. In omnibus igitur est regulanda secundum dicta de Justitiâ Distributivâ:

2. Confessor particularitèr insinuabit primò pœnam, ut pœnam, nullatenùs expeti posse: sic enim esset odium formale: sed expetendam ut bonam, sive utilem, vel ipsi delinquenti, vel saltèm communi bono Reipublicæ, quæ pacatur, si exterminentur mali subditi.

3. Secundò: solus habens jurisdictionem potest dirigere pœnam ad bonum delinquentis, vel Reipublicę: & secundum quod habet de jurisdictione, poterit pœnam ordinare: Vita, & mors tantùm sunt in manu Principis, ut ipse possit addicere mor-

morti, & addicto ex gratiâ condonare vitam; Cęteri possunt pœnas majores, vel minores juxtà jurisdictionem sibi concessam. Jus Oeconomicum concedit patri pœnam leviorem; ita etiam jus Domini in servum; sed circà hunc erunt videndę leges particulares cujuscunque Reipublicę.

4. Tertiò: Justitià Vindicativa esse potest in privato, sed non ita, quòd ipse privatus possit exercere per se illius actum externum: quem solus potest exercere Superior. Igitur privatus poterit tantùm appetere, quòd reus puniatur, ob bonum publicum, seù proprium; Sed nemo obligatur appetere, ut reus puniatur ad satisfaciendum sibi. Aliàs est res plena periculi, quia, dùm agitur de nostris offensis, coloramus nostros affectus sub larvà boni privati, aut communis; cęterum sæpè ex odio appetimus pœnam, quia mala est nostro inimico: quare tutissimum est ex charitate, remittere omnem injuriam. Videmus, quòd ipsi supremi Principes nunquam per se ipsos judicant de propriis injuriis, sed aliis delegant hoc judicium, quia periculum est, ne ex odio ferantur in pœnam. S. Thomas q. 108.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De Justitiâ Commutativâ, & ejus Actu, qui est Restitutio.

1. IN duobus hæc justitia differt ab aliis enumeratis: primò: istarum actus externus exerceri potest tantùm ab habente authoritatem; At Commutativæ actum externum quilibet potest exercere: secundò: illę ponunt æqualitatem Geometricam, ista Arithmeticam; quare Confessor obligatus duobus pœnitentibus quinque scuta; dabit singulis quinque, quamvis alter sit fortis, alter in extremo vitę constitutus: quia tenetur ex justitiâ commutativâ; sed quia pœnitentiam in confessione tenetur dare ex justitiâ legali, dabit per proportionem Geometricam, attentà conditione status &c. uniucujscuque.

2. Tertiò: Justitia commutativa respicit jus, seù bonum, ut debitum. Jus autem, quod est illius proprium, potest esse duplex, aliud in re, aliud ad rem. Confessor debet attendere multùm ad hanc distinctionem. Qui habet jus ad rem, nondum est possessor, sed tamen suo tempore fiet possessor per legitimum Superiorem; & nùnc pecco, si mediis Illicitis tollo jus istud, & teneor ad restitutionem, si media opponantur justitię: At si mediis licitis tollo istud jus ad rem, non pecco: è contrà

jus

jus in re non possum tollere, nisi mediante justitiâ legali, & recursu ad Superiorem.

3. D. Audivi, quòd sine recursu ad Superiorem, potest quis ab habente jus in re, seù ab eo, qui est possessor repetere suum jus ad rem per occultam compensationem?

M. Cautus debet esse Confessor, nè aperiat viam mille injustitiis, approbando universalitèr occultam hujusmodi compensationem. Permitti potest, in casu, quo creditum sit omninò liquidum, multotiès contestatum Debitori, & fundatè timeatur grave damnum in recurrendo ad Superiores: v. g. famulus, cui vir nobilis debet mercedem pactam, sæpiùs illam petiit, & loco mercedis recepit verbera, vel minas mortis; Multò majora timet, si recurrat ad Superiorem, apud quem non habet, quomodo probet creditum, de quo testes nolunt deponere, ipsi etiam metu mortis comminatæ à communi hero; Insuper dummodò moralitèr sit certus, quòd crediti occultè surrepti culpa non refundatur in alios innocentes, & quòd non recipiat bis idem debitum. Cum omnibus his conditionibus Confessor poterit permittere compensationem occultam. Dixi *permittere*, si enim consulat &c. multi abutentur hàc doctrinà. Sit ergo cautus Confessor: ubi prædictas omnes conditiones invenerit, non obliget ad restitutionem, & interìm ne porrigat ausam peccâdi, consulet in genere, ut de alio hero sibi provideat, ut curet habere justitiã per manum Superioris &c.

4. D. Quid

4. D. Quid est Restitutio, quæ dicitur actus principalissimus Justitiæ Commutativæ?

M. Naturam restitutionis maximè debet intelligere quilibet Confessor, etiam ordinariissimus, quia principale peccatum regnans in mundo est violatio justitiæ, quod deleri non potest, nisi per restitutionem: *non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. S. Thomas q. 62. a. 2. Tota Romani Pontificis authoritas non valet absolvere, nisi fiat restitutio, vel offensus liberè dimittat. Restitutio autem est iterata compensatio ejus, quod quis habet alterius. S. Thomas a. 1.

5. D. Restitutio cadit sub præcepto affirmativo Justitiæ. Porrò præceptum affirmativum non obligat ad semper?

M. Cadit sub præcepto affirmativo, & importat etiam negativum non retinendi rem alienam; & quia non possumus perseverare in peccato voluntariè, ideò per præceptum negativum obligat statim, & ad semper. S. Thomas a. 8.

6. D. Restitutio est iterata compensatio rei acceptæ: quare homicida v. g. impotens resuscitare, non tenebitur ad restitutionem?

M. *Quando oblatum non est restituibile per æquale, debet fieri recompensatio, qualis est possibilis: cùm quis abstulit membrum, debet recompensare, vel in pecuniâ, vel in honore, consideratâ conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.* S. Thomas a. 2. ad 1. nisi gratuitò remittatur, ut fit inter inimicos divites, dùm pacificantur. Pauper verò, cui ma-

maritus occiditur, diſtinguit injuriam ſibi illatam, & damnum ex ipsâ ſibi, & familiæ reſultans. Quoad injuriam poteſt per Judicem exigere ſatisfactionem, ſed remittit, dando pacem: quoad damnum, petit reintegrari.

7. D. Quomodo reſtituet æquale, qui viis injuſtis impedivit habentem jus ad hæreditatem, ne conſequatur illam?

M. Confeſſarius primò intelligat peccati numerum, & ſpeciem, interrogando, quæ fuerint hujuſmodi viæ &c. an impediverit ex odio, an ex invidiâ &c. deinde applicet remedium. Petrus impedivit Paulo beneficium ſibi deſtinatum ab Epiſcopo, antequam conferatur, conſideret Confeſſor qualitatem beneficii, majorem, vel minorem Epiſcopi diſpoſitionem ad illud conferendum Paulo &c. penſatiſque omnibus obliget Petrum ad reſtituendum quanti valet hìc, & nùnc ſpes beneficii. Comburens menſe Martii ſegetes, tenetur minùs reſtituere, quàm ſi combureret menſe Julii; nàm expenſę faciendę, & alia pericula, quę poſſunt imminere, faciunt multò minoris valere ſpem futurę ſegetis &c. S. Thomas a. 2. ad 3.

8. D. Quot ſunt capita, ſeù radices, ex quibus oritur obligatio reſtituendi rem aliquam?

M. S. Thomas a. 6. reducit ad duo: *Res accepta*, & *Injuſta Acceptio*; ſub ſecundà venit damnificatio, etiamſi nihil mihi accipiam, ut cum incendo campum.

9. D. Quis tenetur ex primo capite, ſcilicèt, ratio-

ratione rei acceptę ad restitutionem rei ?

M. Quicumqne habet rem alienam, sive bonà, sive malà fide possideat: Possessor bonę fidei dicitur, qui non peccavit, dùm accepit rem alienam, ut qui credidit esse suam, vel emit ab eo, quem credebat esse verum dominum &c. Quòd si cognoscebat non esse verum dominum, sed saltèm dubitabat, erit possessor malę fidei. At si dùm accepit, ex conscientià erroneà, credebat non esse suam, peccavit quidem tùnc, & quousque retinet cùm istà conscientià, sed ubi verè cognoscit esse suam, non tenetur restituere, quia est restituenda res verè aliena, non quę credebatur aliena.

10. D. Tenetur nè æqualitèr reddere tàm possessor bonę, quàm possessor malę fidei?

M. Est differentia inter utrumque. Possessor bonę fidei, quando venit in malam fidem, seù cognoscit rem esse alienam, tenetur restituere rem si extat, in quo extat, & id tantùm, in quo factus est ditior; si verò non extat, non tenetur ad pretium rei, sed tantùm ad id, in quo factus est ditior: At possessor malę fidei tenetur restituere rem (hàc non extante pretium rei) cum damnis causatis domino; & propterea cum fructibus.

11. D. Tenetur nè ad omnes fructus?

M. Fructus sunt in triplici genere. Alii merè naturales, ut fœnum, quod spontè nascitur: Alii mixti, ut uva, quę nascitur ex culturà vineę. Alii industriales, ut lucrum, quod reportatur ex ludo: Primos fructus tenetur integros restituere: secundos

dos deductis expensis: tertios nullatenùs restituere: Hoc procedit in possessore bonæ fidei, quando possessor sit factus ditior: At si consumpsit bonà fide, si non factus ditior, non tenetur.

12. D. Qui tenentur ex re acceptà restituere?

M. Quotquot habent rem alienam, sive per contractum (finito tempore contractus) sive alio quocunque modo, si dominus rei ultrà præfixum tempus, sit rationabiliter invitus, ut ego retineam. Porrò sunt plures contractuum species, quarum notitia non datur hìc, quia non est omninò necessaria (licèt utilissima) Confessori ordinario, qui tamen notabit differentiam mutui, à commodato, & omnium aliorum contractuum, in quibus, ut in mutuo, transfertur dominium, ab iis, in quibus, ut in commodato, non transfertur dominium: ubi dominium transfertur, si res pereat, etiam absque meà culpà, teneor restituere, quia res perit domino suo: ubi non transfertur dominium, ob dictam rationem, non teneor restituere. S. Thomas q. 62. a. 6.

13. D. Explicà nùnc secundam radicem restitutionis provenientem ex acceptione injustà?

M. Ratione hujus tenetur restituere quisquis cooperatur peccato in accipiendo alienum, sive bona, sive famam, sive vitam. *Qui cooperatur:* quare non qui malo exemplo dat occasionem furti: nam hic peccans peccato scandali contrà charitatem, non cooperatur contrà justitiam. *In accipiendo*; quare consulens, mandans &c. furtum po-

ſteà impeditum, non tenetur. S. Thomas a. 7. ad 2. *In accipiendo*: quare à fure donatus parte furti, poſt furtum, tenetur ſolùm ad id, quòd accipit.

14. D. Quot modis homo poteſt cooperari injuſtæ acceptioni?

M. Modi comprehenduntur illis verſibus,

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus
Participās, Mutus, Non obſtās, Nō manifeſtās.

Iſtos novem modos peccandi conſiderare debet Confeſſor in omni peccato: nàm quocumque ex illis influam, verè pecco tali peccato, & quicunque ex illis conſtituit diverſam ſpeciem omninò explicandam; imò ubi eſt annexa excommunicatio, præſertìm in Bullà Cœnę, ſunt notanda Canonis verba, utrùm ligent ſolùm exequentem, vel etiam mandantem, aut conſulentem &c. nec enim leges pœnales extendendæ ſunt. Non exemplifico, quia cum hàc reflexione, legendo ſingulos Canones Bullæ, videbis in uno comprehendi plures, in alio pauciores ex dictis novem modis, qui tamen ſpecialitèr inducuntur in materià juſtitiæ, quia in iſtà ſpecialitèr obligantnr ad reſtitutionem, qui peccant aliquo ex illis modis; & quidem de ſe patet, quid importent *Juſſio*, ac *Conſilium*: nomine *Conſenſus* venit, qui conſentit actioni injuſtæ. *Palpo* ſignificat illum, qui ita adulatur furem, ut ex adulatione moveatur ad furandum: vel ad non reſtituendum: *Recurſus* ſignificat illum, qui receptat apud ſe fures ut tales, & eo.

& eorum furta, vel si ambo influant ad non restituendum sic, quòd eorum receptatio influat in furtum. *Mutus*, qui non clamat videndo fures: *Non obstans*, qui non impedit fures: *Non manifestans*, qui non detegit fures. Tamen hi tres ultimi tenentur ad restitutionem, quando solùm tenentur ex justitiâ, clamare, impedire, vel detegere, ut sunt deputati ad hoc à Principe, seù Princeps, seù etiam Administrator habens officium. At si ego sine officio, potens impedire non impedio, quia pecco solùm contrà charitatem, non teneor ad restitutionem. S. Thomas a. 7. Exemplum de fure positum est, ut magis commune: cæterùm illi novem modi considerandi sunt in aliâ omni actione, per quam lęditur justitia commutativa, in famâ, vitâ &c.

15. D. Alii dicuntur obligati restituere in solidum, & alii pro parte. Non intelligo istam distinctionem?

M. Dicuntur obligati restituere pro parte, qui habuerunt partem rei furto ablatæ, sed nullatenùs concurrerunt in ipsam actionem furti: At qui influunt in actionem, obligantur in solidum, ita ut singuli teneantur ad restituendum totum, quod fuit furto ablatum, etiamsi nihil rei venerit in suas manus. Tamen hoc ordine: primò tenetur restituere, qui possidet rem, estò ab initio bonâ fide possederit. Hoc non restituente, qui fuit causa principalior in furto, reddet totum injuriam passo, nempè jubens; & deinde

gradatim, qui magis influit. Ubi verò totum iste reddidit, acquirit actionem contrà socios, v.g. decem abstulimus centum oves, quas æqualitèr divisimus, ego, qui in furto minimam partem habui, teneor restituere omnes centum, sed acquiro jus in nonagintà, quas cæteri appropriarunt sibi ordine prædicto; si autem damnificavimus incendendo, v.g. segetes, tùnc tenemur quidem omnes; At si restituat, qui nobis fuit Author totalis damni, & talis, v.g. qui ita jussit, ut non possit eidem resisti, isto restituente, nos ad nihil tenemur ipsi principali. S. Thomas quæst. 62. a. 7. ad 2.

16. D. Aliquando lex obligat, ut qui furatur unam ovem, v.g. reddat quadruplum: quare extat casus, in quo tenemur ad plus, quàm accepimus?

M. Ex justitiâ commutativâ fur determinatè tenetur reddere, quod abstulit, v.g. unam ovem; & ulteriùs satisfacere ob injuriam illatam; ista tamen satisfactio non determinatur à naturâ, sed relicta est arbitrio Principum, qui per leges modò hanc, modò illam satisfactionem sanxerunt; & potest Princeps determinasse, ut reddatur quadruplum. In hoc casu una debebitur ex justitiâ commutativâ: tres autem ex Vindicativâ, & per consequens, ut repetantur istæ tres, requiritur sententia Judicis, qui solus habet exercere vindicativam. Igitur ubi furto abstuli unam ovem, teneor statim post furtum reddere unam, & durat peccatum

tum toto tempore, quo non reddo. Etiam tali lege de tribus existente, non pecco has retinens, nisi postquam Judex me damnavit: etenim tùnc ex justitiâ commutativâ incipio obligari. Paritèr qui perdidit ovem, si illam inveniat inter meas, potest sibi accipere, sed non tres alias, vi si post sententiam, & mandatum Judicis. Sanctus Thomas a. 3.

17. D. Dixisti n. 5. quòd restitutio est in præcepto, jam peto an sit sub præcepto obligante ad mortale?

M. Obligat ad mortale, quia est medium, sine quo non potest conservari charitas. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

18. D. Obligatnè ita, ut reddi possit veniale peccatum ex parvitate materiæ illius omissio?

M. Quia restitutio reparat bonum proximi; si parvum sit bonum, quod non reparo, ex parvitate materiæ, peccabo venialiter. Vide dicta p. 1. c. 36. n. 6.

19. D. Adsunt ne circà restitutionem ullæ propositiones prohibitæ à Romanis Pontificibus?

M. Vide 20. Alexandri VII. pro Beneficiatis; & 33. nec non 38. & 39. Innocentii XI. pro restitutione in genere.

20. D. Extant nè censuræ contrà omittentes restituere, vel ulla reservatio istius peccati?

M. Non invenio, quòd omissionem restitutionis generalitèr sibi reservarint Romani Pontifices. Plures Episcopi solent sibi reservare hoc pecca-

tum in aliquibus casibus. Confessor consulat Tabellam Reservatorum in suâ Diœcesi, nèc illam excedat. Quia verò in Bullâ Cœnæ multotiès fit mentio de satisfactione, sciendum, quòd communitèr nomine restitutionis intelligimus reddere quod ablatum est, ad quod ex n. 16. tenemur ante sententiam Judicis: nomine verò satisfactionis intelligimus reparationem injuriæ. Igitur hanc exigit Bulla Cœnæ, & aliæ excommunicationes; ubi loquuntur de satisfaciendo. Porrò hæc satisfactio ut plurimùm non est lege stabilita; quare remittitur exigenda arbitrio prudentis injuriati, vel saltèm Judicis; Tamen sciat Confessor; quòd Princeps violans libertatem Ecclesiasticam, per aliquod statutum ex Bullâ Cœnæ, tenetur satisfacere illud priùs revocando &c. nec non certiorando Summum Pontificem de revocatione.

CAPUT XXIII.

De Peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ in generali.

1. JUstitia est virtus moralis, & propterea, sicut aliæ, consistit in medio, habetque peccata contrariè opposita per defectum, & per excessum. Deficit, qui minus dat, quàm debet: Excedit verò, qui plus exigit, quàm sibi debetur.

Cæ-

Cæterùm idem omninò est peccatum, v.g. emens dat vendenti minus quàm debeat: è contrà vendens exigit plus quàm sibi debeatur; In confessione non est necessarium explicare, quòd ille fuerit emens, iste vendens &c. sed sufficit dicere, quòd in tali contractu intercesserit fraus compartis in quinque, vel in decem &c.

2. Plurima huic Justitiæ peccata opponuntur, de quibus S. Thomas à q. 64. ad 79. Utque clariùs ac faciliùs percipi possent, distinxit, quę fiunt per voluntariam commutationem ab his, quæ fiunt per commutationem involuntariam. Prima sunt, in quibus intercedit aliquis contractus ex utràque parte initus voluntariè; nec injustitia est in contractu, quia volenti, & consentienti non fit injuria, sed per talem contractum ego decipio proximum, v. g. voluntariè convenio cum emente, sed decipio illum, dando clàm vinum acescens loco boni: quare emens est invitus circà defectum. Injustitiæ verò, quæ nec fundantur, nec fundari possunt in legitimo contractu, dicuntur peccata circà commutationes involuntarias, v. g. furtum, homicidium &c. quòd si quis in aliquo casu consentiat, videndum est, an de jure possit consentire: si consentio, ut quis accipiat rem meam, non est furtum, quia de jure possum consentire: si maritus consentiat adulterio uxoris, quia de jure non potest consentire, adulterium spectat ad commutationes involuntarias. Idem dic, si quis consentiat se occidi à privato; si Clericus consentiat, ut

judicetur à Principe Laico &c.

3. Sæpè in voluntariis commutationibus Confessor solùm reflectit ad damnum personæ, non ad injuriam; nec ullum videns damnum, judicat pœnitentem immunem à peccato, cum aliàs gravissimè peccaverit: v. g. peto vinum merum, quod valèt juliis sexdecim; & Caupo mihi offert juliis duodecim vinum aquà dilutum, (quòd verè tanti vænit) dicens esse vinum merum. Non existimet hìc intercedere solum leve mendacium; sed ulteriùs interroget, an vinum emi potuerit ad sacrificium, an ad conservandum &c. in quibus casibus damnificatur emens; & adhùc an omninò voluerit vinum merum. In quo casu licèt non damnificaretur emens, tamen utpotè omninò invitus in vino diluto, patitur injuriam à pœnitente recompensandam arbitrio prudentis viri.

4. Peccata contingentia in involuntariis commutationibus possunt dividi triplicitèr: nàm primò læditur jus in corpus: hæc peccata consistunt in facto: secundò læditur jus in famà: hæc consistunt in verbo, & in factis dehonorativis: tertiò læditur jus in bona: hæc consistunt in facto: sub primis comprehenditur adulterium violans jus in corpus conjugis. De illo tamen agitur cum de castitate, quia sine hujus notitiâ non potest perfectè cognosci. S. Thomas q. 65. a. 4. ad. 3.

5. In commutationibus voluntariis, quæ versantur circà fortunæ bona, committuntur eadem peccata, quæ in voluntariis, & alia duo, nempè, fraus

fraus in emendo, & vendendo, nec non usura in mutuando; & horum notitia est summè necessaria præparanti se ad confessiones, etiam vulgi, quia in hoc vigent æquè, ac blasphemia, & juramentum. Porrò sciat Confessor, se ut Judicem, Medicum, & Doctorem ex officio, & justitiâ legali obligatum ad innuendam restitutionem pœnitenti; quòd si deficiat ex negligentiâ graviter culpabili, ex tunc per câput *Mutus* incipit ipse obligari ad restitutionem in solidum cum pœnitente: quare sibi consulat de doctrinâ sufficienti, etiam ex parte hac, ne sibi præjudicet.

6. D. Hæc doctrina me terret: si enim gravitèr negligo Theologiam Moralem, pecco primò tot peccatis, quot pœnitentibus audiendis me expono: secundò, quoties per illam negligentiam non obligabo pœnitẽtem ad restituendum, statìm insurget etiam in me gravis hæc obligatio; sed ubi deobligavi à restitutione pœnitentem ex negligentiâ vel inadvertentiâ, quomodo medebor huic malo?

M. Si ex gravi negligentiâ deobligasti, confitebere quàm primùm hoc peccatum; & quoad restitutionem, quomodocunque deobligaveris, vocà Pœnitentem, dicens tibi aliquid occurrere circâ præcedentem confessionem: si acquiescit, imple munus tuum: si non acquiescit, ille peccat, & tu etiam consules conscientiæ tuæ, ex quâ culpâ fueris causa talis damni.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ circà vitam proximi.

1. D. QUot sunt peccata, quæ committi possunt in vitam proximi, & specialitèr aperienda in confessione?

M. Ex S. Thomà q. 64. 65. sunt quatuor: Homicidium, quo tollitur vita: Mutilatio, quà tolluntur membra: Verberatio, quà dolore afficitur corpus: & Incarceratio, quà tollitur libertas. Ut sint peccata, debet violari jus ad illa.

2. D. Quando intelligitur homo habere, vel non habere jus in corpus?

M. Homo intelligitur ex vi justitiæ commutativæ habere jus ad conservandum corpus proprium, quando non utitur illo in commune damnum Reipublicæ, ita ut offendat justitiam legalem; & hæc ad conservandum commune bonum debeat procedere adversùs illam per Justitiam vindicativam.

3. D. Est nè differentia inter homicidium, & occisionem hominis?

M. Occisio dicitur, sive sit justa, sive injusta: è contrà homicidium sumitur pro injustà occisione.

4. D. Licetnè occidere hominem?

M. Præparans se ad confessiones figat memo-

riæ

riæ regulas generales, ex quibus parvo studio possit deducere conclusiones particulares. Animalia in mundo, ut reliqua omnia, sunt ordinata à Deo media in conservationem hominis, quare Gen. 1. Deus eorum dominium dedit homini; & nisi cesserint in jus alterius, potest homo sine injustitiâ occidere animalia; imò cum merito, si necessaria sint ad sui conservationem. etsi enim occisio sit malum particulare animalis, quia tamen est medium ad vitam hominis, quæ est majus bonum, potest eligi. S. Thomas q. 64. a. 1. At homo unicè ordinatur in Deum, & in commune bonum Reipublicæ, in quâ convivit, ut pars in suum totum: ordinare autem media in bonum commune solùm illius est, qui præest communitati. Nullus igitur privatus potest assumere vitam hominis, ut medium ad sui conservationem, quia ad hanc Deus illam non instituit: Quia verò Deus instituit vitam hominis ad bonum commune, Præses Reipublicę, & qui ab eo habet authoritatem, poterit illam eligere occidendo, tamen in casu solum, quòd illius vita sit damnosa Reipublicæ: tunc verò dicetur damnosa, quando ille violaverit leges justas, quę mortem imponunt violatori.

5. D. Communitèr dicitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ occidi posse hostem, qui me invadit ad occidendum?

M. Ex dictâ ratione privatus nunquam potest velle occisionem alterius: quilibet nihilominùs

potest

poteſt velle ſui conſervationem. Addenda nunc eſt, majoris claritatis gratiâ, ſequens regula generalis: Licèt aliquod malum intendi non poſſit, poterit tamen permitti ab eo, qui non habet obligationem prohibendi tale malum. propterea ex SS. Auguſtino, & Thomâ 2.2. q.10. a 11. Principes poſſunt permittere (non intendere) meretrices, quia, utpotè obligati ad juſtitiam, non ſunt obligati ſpecialitèr impedire hoc peccatum, quod non eſt contrà juſtitiam, & poſſunt permittere ob aliquod bonum Reipublicę, ſcilicet, ne turbentur omnia libidinibus. Igitur privatus invaſus ab hoſte, nunquam intendet illius occiſionem; tamen ad illius conſervationem non obligatur, niſi generalitèr ex vi charitatis, quæ non obligat impedire illius occiſionem cum proprię vitæ periculo; quare poterit ſe defendere, & intendere ſuam defenſionem; quòd ſi ex hac defenſione ſequatur mors nunquam intenta, erit omninò per accidens, nec imputabilis ſe defendenti. Hoc, & nihil aliud ex S. Thomâ intelligitur, dicendo licere occiſionem hoſtis cum moderamine inculpatę tutelę, ita, quòd adhibeat omnem moralem diligentiam, ut illum conſervet: ſi poteſt ferire in brachio, & ita ſe defendere, non feriat in pectore &c. Alias nec eſt moderamen inculpatæ tutelę, nec excuſatur à peccato; Unde in praxi difficillimùm eſt, ita ictus moderari, ut ſe defendens ſit immunis ab omni peccato, & ab irregularitate annexà homicidio. Tutius igitur eſt hortari,

tari, ut actionem subjiciat clavibus, & si velit fieri Ecclesiasticus, petere dispensationem ab irregularitate.

6. D. Cum moderamine inculpatæ tutelę, ut dictum est, licet se defendere, permittendo occisionem hostis (licèt in praxi velim semper sequi tuum consilium;) licebit nè ergo mihi eodem modo defendere gemmam à fure, ita quòd prævidens illius mortem, non intendam, sed permittam. Idem dic de virginitate, & honore?

M. Non est cum moderamine inculpatæ tutelæ defensio gemmę, ad quam sequitur occisio; nam adest alia via repetendi sine occisione furis, nempè, Justitia legalis. Virginitas si violatur invita, duplicatur ad coronam. Honoris etiam reparandi via est Justitia legalis. E contrà vitæ reparandæ non est alia via, ut supponitur: nam mortuus non possum implorare Principem. Ita deducitur ex S. Thomà q. 64. a. 5.

7. D. Hæc dicta verificantur, si prævideo mortem aggredientis, quid judicandum, si me defendens occido non prævidens occisionem?

M. Ex S. Thomà a. 8. tenenda est hæc regula generalis. Ubi facio aliquid, unde sequatur mors non prævisa, vel aliud malum: si do operam rei licitę, & adhibeo debitas diligentias, occisio non imputatur mihi: At si omitto debitas diligentias, vel do operam rei illicitæ, sum reus occisionis.

8. D. Possumnè occidere me ipsum?

M. In

M. In nullo casu licet occidere se ipsum, nec Judex potest aliquem damnare, ut occidat se ipsum; estò cognoscerem me damnosissimum bono communi: Non possum mihi ordinare mortem, quia id est solius Principis, qui præest bono communi; nec possum in me exequi mortem à Principe ordinatam, quia executio est actus Justitiæ vindicativæ: omnis autem Justitia est ad alterum, non ad se ipsum. S. Thomas a. 5.

9. D. Explicà secundum peccatum in vitam contrariè oppositum Justitiæ Commutativæ.

M. Secundũ peccatum est Mutilatio membrorum: Membra sunt pars corporis, & pars Reipublicę, ut totus homo: Corporis partes possunt esse damnosę physicę, si putrescant: Reipublicę damnosę moraliter, si homo iis peccet contrà leges. Ut sunt medium conservando corpori, subsunt dispositioni hominis, qui administrat totum corpus; & ita ne hoc inficiat membrum putre, poterit incidi: Ut damnosum Reipublicę, subest administrationi solius supremi Principis, vel habentis ab eo authoritatem; estò enim prœcisio membri tam mala non sit, ut mors, quia tamen affert homini damnum perpetuum, & irreparabile, illam ordinare spectat solum ad eum qui habet jus in vitam. S. Thomas q. 65. a. 1.

10. D. Explicà tertium peccatum circà vitam proximi oppositum Justitię Commutativę?

M. Tertium peccatum est verberatio, quę est mala, ut afficiens dolore sensum: est aliquando vulne-

vulnerans corpus (quod erit explicandum in confessione) per consequens peccaminosa. S. Thomas a. 2.

11. D. Explicà quartum peccatum circà vitam proximi oppositum Justitiæ commutativæ?

M. Quartum peccatum est Incarceratio, per quam tollitur libertas homini, ut benè agat. Hæc privatio est grande malum; propterea est suprà jus paternum, & dominativum. Tamen Pater, & Dominus, si eâ abutantur in malum Filius, & Servus, possunt illos ad breve tempus detinere: Si ad longum tempus detinendi sint, debent & ipsi recurrere ad altiorem potestatem. S. Thomas a. 3.

12. D. Audivi, quòd aliquando hujusmodi peccata transeunt in aliam speciem?

M. Transeunt utique juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 10., quando, præter justitiam commutativam, prohibentur insuper ab aliâ virtute. Porrò singula quatuor primò prohibet Dulia contrà Superiores: secundò Pietas contrà Consanguineos & Affines: tertiò Religio contrà personas Deo sacratas juxtà ordinationem Ecclesiæ. Et si alias virtutes contigerit violare, peccata hæc erunt in totidem speciebus. S. Thomas a. 4.

13. D. Peccata hæc contrà vitam proximi sunt nè mortalia ex genere suo?

M. Sunt utique ob rationem adductam p. 1. c. 34. n. 6. nec enim potest servari charitas volens bonum proximo, si hæc eidem mala inferantur.

14. D.

14. D. Poſſuntnè hujuſmodi peccata reddi venialia ex parvitate materię?

M. Primum, & ſecundum non poteſt, quia formalitèr important grande malum proximi: tertium poteſt, ſi verberatio inferat leve damnum: quartum non poteſt, ſi ſit formalis incarceratio, quia importat grave damnum; & detinere ad breviſſimum tempus, eſſe poterit veniale, ſi damnum leve inferat.

15. Adſunt nè ullę propoſitiones prohibitę circà hæc peccata in vitam proximi?

M. Adſunt Alexandri Septimi 17. 18., & 19. nec non 30. 31. 32. 33. 34. & 35. Innocentii XI.

16. Adſunt nè aliquæ cenſuræ contrà committentes hujuſmodi peccata, vel reſervatio illorum?

M. Epiſcopi ſolent ſibi reſervare homicidium, ſed videantur conſtitutiones ſuprà hoc cujuſcunque Diœceſis. In Bullà Cœne reſervantur hujuſmodi peccata contrà perſonas enumeratas §. 15. §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. & 19. In c. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. reſervantur commiſſa contrà Clericos & juxtà ampliationem Sacrorum Canonum, quæ videatur p. 1. c. 20. B. Pius Quintus eàdem pœnà innodavit committentes illa in Miniſtros Sancti Officii. Tandem Gregorius XIV. excommunicavit procurantes abortum animatum, & reſervavit. Epiſcopis: ſi fętus non ſit animatus, eſt homicidium teductivè, quia tollitur vita ei, qui illam habet in potentià: ſi ſit animatus, eſt formale homicidium, & utrumque eſt grave peccatum im-

pe-

Digitized by Google

pedire vitam (etiam per pocula sterilitatis) & tollere vitam; sed hoc multò graviùs respectu abortus, cui tollit vitam temporalem, & infert mortem æternam. Fætus masculus animatur post 40. dies; fœmineus post 80. In dubio an sit animatus, vide dicta c. 18. n. 8. In Urbe potest quilibet absolvere ab excommunicatione incursà propter abortum fætus animati, quia ex p. 1. c. 10. n. 7. solùm prohibentur Confessores absolvere casus reservatos Pontifici.

17. D. Quas pœnitentias Confessor imponet peccantibus aliquo ex dictis peccatis contrà vitam proximi?

M. Si deberet sequi leges civiles, gravissimè hi essent puniendi, sed, & sequendo Canones antiquos. Veruntamen si ob statum, conditiones, & qualitates pœnitentium, prudentèr illos debeat moderari Confessor, sciat homicidis, & mutilatoribus imponendum esse, ut nunquam accedant ad ordines suscipiendos, vel ad exercendos susceptos, quia sunt irregulares: secundò: qui ob talia delicta sunt excommunicati, Confessor videbit pœnitentias omninò præscriptas in Bullà Cœnæ &c. illasque imponet: tertiò: ut horrorem incutiat pœnitenti circà hoc peccatum, leget priùs attentè, sæpiusque Catechismum Romanum p. 3. c. 6. n. 15. & 16. nàm inde hauriet motiva, ut ostendat gravitatem similium peccatorum.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De peccatis contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ, per quæ facto infertur damnum rebus proximi.

1. D. QUot sunt hujusmodi peccata?

M. Ex S. Thomâ q. 66. sunt duo; Furtum, & Rapina. Furtum est *occulta acceptio rei alienæ invito domino:* dicitur *occulta*, quia fur, quantùm est de se, curat, ut dominus nesciat, à quo lædatur: dicitur *acceptio*; quo nomine intelligitur etiam detentio: dicitur *rei alienæ:* propterea non est fur, qui accipit gemmas casu inventas in littore maris; thesauros subtùs terram (circà quos erunt servandæ leges speciales locorum) & quæcunque nullius dominio subsunt, vel non subesse verosimilitèr creditur, quoad usque non constet contrarium. Porrò quantum temporis requiratur ad præscribendum, cùm S. Thomà relinquemus determinandum Juristis: dicitur *invito domino*: volenti enim, & consentienti non fit injuria; nèc sufficit, quòd quis fingat sibi dominum consentientem, sed quòd in conspectu Dei verosimilitèr non præsumatur invitus.

2. D. Qui venit nomine furis?

M. Ex Catechismo 3. p. c. 8. n. 9. fur est primò

mò, præter accipientem, qui emit rem furto sublatam: secūdò, qui retinet rem alienam inventam, si non reddat domino, vel hoc ignorato, non distribuat pauperibus: tertiò, qui fraudem adhibet in emendo, & vendendo: quartò, qui vendit merces corruptas: quintò, qui utitur mensuris fallacibus: sextò, qui exigit mercedem suprà debitum: septimò, servus, qui non custodit rem domini, ut debet: octavò, qui se fingit mendicum, ut captet eleemosinas, conjungens furtum mendaciis: nonò, qui accipiens mercedem, deest suo muneri.

3. D. Sunt nè aliæ furtorum species distinguendæ?

M. Ex S. Thomà a. 6. ad 2. & Catechismo n. 5. distinguuntur specie, si res furto ablata sit hominis privati, vel Reipublicæ: si auferatur homo; & si homo aliàs sit servus, vel liber; si res sit sacra: Porrò singulorum nomina vide apud illos. Confessori ordinario sufficit scire, quòd explicanda sint specialitèr in Confessione.

4. D. Scio, quòd si auferatur res sacra, est sacrilegium, vellem scire, quot modis hoc committatur?

M. Committitur primò, si auferatur res sacra de loco sacro; & est duplex peccatum, quia duplex injuria, loco, & domino: secundò, si auferatur res sacra de loco non sacro: tertiò, si auferatur res non sacra de loco sacro: debet autem res non sacra esse deputata usui sacro: quare non committo sacrilegium,

gium, si in Ecclesiâ aufero vas argenteum, quod secum per accidens tulerat argentarius auditurus missam, at si commodavit illud pro festo Ecclesiæ vel deposuit apud Ecclesiam, committo sacrilegium.

5. D. Hæc peccata sunt frequentissima, sed pœnitentes prætexunt multas excusationes, nè obligentur ad restitutionem, quid tùnc faciet Confessor?

M. Id ordinariè contingit: Confessor tamen sit fortis, & constans pro veritate, & justitiâ, non modò ergà pauperes, sed, & ergà nobiles: Equidem in confessione standum est dicto pœnitentis, & pro se, & contrà se, sed ubi Confessor videt pœnitentem cespitare, ponat casum in ejus personâ: etenim ex lege naturæ faciendum est proximo, quod nobis fieri volumus. Igitur petat, si res illa fuisset sibi furto sublata, & qui surripuisset, prætexeret easdem ratiunculas, an boni consuleret, ut eum à restitutione deobligaret. Ubi verò intelligat dari rationes pro se, sed cespitando, quærat ulteriùs, an conscientia illum omninò quietet in motivo deobligante; consulatque, ut sequatur in hoc dictamen conscientiæ rectæ semper inclinantis ad tutiora.

6. D. Licèt nè furari in extremâ necessitate?

M. Propriè furtum est acceptio rei alienæ: Porrò in extremâ necessitate omnia sunt communia; & si in tali statu consumat, non tenetur restituere. S. Thomas q. 66. a. 7. sed Confessor non liti-

litiget de nomine. Intelligat in extremà necessitate posse, imò debere quenquam sibi subvenire.

7. D. Erit nè furtum, si ego accipio rem meam depositam apud Petrum sine illius licentià?

M. Quidquid sit, an debeat dici furtum, certè pecco, surripiens occultè rem meam, & facio injuriam Petro. S. Thomas a. 3. ad 3.

8. D. Rapina quid addit suprà furtum?

M. In rapinà fit duplex injuria: altera in bona, & altera in personam, cui per violentiam rapiuntur bona. Ex hoc secundo capite, non licet rapere in extremà necessitate, quia homini violentia solùm potest inferri per justitiam legalem. S. Thomas q. 66. a. 4.

9. D. Quot sunt Rapinarum genera?

M. Omnis acceptio rei alienæ, si fiat cum violentià, est rapina; & sunt explicandæ species in confessione, ut dictum est de furto. Catechismus p. 3. c. 8. à n. 10. ad 16. enumerat, ut Raptores; primò non solventes mercedem operariis (quod ex c. 4. n. 12. est peccatum in Spiritum Sanctum) secundò dantes ad usuram: tertiò Judices muneribus, vel pretio sententiantes: quartò, qui fraudant suos creditores: quintò inficiantes debita: sextò, qui suo tempore non solvunt merces creditò acceptas: septimò, qui mutuantes pauperibus, cum reddere non possunt, acerbiùs exigunt pignora: octavò, qui victualia occultat in necessitate, ut cariùs vendat. Principes autem eò graviorem rapinam committunt, in his casibus, quò magis

tenentur rapinam avertere.

10. D. Hæc duo peccata ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Sunt utique ob rationem adductam part. 1. c. 34. num. 6. quia cum illis non poteſt ſtare charitas?

11. D. Admittunt nè parvitatem materiæ?

M. Utique admittunt, etiam ſacrilegium, & rapina, ſi damnum illatum, vel violentia ſit omninò levis.

12. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ circà hæc duo peccata?

M. Vide 36. & 37. Innocentii XI. Alexander VII. in 8. 9. & 10. declaravit tales actiones eſſe contrà juſtitiam: quare nùnc certum eſt eſſe furta. Actiones aliæ ſunt definitæ ut injuſtæ: propterea ſpectant ad genus furti traditum à Catechiſmo, ſed quia involvunt commutationes voluntarias; ideò adducentur c. 28.

13. D. Hæc duo peccata ſubjacent nè ulli excommunicationi, vel reſervationi?

M. Videatur tertius Canon Bullæ Cœnæ contrà Maris Pontificii Piratas &c. quartus contrà ſurripientes naufragantium bona: 10. contrà deprædantes Romipetas &c. 12. contrà ſpoliantes eos, qui recurrunt ad Sedem Apoſtolicam &c. Notentur etiam 13. 17. & 18. Extat part. 1. c. 20. excommunicatio in auferentes &c. de Eccleſiis lapides, & ornamenta. In diripientes bona &c. Chriſtianorum commorantium inter Turcas.

In

In detinentes &c. scripturas Cameræ Apostolicæ. In diripientes bona Sanctæ Inquisitionis. Ubi casus advenerit, legantur anteà per extensum, attentè, vel saltèm dicta c. 20.

14. D. Quas pœnitentias imponet Confessor pro hisce peccatis?

M. Zacchæus, si quem defraudavit, Luc. 19. reddidit quadruplum: sed Confessor nùnc sudabit, ut reddatur simplum, quod verè fuit ablatum: facilè inducimur, ut quæramus aliena, sive mutuò, sive alitèr: sed reddere vix cogitamus tùnc, quando ita abundant bona, ut ferè debeamus illa proiicere. Promittimus quidem; at nunquam adimplemus. Ergo totus in hoc sit Confessor: Magnati ostendat damna ex dilatione provenientia familiæ opificum. Habentẽ, unde vivat commodè, obligari ad expensas Hospitalium unicè institutorum pro verè pauperibus, si ad illa infirmi accedant, vel mittant filios illegitimos, etiamsi Hospitalia non exigant expensas. Qui aliena invenit, teneri ad debitam diligentiam pro inveniendo etiam domino; & non reperto, esse distribuenda pauperibus; quòd si sit ipse pauper, solùm ex consilio Confessoris posse sibi applicare. Qui peccant his duobus peccatis, teneri propriis expensis remittere bona domino longè distanti. Ostendat mercedes esse statim solvendas, nèc fatigandos operarios, qui aliquando plus ipsâ mercede consumunt in calceis, ut accedant domum Debitoris. Dedecere plurimùm, si consuetam

pro loco, tempore &c. mercedem extenuent pauperi; memoriæ pœnitentium infigat: multò melius esse, quòd aliquid de suo dives infundat in beneficium pauperis, quàm quòd pauper refundat diviti; de mammonà iniquitatis præparanda nobis tabernaculà, non supplicia æterna. Habeat præterea in promptu Catechismum p. 3. c. 8. præsertim à n. 20.

CAPUT XXVI.

De peccatis verborum in judicio contrariè oppositis Justitiæ Commutativæ.

1. EXplicatis peccatis, quæ facto inferunt damnum proximo, S. Thomas procedit ad explicanda peccata, quæ damnum inferunt verbo. Horum alia committuntur in judicio; alia extrà judicium; & hæc possunt committi tàm in judicio, quàm extrà; ut calumniæ. Loquemur de his capite sequenti. Solùm hìc adverte, quòd hujusmodi peccata in judicio sunt in duplici specie: opponuntur enim Justitiæ Legali, & Commutativæ: propterea id explicandum erit in confessione. Hìc agimus de peccato commissionis in quinque generibus personarum habentium locum in judicio, scilicèt, Judice, Accusatore, Reo, Teste, Advocato, seù cæteris assumentibus partes defendendi Reum; de quibus S. Tho-

S. Thomas à q. 67. ad 72. Porrò sufficientèr intelligemus, quando hi peccent, ubi ostenderimus, quid requiratur, ut rectè suum munus exerceant.

2. D. Judex quid debet facere, ut justè judicet?

M. Primò debet habere jurisdictionem (quæ saltem detur Arbitris per compromissum) Theologi non est quærere, quando, & qualitèr acquiratur jurisdictio: hæc agitantur in foro externo; secundò: sicut sententia est publica, ita scientia debet esse publica, scilicèt, per vias publicà authoritate firmatas accusationis, inquisitionis &c. Confessor hæc non tenetur scire, sed Judex, cui propterea commendet, ut semper agat juxtà leges. Tamen sciat Fiscalem habere jus inquirendi nomine fisci, quando saltèm præcessit rumor publicus. Tertiò, etiam in sententiando sequetur leges, adhibendo Clementiam, ubi habet locum; ita quod non sententiet ad pœnam, nisi à lege statutam; & dùm judicat, si potest esse locus Clementiæ, non infliget omnem pœnam à lege statutam; quartò, datà sententià, nequit ipse pœnam diminuere, sed hoc spectat ad Principem. S. Thomas q. 67.

3. D. Quid faciet Accusator, ut justè accuset?

M. Delictum venit in notitiam publicam: primò clamorosà insinuatione (tùnc fiscus ex officio indagat veritatem) secundò denunciatione, quà habità fiscus etiam procedit. S. Thomas q. 68. a. 2. ad 3.

ad 3. tertiò accusatione: hìc pars instat pro punitione: & debet probare delictum; non ita denunciator. S. Thomas ibidem (Hìnc meritò Alexander VII. damnavit quintam propositionem: vide illam) His præsuppositis, Fiscalis, Denunciator, & Accusator non intendent pœnam, ut afflictivam Rei, sed ut per Reum castigatum conservetur bonum publicum, & Accusator potest intendere, ut sibi privato satisfiat de injuriâ, sed melius facit, si omninò remittat. Alitèr deferentes committunt peccatum odii: secundò: Accusator deferat in scriptis, ut statuunt leges; alitèr violat justitiam legalem: tertiò: fugiant omnes tres tergiversationem, quæ consistit in non prosequendo delationem, ubi est prosequenda: quartò: fugiant prævaricationem, quæ consistit in deferendo per fraudes. Alitèr lædunt Rempublicam, & Reum: quintò: fugiant calumniam, quæ consistit in deferendo falsum malitiosè, non ex animi levitate, aut justo errore. Alitèr etiam peccant contrà Rempublicam, & calumniatum. S. Thomas q. 67. a. 4. ad 3. & 68. a. 3. ad 1.

4. D. Quid sibi volunt dicentes Accusatorem obligari ad pœnam Talionis?

M. Significant, quòd deficiens uno ex tribus ultimis requisitis damnandus est pœnâ, quam subiret Reus, si probaretur delictum illi objectum. Justissima lex: etenim qui timore pœnarum apertè nequibant perdere hostem, conabantur impunè perdere per justitiam legalem, imponendo

do grande crimen, cujus vel solùm nomen horrebant Principes, ipsi justissimi, & metientes alios ex se. Viridem legis hujus observantiam in genere Confessor urgebit. Sciat tamen nostris temporibus calumniatores sibi prospicere libellis anonymis, & quò calumnia fiat credibilior, oculis Principum pientiorum subiiciunt nonnulla vera, sed leviora, pluribus falsis, iisque gravissimis. Confessor moneat Superiores, in vim libelli anonymi posse solùm oculatiùs inquiri veritatem; & nunquam procedi contrà denunciatum. Ubi verò cognitum fuerit libellum scatere calumniis, omnimodè curandum, ut denunciator detegatur, & castigetur ut calumniator.

5. D. Quid faciet Reus, ut justè procedat in judicio?

M. Judex in triplici casu habet jus inquirendi veritatem à Reo etiam contrà se: primò: ubi est infamatus de delicto: secundò: ubi apparuerint expressa indicia delicti: tertiò: ubi præcessit semiplena probatio per depositionem unius testis omni exceptione majoris. In his casibus peccato omissionis peccabit Reus tacendo veritatem; si taceat utendo insuper dolis, & fraudibus, addet peccatum commissionis. Tertiò peccabit appellans contrà ordinem legum, quæ prohibent appellari post decem dies, & post trinam sententiam: quartò peccabit positivè resistens executioni sententiæ justæ. Potest quidem fugere à carcere, sed non effringere carcerem, quia, prætèr damnum effractionis

ctionis, tùnc operans positivè resistit. Si non cognoscat esse justam, debet magis credere Superiori procedenti juxtà leges, quàm sibi ducto passione. Si manifestè cognoscat esse injustam, positivè poterit resistere, *nisi fortè* ex S. Thomâ a. 4. *propter scandalum vitandum, cum gravis turbatio timeretur.* Pro tranquillitate publicà etiam innocens debet exponere vitam, & famam; non omnia vertere sus deque, cùm detrimento Reipublicæ etiam regularis, ut promoveamus nostrum privatum bonum; & propterea permittendo proprietatem, incontinentiam &c. in iis, quorum suffragia speramus; è contrà gravissimè animadvertendo regulares inobservantias (neque obligantes ad veniale) in iis, quorum suffragia respiciunt bonum publicum. S. Thomas q. 69.

6. D. Quid faciet Testis, ut justè testificetur?

M. Testis primò peccat peccato omissionis, tacendo veritatem, quam tenetur dicere: illamque tenetur dicere, quando delictum est directè contrà bonum publicum, aut leges, ut Edictum Sancti Officii, obligant dicere. In his casibus tenetur, estò sciat delictum sub sigillo naturali (dummodò non sacramentali) Extrà hos casus non tenetur revelare, quæ habet sub sigillo naturali. Quæ scit extrà sigillum naturale, præter dictos casus, tene tur revelare, quando solùm Judex requirit: si non requirit, distingue: vel agitur de Reo liberando, & tùnc tenetur se offerre, vel de Reo damnando, & tùnc non tenetur se offerre. Tamen quo-

mo-

modocunque compareat, peccat peccato com missionis mentiendo, præsertim intercedente juramento (quod non admittit parvitatem materiæ) peccabitque, primò, quia tacet veritatem: secundò, quia mentitur contrà Justitiam legalem, & commutativam, in Reum, si mentiatur in damnum illius; & contrà religionem ob juramentum. S. Thomas q. 70.

7. D. Quot testes requiruntur ad damnandum Reum?

M. Deut. 19. dicitur: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Aliquæ propterea leges humanæ tres exigunt testes, aliæ duos, qui debent esse omni exceptione majores, ubi tales non sint, humanæ leges voluerunt suppleri per majorem numerum: Doctores disputant, an in conscientià obligent leges, quæ plures tribus exigunt testes omni exceptione majores. Confessor sciat lege Canonicà sustineri testamentum ad pias causas cùm duobus testibus, & Parocho. Reliqua non tenetur scire: In facti contingentià consulat doctiores, præsertim Episcopum, qui sciet optimè, quando leges obligent in conscientià. Sanctus Thomas quæst. 70. articul. 2. qui ad 3. dat regulam omninò videndam pro corrigendis excessibus virorum illustrium.

8. D. Quid faciet Advocatus, ut justè patrocinetur?

M. S. Thomas q. 71. conjungit Advocatum, & Medicum, quia in hoc sunt paris conditionis. Primò peccabunt ambo contrà charitatis præcep-

tum

tum affirmativum, si in extremà necessitate deserant pauperem, vel contrà negativum, si tùnc pretium laboris exigant: secundò peccabunt peccato commissionis contrà Justitiam, si accepto subveniendi officio, decipiant, vel damnificent. Tertiò peccat Advocatus contrà justitiam patrocinans causam Clientis manifestè injustam. Erit injusta, si apertè sit contrà leges, aut sciens de facto, v. g. me soluisse, urget, ut iterùm solvam. Defendens in his casibus obligatur ad litis expensas, quibus ne succumbat, tenetur inducere Clientem ad cedendum; hoc recusante, dimittet litem, non tamen parti prodet Clientem, nec revelabit secreta. Pro labore in utendo scientià potest Advocatus exigere pretium. At Judex, & testis possunt exigere solam sustẽtationem à parte illos inducente. Stipendium verò Judici Respublica deberet assignare. Circà quæ Angelicus a. 4. affert illud Augustini. *Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent: data per tolerabilem consuetudinem non solent*; consideratis loco, tempore, negotiis &c.

9. D. Sunt nè mortalia ex genere suo peccata huc usque enumerata, in quæ possunt incidere ista quinque genera personarum?

M. Sunt utique; sive sint contrà charitatem: sive peccata omissionis, sive commissionis contrà Justitiam ob dicta p. 1. c. 34. n. 6.

10. D. Possunt ne peccata hæc reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Ex

M. Ex dictis peccata alia ſunt contrà juſtitiam commutativam, & alia contrà legalem: prima reddi poſſunt venialia ex parvitate materiæ ob rationem adductam p. 1. c. 36. n. 5. quia hæc facit leve damnum, quod infertur: In ſecundis poterit quidem homo peccare venialitèr, ſi non plenè advertat eſſe contrà juſtitiam legalem, & aliquando poterit eodem actu mortalitèr peccare contra juſtitiam commutativam; & venialitèr contrà legalem, quia plenè advertit ad primam; ſemiplenè ad ſecundam; ſi plenè advertat ad ſecundam, non excuſatur à mortali ob parvitatem materiæ: omnis enim uſurpatio, quantuncumque minima juriſdictionis alienæ habet in ſe totam rationem graviſſimæ injuriæ contrà Principem. Juriſdictio enim eſt velut pupilla oculi, quam innuimus volentes ſignificare gravitatem injuriæ juxtà illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

11. D. Circà hæc peccata ſunt ne propoſitiones prohibitæ?

M. Quinta Alexandri VII. tangit teſtem in materià hæreſis; & 6. in materià Sollicitationis. Judicem tangit 26. ejuſdem, & ſecunda Innocentii XI.

12. D. Adſunt nè cenſuræ contrà peccantes hiſce peccatis?

M. In 2. §. Bullæ Cœnæ excommunicatur Reus appellans, ut ibi exponitur, & in 13. prætendentes appellare ab executione litterarum Apoſtolicarum, ut ibi. Sed & in 12. offendentes hujuſ-

Digitized by Google

juſmodi perſonas &c. Lege Bullam.

13. D. Quas Pœnitentias imponet Confeſſor pro hiſce peccatis?

M. Omninò imponenda eſt reſtitutio, revocandum teſtimonium, accuſatio &c. etiam cum periculo proprio; & curandum, ut executioni demandetur ante abſolutionem, ubi poteſt fieri; aliàs multa promittent, nihil implebunt: quoad plura verò, quæ Confeſſarius debebit inculcaræ pœnitenti, ut deteſtetur hæc peccata, legat ſæpiùs Catechiſmum 3. p. c. 6. & 9.

CAPUT XXVII.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, & quæ verbo committuntur extrà Judicium.

1. HÆc peccata dicuntur committi extrà judicium, quia non inveniuntur ſolùm in actu judiciali. De his S. Thomas à q. 72. ad 77. Sunt quinque, *Contumelia*, *Detractio*, *Suſurratio*, *Deriſio* & *Maledictio*.

2. D. Quid eſt Contumelia?

M. Eſt, cum exprimo aliquid in dehonorationem, vel contemptum proximi; principalitèr quidem verbis; & etiam factis minus principalitèr: eſt triplex: prima, ſi exprimo culpam, ex cujus notitiâ dehonoratur, ut ſi Petrum dico furem:

hæc

hæc est propriè Contumelia: secunda dicitur Convicium, si exprobro pœnam dehonorativam, ut quòd fuerit in triremibus. Tertia dicitur Improperium, si exprobro, quòd indiguerit mei, dùm erat in necessitate, ut quòd ego illi subveni per eleemosinam; Quandòque una ponitur pro aliâ. S. Thomas q. 72.

3. Tenemurnè patientèr sustinere contumelias illatas?

M. Eadem Patientia sustinens, quæ contra nos fiunt, sustinet, quæ contrà nos dicuntur. Exp. 1. c. 34. n. 6. virtus illa sub mortali obligat, sine quà non potest haberi charitas. Porrò hæc haberi potest sine actuali sustinentiâ injuriarum; imò charitas obligat aliquando illas repellere: quando sustinentia impediret Dei servitium, vel inde injurians arriperet ansam magis lædendi charitatem. Igitur non semper obligamur ad actum sustinentię, sed solùm, ut simus dispositi sustinere, quando nisi sustineremus, læderetur gravitèr charitas Dei, vel proximi. S. Thomas a. 3.

4. D. Quomodo differũt Cõtumelia, & Detractio?

M. Per modum, quo differunt Rapina, & Furtum; Contumelia est in aperto, & Detractio in occulto respectu ejus, cui detrahitur. Hinc sequitur, quòd illa tollit honorem, ista denigrat famam. S. Thomas q. 73 a. 1. Fama distinguitur ab honore, ut effectus à causâ. Fama bona, seù gloria est clara cum laude notitia. S. Thomas q. 103. a. 1. ad 3. nàm honor est signum, quo verbis, vel

factis aliquem æstimamus; & ex hoc acquirit famam, seù deducitur in claram notitiam videntium hujusmodi signa; & per Contumeliam parvi pendemus: per Detractionem tollimus hanc claram notitiam in mentibus aliorum.

5. D. Quotuplicitèr quis peccat peccato detractionis?

M. Peccat primò: qui falsum crimen imponit: secundò: qui verum crimen aggravat circumstantiis falsis: tertiò: qui verum crimẽ occultum publicat (si sit publicum, peccat contrà charitatem) quartò: qui opus bonum dicit malà intentione factum. Hi omnes directè detrahunt: quintò: indirectè qui dicit non fuisse factum opus bonum, quod fuit factum: sextò: qui malitiosè reticet opus bonum, quando tenetur ex officio revelare: septimò: qui diminuit opus, quando ex officio tenetur dicere, quale fuit. S. Thomas q. 73. a. 1. ad 3. Octavò: qui audiens detrahentem, sibi complacet in detractione. Nonò: qui audiens, potensque reprimere, ac debens ex officio, non reprimit: quòd si non teneatur ex officio, peccabit contrà charitatem. S. Thomas a. 4.

6. D. Quomodo differunt Detractio, & Susurratio?

M. Quia plurimùm conveniunt, unum quandoque ponitur pro alio: sed verè differunt, quia Detractor dicit malum proximi, ut tollat ejus famam. Susurro dicit malum, ut tollat amicos. Ideò ille dicit lædentia famam: iste lædentia ami-

amicitiam. Susurro gravius peccat Contumelioso, & Detractore, quia isti tollunt honorem, & famam, quæ sunt media ad amicitiam: iste verò tollit finem. S. Thomas q. 74.

7. D. Per quid à Derisione differunt tria peccata enumerata?

M. Contumelia tollit honorem: Detractio famam: Susurratio amicitiam: Insuper hæc tria fiunt seriò. Derisio fit ludo, & inducit timorem dehonorationis. Si verbis inferatur hìc timor, seù Erubescentia, dicitur Derisio; si factis, ut naso rugato &c. dicitur Subsannatio. Ut proximus habet jus, ne dehonoretur, ita habet jus, nè inferatur illi timor dehonorationis. S. Th. q. 75.

8. D. Quid est Maledictio, quintum peccatum ex iis, quæ verbo committuntur in proximum extrà Judicium?

M. Vide varias Maledictionis acceptiones apud S. Thomam q. 76. a. 1. Hìc Maledictio est idem ac verbis precari, seù optare malum alteri. Actus internus est odium; Confessor circà illum regulabit pœnitentem juxtà regulas charitatis suprà positas. Maledicere irrationalia non est peccatum mortale, nisi considerentur ut aliquid proximi: nàm peccaret mortalitèr, qui ex animo vellet perire bestias inimici. Quando verbis etiam exprimitur imprecatio, fit injuria proximo. Cæterùm hoc peccatum est frequentissimum, de quo propterea maximè Confessor esse debet instructus. Si verbis maledicis conjungatur animus optans malum, est

mortale peccatum, estò ex irà optetur, & in illo solùm instanti: nàm omne peccatum committitur uno instanti: dummodò fœminæ advertant ad id, quod proferunt juxtà dicta c.4. n. 10. S. Thomas q. 76. Pœnitens in Confessione debebit explicare malum, quod optat, si est malum famæ, vitæ &c. quibus optat: si sunt filii: nàm hoc est etiam contrà pietatem; & quot personis optat: nàm juxtà numerum personarum multiplicantur numero peccata, ex dictis p.1. c. 34. n. 9.

9. D. Hæc quinque peccata sunt nè mortalia ex genere suo?

M. Sunt utique: nàm lædunt justitiam, sine quà nequit servari charitas. Vide dicta p.1.c.34.n.6.

10. D. Possunt nè reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Quia per ista peccata possumus inferre malum leve: ideò admittunt parvitatem materiæ juxtà dicta p. 1.c.36. n.5.

11. D. Adsunt nè propositiones prohibitæ circà hæc peccata?

M. Circà Detractionem extat 43. Innoc. XI. & 44. universalior contrà imponentes falsum crimen, quomodocunque imponatur.

D. Adsunt nè Censuræ, vel reservationes de his peccatis?

M. In Bullà Cœnæ §. 13. excommunicantur comminantes, & perterrefacientes personas ibi nominatas; quod videtur spectare ad maledictionem, tamen cum aliquo addito, ut importat proprie-

prietas verborum *Comminari*, & *Perterrefacere*. In facti contingentiâ priùs lege ſcribentes in Bullam. P. 1. c. 20. excommunicantur, qui conficiunt libellos famoſos in Prædicatores, & Minores.

12. D. Quas pœnitentias imponet Confeſſor pro hiſce peccatis?

M. Prima, & neceſſaria eſt reſtitutio famæ &c. difficilior, quàm in furto, ubi occultè poſſum reſtituere. At in hiſce peccatis debeo recompenſare idem, qui læſi, & coràm quibus læſi: Maximè id fugiunt nobiles, ubi alter ex ſuo dicto amiſit dignitatem &c. ſed omninò imponenda eſt hæc pœnitentia; & curandum, ut præcedat abſolutionem. Si falſum crimen impoſui, etiam mediante juramento, me debeo retractare: Si dixi verum, ſed occultum, non mentiar, ſed omnimodè reſtituam, vel dicendo me locutum ex paſſione, vel ita laudando, quòd meæ laudes abſtergant priſtinam infamiam. S. Thomas q. 62. a. 2. ad 2. in reliquis vide Catechiſmum p. 3. c. 8.

CAPUT XXVIII.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, quæ committuntur in commutationibus voluntariis.

1. PEccata in commutationibus voluntariis contingentia S. Thomas reducit ad duo, nempè, ad fraudem, & uſuram; de quibus

busagit q. 77. & 78. agens q. 79. de partibus integralibus justitiæ, quæ sunt duę, scilicèt, declinare à malo proximi, & facere bonum debitum proximo. De his nihil restat dicendum : sufficientèr enim ex huc usque dictis, & ex dicendis de fraude, & usurà in hoc capite, constabunt omnia peccata commissionis, quæ violant primam partem integralem, scilicèt, *declinare à malo*, & peccata omissionis, quæ violant secundam partem, scilicèt, *facere bonum debitum proximo*. Si præparans se ad confessiones habeat ulteriorem difficultatem, legat attentè S. Doctorem q. 79. nèc habebit, quid ampliùs desideret, etiam circà omissionem, & transgressionem, quæ sunt genera peccatorum illis oppositа.

2. Primum peccatum contingens in commutationibus voluntariis, dicitur fraudulentia, seù fraus. Cap. 16. n. 5. enumeravimus fraudem intèr peccata per excessum oppositа Prudentiæ. Porrò illa fraus consistit in actu vitioso intellectus practici ordinante media fraudulenta in aliquem finem: Fraus autem, de quà hìc, sunt media injusta in vim illius actus posita pro commutandis rebus exterioribus: Et ita, qui ut cras mihi redderet aurum, hodie præpararet aurichalcum : hodie committeret contrà Prudentiam in eo, quòd præpararet hoc medium, ut me deciperet : in eo autem, quòd me deciperet in commutatione, peccaret actu interno contrà justitiam, ut intendens facere actionem injustam: cras verò peccaret actu externo

no contrà justitiam, faciens actionem injustam.

3. D. Quotupliciter potest committi fraus in commutatione?

M. Multipliciter: primò: si vendo rem cariùs, quàm valet hìc,& nùnc,habito respectu ad locum, tempus, multiplicitatem, aut conditionem mercis &c. secundò:si supponamus unam mercem pro alià, quàm nullatenùs vellet emptor,si sciret: tertiò: si detur merces corrupta pro integrà.

4. D. Emptio,& venditio sunt contractus communes in populo: quare me præparans ad confessiones debeo maximè instrui de peccatis, quæ contingunt in illis. Igitur circà primam speciem fraudis, peto, an crescat pretium rei ex eo, quòd emens illà indigeat?

M. Pretium panni v. g. potest crescere, si mihi damnosum sit illum vendere in æstate, quando pluris vendidissem servans in hyeme; sed non possum vendere carius eò præcisè, quia emptori est utile illum habere in æstate: in primo casu vendo meum damnum; sed quia in secundo utilitas est alterius,non possum vendere,quod non est meum. S. Thomas q. 77. a. 1.

5. D.Leges approbant omnem contractum, in quo emptor non sit læsus suprà dimidium?

M. Leges civiles non approbant, sed permittunt hujusmodi contractum, nèc rescindunt ad vitanda incommoda majora; sed lex divina prohibet omnem injustitiam. S. Thomas ad 1.

6. D. Hæc doctrina iniicit plures scrupulos:

Mercator enim semper poterit dubitare, nùm excesserit pretium consistens in indivisibili?

M. Non iniicit scrupulos: nàm pretium aliud est legale, statutum à lege, ut est pretium panis &c. Hoc equidem consistit in indivisibili, & pecco, si minimum quid accipio suprà quod lex decrevit de merce cum talibus conditionibus: Aliud est pretium morale, quod habet latitudinem: Aliud enim est infimum, aliud medium, aliud supremum: Igitur dummodò non excedam supremum, quolibet ex dictis tribus possum vendere mercem. S. Thomas ibidem.

7. D. Possum nè carius vendere mercem, quia emptor vult differre mihi solutionem per annum?

M. Confessor habebit semper præ oculis regulam generalem ex S. Thomâ stabilitam, quòd rei pretium non potest augeri, eò quia ementi provenit utilitas aliqua, sed solùm si proveniat damnum vendenti: tùnc enim juxtà damnum, quod hìc, & nùnc sentit poterit augere pretium. Ad hanc regulam Confessor examinet omnem venditionem: si ex dilatione solutionis venditor non sentit damnum, certè nequit excedere pretium supremum; si sentit damnum, poterit augere pretium juxtà proportionem damni, quod hìc, & nùnc sentit. Vide S. Thomam q. 78. a. 2. ad 7.

8. D. Quale debet esse damnum?

M. Sunt duo capita: & unum dicitur *damnum emergens*: aliud *lucrum cessans*. Damnum emergens esset, quando ego ex dilatione pretii, ad solven-

vendum mea debita, obligarer accipere ad cambium pecuniam ſimilem cum onere ſolvendi v.g. quatuor pro centenario · Per talem dilationem mihi damnum emergit horum quatuor, quod damnum, quia non teneor pati, poſſum illud compenſare ab Emptore. Lucrum ceſſans dicitur, quando, ſi mihi ſolveretur pecunia ſtatim, implicarem illam ad cambium, cum lucro quatuor pro centenario, & quia differtur ſolutio, ceſſat mihi tale lucrum. Porrò ut exigam tale lucrum, non ſufficit poſſe probabiliter lucrari. S. Thomas q. 78. art. 2. ad 1., ſed requiritur, ut ſit paratum cambium, ex quo naſcitur jus lucrandi, ut non habeam aliam pecuniam, quàm hìc, & nùnc dare poſſim ad cambium: & ut à differente ſolutionem, diminuam aliquid pro periculo, quod ſubeo in cambiando: quare lucrum ceſſans debet involvere aliquod damnum; & ſemper erit conteſtandum lucrum ceſſans, & damnum emergens. Vides hujuſmodi negotia, ut ſine peccato exerceantur, exigere hominem prudentem, & non nimis avidum pecuniæ. Aliàs in facto eſſe prætexet motiva Confeſſori, quibus omninò implicabitur: primò quidem circà pretium ſupremum: dicet enim illud eſſe, quod extorquent pauci contrà omnem juſtitiam; ſecundò: quoad lucrum ceſſans, vel damnum emergens: exponet enim Confeſſori ſe perdere quatuor, & poſſe conſequentèr exigere illa quatuor, addetque nullum inde periculum in exigendis hiſce quatuor, cùm verè ſit ingens, adeò

ut

Digitized by Google

ut ratione periculi, justè possit exigere solùm duo. Adde, quòd Confessor inexpertus negotiorum, & periculorum, necessariò debet stare relationi pœnitentis; quare nisi pœnitens sit prudens, & timoratæ conscientiæ, decipiet Confessorem, sed magis animam suam. Confessor igitur, & Parochus, inculcent populis, maximè in prædicationibus, ut negotium omne dirigant juxtà regulas Christianas, non juxtà effrænatum desiderium possidendi.

9. D. Quid intelligis, dum dicis secundam speciem fraudis consistere, in supponendo unam mercem pro aliâ?

M. Suppono unam mercem pro aliâ, non solùm dando v. g. aurichalcum loco auri, sed etiam dando rem in minori quantitate, vel pondere. S. Thomas a. 2. qui ad 2. addit mensuras, & pondera esse stabilienda per Principem: quare utens mensurâ, vel staterâ dolosâ, committet duo peccata: alterum contrà justitiam commutativam dando minùs, quàm debet emptori: alterum contrà legalem, utendo mensurâ, vel staterâ, quam Princeps non approbat. Et Confessor insistet semper, ut pœnitens explicet numerum utriusque peccati.

10. D. Circà tertiam speciem fraudis, si non posset supponi res non integra pro integrâ, nunquam posset mercator vendere suam mercem, quæ patitur?

M. Confessor in his casibus, qui frequentissimè

mè accidunt, indiget doctrinâ, & prudentiâ, nè decipiatur ex unâ parte emptor; ex aliâ venditor non cogatur sustinere plurima damna. Porrò utramque hauriet, legendo sæpè S. Thomam q. 77. a. 3., ubi docet vitium rei manifestum ex se patere. Circà vitium occultum, esse considerandas omnes circumstantias; Ut enim dictum est c. 23. n. 3. considerandum, an emptor velit vinum ad conservandum. In isto casu decipio supponens vinum dilutum, estò vendam pretio vini diluti, non meri; nèc enim do juxtà ejus utilitatem, & voluntatem; debeoque hoc vitium occultum manifestare; quòd si vult hodie bibere vinum, nèc illi officit, quòd sit dilutum; & aliàs vendo pretio vini diluti, tùnc non est necesse dicere vitium vini, quia emptor fortè vellet plus minuere de pretio, quàm sit minuendum. Hæc omnia indigent, ut pœnitens habeat fixum memoriæ illud Christi Luc. 6. *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.*

10. D. Qui hodie scit, monetam cras ex lege Principis futuram minoris valoris, tenetur nè id revelare accipienti: & qui scit cras fore, ut adveniet copia mercis, quam habet, illam hodie minoris vendere?

M. Potest expendere, & vendere pretio hodie currenti, quia hodie nèc moneta, nèc merces est vilior, sed erit cras. S. Thomas a. 3. ad 4.

11. D. Licet nè negotiando cariùs vendere, quàm emere?

M. S. Tho-

Digitized by Google

M. S. Thomas quærit id a. 4. ad plenam doctrinam de venditione. Confessor ordinarius fortè habebit pœnitentes cupidos Christianæ perfectionis, qui inquirent, nùm sit veniale peccatum negotiari, cum non sit mortale ex naturâ suâ, nisi sub gravi prohibeatur ab aliquâ lege particularibus personis, quam oportebit consulere in facti contingentiâ. Igitur vendere, quod aliàs nascitur in proprio, nullum est peccatum. At emere, quæ minoris hodie valent eo fine, ut vendantur cras, quando pluris valebunt, est veniale peccatum, si id intendatur ut finis proximus: nullum erit peccatũ, si eligatur ut medium, v.g. ad sustentandam familiam, vel conservandam in civitate abundantiã &c.

12. D. Dixisti n. 1 secundum peccatum contrariè oppositum justitiæ commutativæ in commutationibus voluntariis vocari usuram; quæro, quid sit usura?

M. Usura, de quâ S. Thomas q. 78. est lucrum quodcunque proveniens immediatè ex mutuo, seù ratione mutui. Porrò sub contractu mutui cadunt, quæ consumuntur ipso usu. Domus, equus, & similia non cadunt sub ratione mutui, quia non dantur, ut consumantur, sed ut iis homo utatur, deinde reddat domino; & propterea in his non transfertur dominium, sed usus equi transfertur in me, dominium remanet apud Petrum. E contrà vinum, triticum, pecunia &c. dicitur mutuari, quia dantur, ut ipso usu consumantur, nèc qui accipit, tenetur reddere idem nu-

numero, ſed ſpecie (niſi commodarentur ad oſtentationem; in quo caſu utpotè reddenda eadem numero pecunia eſſet commodata, & liceret aliquid accipere pro uſu. S. Thomas a. 2. ad 6.) propterea transfertur dominium: Igitur, ſi præter capitale reddendum ſuo tempore, exigo aliud lucrum, committo uſuram: quodcunque ſit illud lucrum, ſeù commodum, v. g. non obligo illum quotidiè venire ad meam officinam, ſed quotiès indigebit, & promitto me tùnc daturum merces pretio infimo; ſi conſtituo hanc obligationem, committo uſuram, quia præter capitale, obligo illum ad hoc; ſi obligo mutuatarium ad me laudandum &c. S. Thomas a. 2. Si obligo illum ad mihi remutuandum, quando indigebo. Ibidem ad 4. Si obligo illum ex juſtitiâ ad recompenſandum, quod mihi ratione mutui debetur tantùm ex benevolentiâ. Ibidem ad 2. & hùc reſpicit 42. propoſitio damnata ab Innocentio XI. Si accipiens pignus obligo, ut mihi concedat uſum pignoris. Ibidem ad 6.

13. D. Hìnc videtur ex mutuo non poſſe mihi repetere lucrum ceſſans, & damnum emergens, quod eſt valdè durum?

M. Definitio uſuræ non fruſtrà continet illam particulam *ratione mutui*, nàm ſi exigo ad reparandum mihi damnum, non exigo ratione mutui, ſed ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis. S. Thomas ibidem ad 1.

14. D. Poſſum nè mutuare cum ſpe, ut mutua-

tuatarius mihi recompenſet aliquid ex benevolentiâ, nihil illi dicens?

M. Sit regula generalis, quòd, ubi concurrunt duo fines, aliàs de ſe honeſti, conſiderandum eſt, ſi primariò intendatur principalior: etenim, ſi primariò intendam minùs principalem, peccabo. Secùs ſi intendam primariò principalem, etiamſi ſecundariò intendam minùs principalem: v. g. pecco, ſi petens beneficium Eccleſiaſticum, intendo principalitèr mei ſuſtentationem: at ſi principalitèr intendo ſervitium Dei, non pecco, ſi ſecundariò intendo meam ſuſtentationem. In propoſito principalitèr intendere benevolam recompenſationẽ eſt uſura mentalis contrà illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*; At minus principalitèr intendere, nullum eſt peccatum.

15. D. Sicut eſt peccatum exigere uſuras, ita eſt nè peccatum ſolvere?

M. Solvere uſuras de ſe non eſt peccatum, quia injuſtitiam committit exigens, non ſolvens. Dixi de ſe: nàm peccare poſſum, ſi cooperor peccato exigentis; ut autem cognoſcatur, quando cooperor peccato, S. Thomas a. 4. dat hanc regulam generalem. Petrus, & Paulus debent ſimul facere actionem, quæ prohibita eſt Petro, ſed non Paulo, Paulus peccabit, ſi abſque urgenti neceſſitate, concurrat ſimùl cum Petro ad talem actionem, & cooperabitur peccato illius. At ſi habeat neceſſitatem urgentem, Paulus tùnc utitur malo Petri in bonum ſuum. Rex Idololatra, & Chriſtianus debent

bent jurare pacem, quia est necessitas, Christianus non peccat, sed utitur in bonum juramento malo Idololatræ per deos inanes. Ex eodem principio solutus est casus de Confessore excommunicato absolvente p. 1. c. 12. n. 9. Applicando hæc ad nostrum casum, si asque necessitate, ut habeam pecuniam ad ludendum, promitto usuras, pecco cooperans peccato usurarii. Non pecco, si promitto ex necessitate ad mihi subveniendum. Quia tamen ille nullum habet jus, non teneor stare promisso, nisi juraverim. Quia juramentum est servandum, nisi sit de re illicitâ, nec est peccatum solvere usuras, teneor solvere, ex vi Religionis, etiam in casu, quo sine necessitate acceperim; quia tùnc peccavi cooperando alteriùs peccato, sed non pecco exequens, quod juravi. Canones tamen volunt, quòd ille jurans, primò depositet usuram juratam, ob reverentiam juramenti; deinde quòd possit petere dispensationem juramenti, & tùnc repetere sibi pecuniam depositam. S. Thomas a. 3. quærit, an usurarius teneatur restituere fructus acquisitos. Vide dicta c. 21. n. 11.

16. D. Est nè usura, si conveniam dare pretio supremo mercem emptori, qui deinde mecum convenit mihi revendere statìm pretio infimo pecuniâ numeratâ; vel obligare mutuatarium ad aliquid ultrà sortem, quia me obligo non repetere mutuum per annum; vel quia ego do nùnc pecuniam numeratam, quæ hodie pluris æstimatur pecuniâ cras enumerandâ?

M. Pri-

Digitized by Google

M. Primus est contractus Mohatra prohibitus ab Innocentio XI. prop. 40. secundus ab Alexandro VII. prop. 42. tertius ab Innocentio XI. propos. 41.

17. D. Peccata recensita in hoc capite sunt nè mortalia ex genere suo?

M. Ex genere suo sunt mortalia ob rationem adductam p. 1. c. 34. n. 6. quia opponuntur justitiæ, sine quà nequit servari charitas.

18. D. Possunt nè reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Possunt reddi ex ratione datà p. 1. c. 36. n. 5. Malitia eorum consistit in damno proximi: quare venialia erunt, si leve sit damnum.

19. D. Adsunt nè propositiones prohibitæ circà hæc duo genera peccatorum?

M. Octava, nona, & decima Alexandri VII. tangunt commutationes voluntarias in petente, & applicante valorẽ sacrificii. 43. commutationem voluntariam inter legantem, & legatarium. 40. 41. & 42. Innocentii XI. tangunt materiam usuræ. Ubi autem agitur de usurà in contractibus censuum, Cambiorum, & Societatum, antequam eos ab usurà immunes judicet, perleget attentè Bullas Pii V., super primis duobus, & Sisti V. super tertiò. Usurarii enim sunt omnes contractus initi contrà tenorem illarum; quòd si casus paulò sit intricatior, non decidat ex se Confessor; sed post accuratum studium Theologorum, & Juristarum, qui scripserunt super dictis Bullis ex professo,

fesso, consulat Doctores viventes, & Negotiatores pios, qui possint testari de consuetudine, optimâ Legum Interprete.

20. D. Adsunt nè censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ contrà exercentes hujusmodi peccata?

M. Usurarius manifestus primò est excommunicandus: secundò: Sacerdos non potest recipere illius oblationes pro missâ, quando ejus bona sint omnia ex usuris: tertiò: est inhabilis ad condendum testamentum, nisi restituat; quartò: privandus est Ecclesiasticâ sepulturâ: quintò: sunt ipso facto excommunicati Clerici locantes illis domos ad usuram. Vide Sextum Decretalium lib. 5. cap. 5. & Clement. l. paritèr 5. tit. 5. Porrò quia hæ pœnæ sunt in manifestos Usurarios, non habet omnimodam necessitatem Confessor sciendi, quomodò ab iis Usurarius evadere possit. Si accedat ad Confessionale, non debet statìm absolvere, quia est consuetudinarius, & quia est publicus peccator: quare illum variis monitis incitabit, quò tollat scandalum per pœnitentias, quas præscripsere Canones. Et quia supponimus Confessarium hìc, & nùnc ignorare pœnas particulares, requiret consilium, Episcopi præsertìm, ad quem omninò recurrendum est, quia ejus est declarare pœnitentiam publicam; & ex Tridentino sess. 24. c. 8. de ref. potest illam commutare in secretam. Igitur de illius consilio procedens, quòd primò ignoravit, facillimè discet à suo Superiore, quem sibi Deus Doctorem constituit.

21. D. Quas pœnitentias Confessor debet imponere pro his peccatis?

M. Ad imponendam pœnitentiam manifesto usurario procedat, ut dictum est n. 20., principalis pœnitentia erit restitutio, & ut omninò abjiciat mensuras, & pondera falsa, si quando illis utatur: (sunt enim occasiones proximæ) Monita verò danda pœnitenti, ut fugiat hujusmodi peccata, Confessor accipiat à Catechismo Romano p. 3. c. 8. præsertim à n. 11.

CAPUT XXIX.

Afferuntur Decretales B. Pii V., & Sixti V. circà Census, Cambia, & Contractus Societatis.

1. TOtum hoc opus eò respexit, ut Confessoribus afferret notitiam omnium peccatorum, præcipuè mortalium, & notitiam sanè, si non omni ex parte completam, nihilominùs talem, vi cujus potest saltem dubitare de illis, & dubitando inquirere consilia doctiorum, quod ex S. Carolo adducto c. 11. nu. 5. sufficit, ut quis approbari possit prò audiendis confessionibus; nihilominùs adhùc distinctum est inter peccata, quæ consueverunt esse frequentiora in populo, & peccata, quæ non adeò frequentantur. Primorum in votis fuit dare notitiam omninò exactam,

actam, quia sine hàc cum maximo propriæ, ac Pœnitentium Animæ periculo, se Sacerdos exponit audiendis confessionibus: Circà alia verò peccata minùs frequentia poterit aliqualitèr excusari Confessor, si non absque aliquali studio possit extricare conscientiam Pœnitentium. Ut igitur quoad prima plenè instrueretur examinandus, non modò traditæ sunt regulæ generales, verùm & addita, quæ particularitèr conveniebat sciri, nempè, propositiones prohibitæ, Bulla Cœnæ, Sanctæ Inquisitionis edictum &c. Hæc omnia utpotè declarata specialitèr jure positivo, & aliàs valdè necessaria debuerunt specialitèr explicari, quandoquidem ratio nequit ad illa pertingere. Porrò consideravi multitudinem ulterius posse peccare frequentèr circà alia duo pariter declarata jure positivo, quæ tangunt justitiam, & Ecclesiasticos quidem in celebratione Missarum; Laicos verò in materià contractuum; Ambos ex cupiditate lucri.

2. Circà eleemosinam pro Missis authoritate Romanorum Pontificum, Sacra Congregatio multa decrevit, quæ sæpiùs legere utilissimum erit Confessori Ordinario; hìc autem non refero; nàm omnia per illam stabilita, quæ possunt conferre simplici Sacerdoti, fuere jam clarè, ac distinctè relata in *Instructione pro ordinandis* c. 39. à n. 58. Solùm hìc ex decreto ejusdem Sacræ Congregationis Concilii edito de anno 1681. 10. Maii, addam obligationem, quam Parochi habent applicandi sacrificium; quod decretum est hujusmodi.

3. *Cum præcepto divino, iis, quibus Animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sepè aliàs S. Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis sacrificium applicare, atque eà cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet &c.*

4. Sacra Congregatio ponit, ut fundamentum prædictæ obligationis, præceptum offerendi sacrificium pro suis ovibus factum à Deo, & sufficientèr declaratum à Tridentino sess. 23. c. 1. de ref. Et cum Episcopi, Abbates, Generales, Provinciales, & Prælati locales Domorum Regulariũ verè habeant curam animarum, videre debemus, an & ipsis præcepto divino incumbat onus applicandi sacrificiũ pro suis subditis. Nihil enimverò Ecclesia huc usque decrevit circà hos, neq; de tempore, quo obligentur, neque si obligentur; quare videat unusquisque horum, an convincat ratio Concilii; nàm nihil ausim ex me dicere. Illud addo, quòd eodem capite Concilium insuper declarat, habentes curam animarum teneri eodem præcepto divino pascere subditos administratione sacramentorum; & quidem plures Parochi sæculares, ut suæ huic obligationi pleniùs satisfaciant, volunt per se ipsos administrare Parochianis in Paschate Sacramentum Eucharistiæ, uti & in articulo mortis, etiam sacramentum Extremæ Unctionis. Superiores verò Locales Societatis Jesu infallibiliter, in locis, quos vidi, (& credo in omnibus) immediatè

diatè per se ipsos communicant suos subditos, pro diebus omnibus, quibus, juxtà Constitutiones, hi tenentur communicare; ut perfectè Animarum Rectoris obligationes adimpleant. Circà hæc omnia fortè satis frequentèr (tamen suavitèr) poterit suum zelum ostendere Confessor etiã ordinarius.

5. Lucri cupiditas urget Laicos ad plures contractus, quos Apostolica Sedes omninò prohibuit ob grande periculum usuræ. Sunt autem maximè tres, nempè, Contractus Cambiorum, Contractus Censuum, & Contractus Societatis. Appono hìc Decretales Apostolicas pro his dirigendis: Et primos duos direxit B. Pius V., illum in Constitutione, quæ incipit *In eam*, edita de anno 1571. Alium in Constitutione, quæ incipit *Cum onus*, editâ 1568. Tertium verò direxit Sixtus V. in Constitutione, quę incipit *Detestabilis* edita de an. 1586.

Cambiorum illicitorum declaratio, & prohibitio.

6. *PRimum damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seù ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur; aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nàm inter dantes, & recipientes, usque à principio ita convenerat,*

vel certè talis intentio erat; nec quisquam est, qui in nundinis, aut locis supràdictis, hujusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile est etiam illud, cum pecuniæ, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut posteà eodem loco vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, Campsores præstitutum solutionis terminum, lucro extacitè, vel expressè à conventione recepto, seù etiam tantummodò promisso, differunt. Quæ omnia nos usuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus. Porrò ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, sive à principio, sive aliàs, certum, & determinatum interesse, etiam in casum non solutionis pacisci, neque realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi verò non celebrantur, pro primis terminis, juxtà receptum locorum usum, exercere, abusu illo prorsus rejecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, sive terminis exercendi.

7. *Curandum autem erit in terminis, ut habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorũ, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm destinatæ loca solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio.*

8. *Quicunque contrà hanc nostram Constitutionem commiserit, pœnis à Sacris Canonibus contrà Usurarios inflictis se noverit subjacere. Eos verò, qui conspirationes fecerint, vel congestam undique pecuniam, ita ad se redegerint, ut quasi monopolium pecuniæ fa-*

cere

cere videantur, pœnis, quæ jure contrà exercentes monopolia, constitutæ sunt, retineri sancimus.

Forma creandi census ex eodem B. Pio.

9. STatuimus censum, seù annuum redditum creari, constitutive, nullo modo posse, nisi re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui naturà fructiferà, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

10. Rursum, nisi verè in pecuniâ numeratâ, præsentibus Testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto justo, integroque pretio.

11. Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

12. Conventiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex naturâ contractus, non tenetur, nullo modo valere volumus.

13. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & liberè, ac sine solutione laudemii, seù quinquagesimæ, aut alteriùs qualitatis, vel rei, tàm inter vivos, quàm in ultimâ voluntate alienari.

14. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census, omnibus aliis præferri, eisque denunciari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari.

15. Pacta continentia morosum Censûs debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seù certas expensas, aut certa salaria, seù expensas medio juramento Creditoris sui, liquidandas, aut rem cen-

sui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde exquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla.

16. *Imò & Censum augeri, & novum creari super eodem, vel aliàre, in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri omninò prohibemus.*

17. *Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex naturà contractus non spectarent.*

18. *Postremò census omnes in futurum creandos non solùm re in totum, vel pro parte peremptà, aut infructuosà in totum, vel pro parte effectà, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imò centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis contenta sint.*

19. *Cum verò traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciationem, intrà annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium nec volens intrà annum exigatur, volumus nihilominùs quandocunque redditum extingui posse; prævià tamen semper denunciatione, de quà suprà, non obstantibus his, de quibus suprà; idque observari mandamus etiam, quòd pluriès, ac pluriès denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.*

20. *Pa-*

20. *Pacta etiam continentia pretium census extrà casum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omninò prohibemus.*

21. *Contractusque sub aliâ formâ posthac celebrandos fœneratitios judicamus.*

22. *Et ita, illis propterea non obstantibus, quidquid vel tacitè, vel expressè contrà hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vendicari. Hanc autem salutiferam sanctionem, ne dùm in censu novitèr creando, verùm etiam in creato quocumque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus.*

23. *Declarantes pretium semel census constitutum nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seù aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui, vel augeri.*

24. *Et licet legem ipsam ad census jam celebratos, non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub aliâ formâ pervenerunt census, hortamur in Domino; ut singulos contractus censuræ bonorum Religiosorum subjiciant, & animarum saluti consulant.*

Damnatio contractuum Societatis, securitatem Capitalis, aut certam responsionem, aut alitèr Usurariam pravitatem continentium.

Sixtus &c.

25. *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, conventiones, & pactiones*

nes post hac incundos, seù incundas, per quos cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu, quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seù capitale semper salvum sit, & integrum à Socio recipiente restituatur, sive ut de certà quantitate, vel summà in singulos annos aut menses durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios, & illicitos posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter se paciſci, & concordare; neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seù capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus, & probibemus.

26. *Sed potiùs cuncti noverint societates hujusmodi cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona; alter verò operam, & industriam confert, purè, sincerè, & bonà fide, sicut decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum Juris dispositionem, ac sine ullà prorsùs fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione, ineundas, seù contrahendas esse, ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine persolven-*

vendam, neque ad Capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si verò finitâ societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes, super eo legitimè conventum sit. Ac præterea à iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & justum fuerit, sibi communicent, ac dividant.

27. Decernentes, si qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contrà nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per eandem constitutione nostram damnatis, & reprobatis, etiam si juramento, aut in formâ Cameræ Apost. vel aliis quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri nullamque actionem, realem, & personalem, aut Judicis officium, neque aliud quodcunque jus cuiquam competere, neque quoad sortem, seù capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

28. Si qui verò in posterum sub præmissis conditionibus, & pactis contrabere temerè præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactionum, societatis nomine initorum, qui huc usque durant ad exactionem dictæ sortis, seù capitalis, sive illius pretii, & valoris, postquam illud in totò, vel in parte, casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi

pro-

promissæ in futurum procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos in pœnas contrà manifestos usurarios, & feneratores à Sacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas eo ipso incurrere, & contrà illos, uti manifestos usurarios, & fœneratores, viâ Juris, aliisque opportunis remediis, procedi posse, & debere.

CAPUT XXX.

Quædam observationes in prædictas Bullas.

1. CONfessori utilissimum fore crediderim, si nonnulla observem circà Bullas adductas, quibus maximè, possit sibi aperire mentem ad generalem intelligentiam legum Ecclesiasticarum, & civilium.

2. Primò igitur, quoad Constitutionem Pii de Cambiis observà, quòd loquens de cambiis siccis n. 6. ab illis verbis: *Primùm damnamus* usque ad illa *usuraria esse declaramus, & ne fiant districtiùs prohibemus:* observà, inquam, declarari contractus, de quibus præcedentèr locutus fuerat, esse usurarios; quare præcedentèr ad dictam Constitutionem erat contrà septimum Decalogi præceptum, & in se mortale peccatum facere hujusmodi contractus (licèt hìc, & nùnc ex ignorantià potuerit excusari à culpà sic contrahens) Per verba verò sequentia: *ne fiant, districtiùs prohibemus* prohibitioni

ni naturali, ac divinæ addidit Ecclesiasticam; vi cujus tolleretur in posterum quælibet ignorantia juris divini, & naturalis.

3. D. Ita contrahens, & consequentèr violans tres leges committitnè tria peccata?

M. Ita contrahens committit unicum peccatum, quia tres prædictæ leges tendunt ad unicum finem conservandi justitiam commutativam; quælibet enim lex declaravit illa cambia contineri sub peccatis oppositis huic justitiæ: in quo vides differentiam Castitatis ab Ecclesiâ præceptæ Subdiaconis: hanc enim præcipit ex vi Religionis; propterea àqueactus oppositi sunt sacrilegia: Idem dic de voyente jejunium in quadragesimâ. Et generalitèr id observabit Confessor in omni Constitutione Pontificiâ (quod tamen fieri non potest, nisi legatur attentè) ut videri possit, nùm committatur duplex peccatum.

4. Secundò ex illis verbis *Porrò ad tollendas quoque* Pius novum jus condidit juxtà potestatem sibi traditam: Potest enim Summus Pontifex (imò, & id possunt Laici Principes in materiâ contractuum merè civilium) ad tollendas occasiones peccatorum prohibere aliquid, & illud reponere sub materiâ virtutis, præscindendo ab obedientiâ; & ita sub materiâ justitiæ Pius reposuit prædictos contractus; & illos exercens peccat contrà justitiam, non contrà obedientiam (nisi quando contemneret præceptum Superioris, in quo casu peccaret contrà duas virtutes: & quoad cambia ficca,

si

si contrahens contemneret jus divinum, naturale, & Ecclesiasticum, qualibet vice committeret quatuor peccata, primùm contrà justitiam commutativam: tria reliqua contrà obedientiam in genere, quæ distinguuntur specie juxtà diversas legum species, adeò, ut si lex secularis prohiberet illa cambia, & contrahens contemneret hanc legem, committeret quintum peccatum specie diversum, quia diversam legem contemneret.)

5. Eodem tenore videbis procedere duas alias constitutiones de Censibus, & de societate: nàm sub peccato usuræ Pontifices de novo constituerunt contractus inibi prohibitos ob grande periculum usuræ detectum in illis. Et ideo Pius expressè declaravit n. 18. suam legem valere tantùm pro censibus creandis post publicationem. Circà anteriores, quia cognovit esse plenos periculi, solùm hortatus est, ut subiicerentur *censuræ bonorum Religiosorum*, qui rem attentiùs examinarent, & deciderent, an verè in se prædicti contractus essent usurarii.

6. Tertiò: notà, quanti Pius faceret bonos Religiosos, & sæculares, & regulares: etenim in hàc materià voluit eorum stari judicio: Nihilominùs nomine bonorum Religiosorum, intelligit æquè pios, doctos, & rerum experientià insignes: & tria hæc simul requiruntur, etiam experientia; etenim optima legum Interpres est consuetudo virorum in eà se exercentium; & cum circà contractus maximè cambiorum, & societatis, Religiosi

gioſi non poſſint exerceri, non poſſunt ſcire, qualitèr accipienda ſit lex in caſu dubio, niſi à Sæcularibus exercentibus hujuſmodi contractus inſtruãtur de conſuetudine inter viros timoratos ab initio conſtitutionis, uſque ad noſtra tempora.

7. D. Melius erat, quòd Pontifex remitteret ad ſæculares timoratos, quàm ad Religioſos?

M. Optimè Pontifex remiſit ad bonos Religioſos: etenim Sæculares, qui exercent, poſſunt quidem teſtari de conſuetudine; ex quà poſſumus aliqualitèr arguere honeſtatem contractus; at non omninò efficacitèr, quia ad hoc neceſſarium eſt conferre conſuetudinem, & rationem ad invicem, ac videre nûm conſuetudo rationi præjudicet (in quo caſu eſſet abuſus, non uſus) & hoc ſolùm videre poſſunt boni Religioſi, ſcilicèt, pii, docti, & experientiâ inſignes; & quidem ſi hæc tertia conditio tibi deficiat, antequam judices, conſule expertos, qui teſtentur de conſuetudine; ſi verò doctrina, vel pietas, tibi deſint, cave omninò à conſulendo, & remitte negotium ad alios: Ubi deficiat pietas, ut morem geras pœnitenti, qui ad omne lucrum inhiat, quæres ratiunculas, & ſophiſmata, quibus, & illum, & te convincas licere contractum. Ubi deficiat doctrina, rem non examinans profundè, uti eſt examinanda, damnabis, vel abſolves, quod verè damnandum, & abſolvendum non eſt. Idem continget, ſi deficiat experientia, vel ſaltem notitia per eos habita, quibus ineſt experientia.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De Religione, ejusque Actibus internis.

1. JUstitia, de quà huc usque dedimus, quæ magis necessaria videntur Confessori ordinario, reddit unicuique jus suum ad æqualitatem, sive Arithmeticam, ut Commutativa, sive Geometricam, ut aliæ species Justitiæ. Porrò sunt aliæ virtutes, quæ quidem rigorosè obligant ad reddendum, sed quia non potest reddi æquale, non sunt propriè Justitia, sed vocantur à S. Thomà partes potentiales Justitiæ. Sunt autem quinque: prima Religio, quæ reddit Deo: secunda Pœnitentia, quæ reddit Deo, ut fuit illi ablatum: Tertia: Pietas, quæ reddit sanguine junctis: Quarta: Dulia, quæ reddit honorem Superioribus: Quinta: Obedientia, quæ exequitur eorundem præcepta. Circà istas debet specialitèr instrui Confessor, & primò circà Religionem, quæ habet plures actus internos, & externos. Ut autem præparans se ad confessiones dicenda percipiat, singillatim tractabitur de illis: & primò de internis, de quibus principalitèr videatur S. Thomas à q. 80. ad 84.

2. D. Quid est Religio?

M. Religio est virtus tribuens Deo cultum, & honorem, qui non sit prohibitus ab Ecclesiâ Catho-

Digitized by Google

tholicà : quare actum Religionis præcedit actus Doni Timoris insinuatus c. 9. n. 6. per quem reveremur Deum ; Ut voluntas inclinata per Donum, elicuit actum prædictum, procedit ad eliciendos actus proprios Religionis, de quibus dicetur in sequentibus,& quos elicit,ut ostendat suam reverentiam, ac subjectionem Deo. Potest autem per hos actus Religionis movere se ad actus cujuscunque alterius Virtutis : ideòque potest imperare sibi actus omnium virtutum: v. g. in Paschate, ut me subiiciam Deo, voluntas elicit actum, quo se exhibet promptam ad confessionem, & communionem : deinde homo confitetur, & communicat : ista confessio, & communio, ut imperatę à tali voluntate, spectant imperativè ad Religionem ; Et uno verbo, quotiès aliquid operor ex tali voluntate obediendi, seù subiiciendi me Deo; totiès operor per virtutem Religionis ; quare si credo, si spero, si amo Deum, ut me subiiciam eidem perfectè, actus Fidei, Spei, & Charitatis erunt elicitivè à suis virtutibus ; imperativè à Religione. Idem dic de reliquis virtutibus. Jejuno, quia Deus præcipit jejunium. Hìc actus elicitivè pertinet ad abstinentiam ; imperativè ad Religionem; & sic vides elici frequentissimè actus doni Timoris, & Religionis. S. Thomas q 81.

3. D. Religio estnè virtus Theologica?

M. Objectum formale, ac proximum Theologicæ virtutis est aliquid divinum. Ita ratio formalis fidei est revelatio divina facta Ecclesiæ Ca-

tholicæ, & per hanc nobis proposita. Ratio formalis Spei est Omnipotentia, & Misericordia Dei. Ratio formalis Charitatis est bonitas divina. Equidem Religio dat cultum Deo, sed Deus est is, cui offertur; Ratio autem formalis est imbibita in eo, quod offertur, nempè, in cultu, in actu Abstinentię, Charitatis &c. qui actus cum sint aliquid creatum, propterea Religio præcipiens illos nequit esse virtus Theologica.

4. D. Dixisti nu. 2. quòd eliciens actum fidei, ut credat, seù, ut subiiciat se Deo revelanti, elicit illum ex imperio, & Doni Timoris, & Religionis. Porrò S. Thomas docet dona, & Virtutes connecti cum Charitate. Igitur peccator non poterit elicere illum actum Fidei?

M. Equidem dixi, sed pluriès notavi, quòd actus Donorum, & Virtutum alii sunt perfecti, & alii imperfecti; quorum primi solùm procedunt ab Habitu Virtutis præexistentis; & id specialitèr de actibus Timoris notatum est cap. 9. num. 6. Peccator elicit actum fidei ex actu imperfectò religionis. Actus enim perfectus Religionis habet dare cultum Deo in omni casu, quo Deus præcipit, seù vult: quare cum Deus velit à peccatore actum perfectæ contritionis dicentis *voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, quoad usque non habeat hunc, non habet actum perfectum Religionis.

5. D. Qui sunt actus interni Religionis?

M. Primus actus internus Religionis est devotio,

tio, seù voluntas promptè tradendi se ad ea, quæ tangunt Dei cultum. S. Thomas q. 82.

6. D. Extatnè præceptum affirmativum eliciendi hunc actum internum Religionis?

M. Extat hoc præceptum: Et obligamur aliquando ad actum imperfectum, aliquando ad actum perfectum: aliquando per se, aliquando per accidens: Obligatur per accidēs ad actum imperfectum peccator obligatus hìc, & nùnc restituere; nàm restitutio debet saltem habitualitèr procedere (ut omninò hæc actio sit perfecta juxtà S. Th. 1. 2. q. 100. a. 10.) ex voluntate obediendi Deo. Obligatur per se ad actum hunc imperfectum peccator Sacerdos, dùm recitat divinum officium: si enim recitet voluntariè distractus, non satisfacit, quod idem est, ac si recitet sine voluntate laudandi, seù honorandi Deum. Obligatur per accidens ad actum perfectum Religionis, dùm obligatur elicere actum perfectæ charitatis. Obigatur per se ad actum Religionis perfectum, quando tenetur elicere actum contritionis: propositum enim, quod in illo involvitur, observandi præcepta, est volūtas promptè tradendi se ad ea, quæ tangunt Dei cultum; Si verò extendam me ad cultum etiam, qui non præcipitur mihi, sed tantùm consulitur, erit actus superogatorius Religionis. Vide S. Thomam q. 82. ubi assignat insuper causas, & effectus devotionis, de quibus ego nihil dico, quia non sunt omninò necessarię Confessori ordinario.

7. D. Præter devotionem, Religio habetnè

Digitized by Google

alios actus internos ?

M. Secundus, & ultimus actus internus Religionis est Oratio. S. Thomas q. 83.

8. D. Quid est Oratio ?

M. Strictè loquendo nomine orationis venit actus intellectus moti per desiderium voluntatis, quo petimus aliquid à Deo; nihilominùs communitèr nomine orationis intelligunt, quando elevamus mentem in Deum etiam vocalitèr illum laudando; de quà laude S. Thomas q. 91. aptè ad Theologum, qui primò debet cognoscere actus priores, & ultimò posteriores, qualis est Dei laus vocalis subsequens ad actus intellectus, & voluntatis: veruntamen Confessori non omninò est necessaria hæc distinctio; quare hìc simùl agemus de oratione, & Dei laude vocali.

9. D. Quomodò potest Oratio esse actus Religionis ?

M. Hoc ipso, quod aliquid petimus ab alio, recognoscimus, & honoramus ipsum ut Superiorem: quare oratio, ut est petitio decentium à Deo, est cultus internus: & laus vocalis est actus externus Religionis. S. Th. quoad 1. q. 83. a. 3. quoad 2. q. 91.

10. D. Tenemurnè orare ?

M. Oratio importat duos actus; alium voluntatis, quo desideramus, & alium intellectus, quo petimus desiderata: nèc enim homo petit, nisi quę desiderat habere. Sub præcepto charitatis cadit desiderare: sub præcepto Religionis cadit petere, tradito illis verbis Matth. 7. *Petite, & accipietis*.

S. Tho-

S. Thomas q. 83. a. 3. ad 2. Ergo debemus desiderare salutem, & necessaria ad illam, ut sunt fides, spes, charitas &c. sed præceptum desiderandi spectat ad ipsas virtutes; & de tali præcepto sufficientèr dictum est agendo de ipsis virtutibus. Nùnc dicimus extare præceptum petẽdi, quando aliquid nobis deest necessarium ad salutem, quod hìc, & nùnc tenemur habere, nèc alitèr possumus, nisi orando. Adverte, quod ex dictis p. 1. c. 35. n. 5. tenemur aliquando ad orationem Dominicam, sed non semper tenemur rigoroso præcepto: Extat aliquotiès in vità tempore indeterminato, ex jure divino, rigorosum hoc præceptum, quia ex Augustino: *Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te* volente, consentiente, aut petente, quando est opus: peccaretque mortalitèr, qui nunquam peteret vitam æternam, ut petitur saltèm in oratione Dominicà, vel petendo sacramenta, contritionem, &c. Hæc enim sunt media ad vitam æternam, & qui petit media, virtualitèr petit finem. Quare quoad præceptum divinum orandi, Confessor non sit nimium sollicitus, quia Christianus, adimplet illud, nisi sit omninò immemor suæ salutis. Adimplet illud saltem adsistendo missæ, ubi unit se cum Ecclesià orante, & petente nostram salutem. Adimplet illud recitando Orationem Dominicam, invocando Sanctos, præcipuè Beatissimam Virginem; petendo etiam temporalia: Vix enim erit Christianus, & ne vix quidem, qui petat hæc absque ordine ad salutem, ut ad finem

appretiativè (licet non intensivè) magis volitum.

11. Extatnè præceptum Ecclesiasticũ orandi?

M. Præcepto rigoroso Ecclesiæ, universitas Christianorum tenetur solùm orare in die festo per assistentiam sacrificio missæ, per quam assistentiam consentit petitionibus, nomine totius Ecclesiæ Deo factis, & laudibus, quæ in eodem sacrificio redduntur Deo. Constituti in sacris ordinibus, Benefitiati, & Religiosi complures tenentur, vel ex præcepto, vel ex consuetudine ad Officium divinum: Pensionarii verò ad Officium B. Virginis, adeò ut non recitantes peccato omissionis mortalitèr peccent contrà Religionem; & prætereà Beneficiati, ac Pensionarii, quando non restituant, peccent peccato commissionis contrà justitiam. Porrò circà hanc obligationem recitandi Officium, sufficientèr dictum est in *Instructione pro ordinandis* c. 14. & c. 30. à num. 7. ad 13. ubi etiam datæ sunt propositiones prohibitæ à Sede Apostolicà, & quid teneatur restituere, Confessor videat ibi: nèc enim omnia possunt ubique repeti; nèc sine illa notitià ingerat se audiendis confessionibus, quia multùm crevit numerus Ecclesiasticorum, inter quos propterea potest esse frequens hoc peccatum omissionis; proinde Confessor scire debet, quando peccetur; & quando sit obligatio restituendi.

12. D. Oratio debet nè mentalis esse, an vocalis?

M. Oratio erit primò qualis est præcepta: secundò, oratio in personà Ecclesiæ per Ministros facta

facta nomine populi convenientèr fuit institutū, quòd esset vocalis, ut populus possit illius habere notitiam; & ita canitur altà voce Officium divinum, ac Missa in iis partibus, in quibus Sacerdos orat nomine totius populi. In aliis orationibus ad libitum, quia orationis est elevare mentem ad Deum, videbit orans, an vocibus impediatur hęc elevatio: etenim tùnc debebit esse mentalis: quòd si è contrà mens absque signis exterioribus non possit elevari, tùnc utendum erit voce: & tùnc in Dei obsequium exercemus potentias interiores, & exteriores; quia tamen vox persæpè distrahit, ideò Patres spirituales consulunt maximè orationem mentalem; & Confessor quisque debet illam sibi reddere familiarem. Nisi enim sedulò quis cogitet gravitatem, & relevantiam sui muneris, est difficile non deficere. Porrò hæc cogitare spectat ad orationem mentalem, vocibusque impeditur sæpè attentio accuratior. S. Thomas q. 83. a. 12. Omnium optima est oratio Dominica. S. Thomas a. 9 Ad captum Christianæ plebis, illam, simùl cùm salutatione Angelicà explicuimus in *Instructione pro ordinandis* c. 9. sed eà notitià pro se contentus non debet esse præparans se ad confessiones. Attentè sæpiùs relegat Catechismum part. 4. præsertìm à c. 9. Vide S. Carolum p. 1. c. 11. n. 49.

13. D. Oratio debetnè esse attenta?

M. Vide dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 14. n. 10. ubi Attentio distincta est ab Intentione, quia hæc est actus voluntatis, illa Intellectus applican-

tis, ut mens in oratione remaneat elevata in Deum: & hanc sufficere, quamvis Idiota ignoret significationem, aut sensum verborum. S. Thomas a. 13. Ad praxim habes magis necessaria in *Appendice Instructionis pro ordinandis* c. 12.

14. D. Pro quibus debemus orare?

M. Dictum est n. 10. quòd oratio dicit duos actus, alterum desiderii in voluntate, qui est actus charitatis, alterum petitionis in intellectu, qui est actus Religionis; & hìc supponit primum; quare pro iis debemus orare, quos debemus diligere. Obligamur specialissimè ad diligẽdum nos in ordine ad vitam ęternam. Igitur specialissimè debemus petere nobis vitam ęternam, & media omninò necessaria perveniendi ad vitam æternam: quare peccabit gravitèr, nisi oret, Petrus in tentatione positus, qui noscit, sine oratione, non posse resistere tentationi: tamen quia oratio tùnc obligat per accidens, ratione fugiendi cònsensum in tentationem, non erit peccatum specialitèr aperiendum in confessione orationis omissio, sed sufficientèr se accusabit pœnitens dicendo, quòd commiserit tale peccatum. Circà proximum, specialitèr debemus pro illis orare, quos debemus diligere specialitèr ad vitam æternam. Quia verò charitas nos obligat generalitèr amare proximum, & specialia dilectionis signa tenemur solùm exhibere in articulo necessitatis, quando sibi non potest providere; ideò generalitèr tenemur orare pro aliis, etiam pro inimicis, hoc est, nullum excludere à precibus communibus.

Por-

Porrò dari non potest articulus necessitatis, quo sub mortali obligemur petere à Deo vitam æternam proximo, quia ille dicitur articulus necessitatis extremę, quando sibi non potest subvenire proximus; pro quà quilibet potest sibi subvenire faciendo actus Fidei, Spei, Charitatis &c. Sed neque pro temporalibus teneor orare pro altero sub mortali: Equidem potest reperiri proximus in extremà necessitate, ita ut peccem, non exercens eleemosinam corporalem in illum; sed si non habeat ille, unde vivat, nec habeam ego, unde corporaliter subveniam, non teneor sub mortali ex vi charitatis, orare Deum, ut illi subveniat, quia potest ipse orare pro se, & ita non est in extremà necessitate orationum. S. Thomas a. 7. & 8.

15. D. Possumusnè à Deo petere temporalia?

M. Possumus petere vitam æternam, & quæ conducunt ad vitam æternam. Temporalia etiam indeterminatè possumus petere, quæ Deus videt profutura nobis ad vitam æternam. Sed si homo cognosceret experientià, vel aliter, aliqua sibi prodesse ad vitam Christianam, posset illa determinatè petere à Deo: v. g. cognosco egestatem esse mihi ex fragilitate naturæ causam peccatorum, & è contrà ubi habeo sufficientiam victus, me Deo servire, alacriùs, frequentiùs, & intensiùs, possum determinatè petere sufficientiam victus, &c. dummodò tamen ita sim dispositus, ut illa nollem, si fortè non cederent in gloriam Dei, & salutem animæ. S. Thomas a. 5. & 6.

16. D.

Digitized by Google

16. D. Estnè oratio efficax ad impetrandum.

M. Confessor doceat pœnitentem, quòd, juxtà illud Jo. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*; sive peccator sit, sive justus, homo semper exauditur, quando petit cum his quatuor conditionibus, *pro se, piè, perseverantèr, & necessaria ad salutem* (quod procedit ex promissione Christi) tamen suo tempore, quod novit Deus. Pro aliis autem est utilissima oratio, sed non est ista promissio exaudiendi; quare curent quidem orationes præcipuè Regularium, & Monialium, sed principalitèr curent proprias cum illis conditionibus. S. Thomas a. 16.

17. D. Adsuntnè propositiones prohibitæ circà prædictos duos actus internos Religionis?

M. Circà recitationem officii adsunt 21. 34. & 35. Alexandri VII. & 54. Innocentii XI. Sed & 68. Michaelis de Molinos ab Innocentio XI. respiciunt omnes, orationem, quam vocabat, *Quietis*.

18. D. Quas pœnitentias Confessor debet imponere pœnitenti se accusanti, quòd omiserit prædictos actus internos Religionis?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. n 23. præcipit *desidiosis* imponi *studia devotionis*. Omittenti divinum officium, ait S. Th. quodl. 3. a. 29. non semper congruit imponere, ut iteratò recitet, sed *aliquid ad laudem Dei pertinens*. Qui verò pluriès omisit, non absolvatur, nisi saltem præmittat Matutinum illius diei, quod, juxtà Rubricas, recitandum est ante Missam, ad minùs sub veniali, si non sit causa.

C A-

CAPUT XXXII.

De Actibus Religionis externis, per quos exhibemus nostra Deo.

1. RElegio impendit cultum Deo, & secundum diversa, quæ impendimus in cultum Dei, sunt diversi specie actus Religionis. Primò: religio impendit in cultum Dei voluntatem, in quà residet; & sic est devotio: secundò: impendit intellectum; & sic est oratio, qui dicuntur actus interni, quia potentiæ sunt internæ: Memoria non est distincta ab intellectu; quare per duos illos actus impendimus in cultum Dei nostrum omne internum. Remanent exteriora impendenda; & si quidem subjiciamus corpus, est primus actus externus, qui dicitur *Adoratio.* Si verò impendantur bona exteriora, videndum est, an bonum, quod impenditur, totum cedat in obsequium Dei, & in recognitionem ejus supremi dominii: tùnc enim est secũdus actus externus, qui dicitur sacrificium: vel ita cedant in obsequium Dei, ut cedant in sustentationem Ministrorum; & tùnc adhùc distinguendum est; vel enim offeruntur primitiæ fructuum, & tùnc est tertius actus externus, qui dicitur oblatio primitiarum: vel offertur decima; & tùnc est oblatio decimarum. Si quis autem offert aliqua pauperi in honorem Dei, tùnc illa obla-

oblatio est actus elicitus charitatis imperatus à Religione: nàm Religio solùm elicit oblationes, quæ fiunt pro rebus Deo dicatis; ut sunt Clerici, templa, vasa sacra &c. Ultimus actus est observantia Festorum.

2. D. Quid est Adoratio primus actus externus Religionis?

M. Adoratio est quędam humiliatio totius corporis, sive membrorum, per quam, ratione excellentiæ à nobis in adorato recognitæ, nos illi subjicimur. Adhibemus hujusmodi humiliationes Deo, Sanctis, & Principibus: non tamen per eundem specie actum, imò neque per eandem specie virtutem. Si adhibemus ergà Deum, quia objectum formale est excellentia divina, talis actus est Religionis, seù Latriæ: si adhibemus ergà Sanctos, quia objectum formale est excellentia sacra; est actus Duliæ sacræ, ut sunt excellentes in sanctitate: si ergà Principes, quia formale objectum est excellentia politica, est actus Duliæ civilis quæ potest ordinari ad Deum, ut Deus præcipit colere Principes. Hæc adoratio debetur personis; quare non adorantur virtutes, sed personæ virtuosę, tamen ratione virtutis, vel excellentiæ: quare una est adoratio Trinitatis, quia una est excellentia personarum. Igitur inclinare, vel discooperire caput imagini Crucifixi &c. jungere manus, genuflectere, tundere pectus, prosternere se &c. sunt actus externi Religionis, seù Latrię, ut facti Deo, qui dicuntur *Adoratio*. S. Tho. q. 84.

3. D.

Digitized by Google

3. D. Obligatnè Religio ad hunc primum actum externum Adorationis?

M. Ex p. 1. c. 34. n. 6. virtutes distinctæ à charitate sub mortali tùnc obligant, quando sunt medium necessarium ad charitatem. Porrò charitas haberi potest absque istà externà humiliatione. Igitur ex naturà suà non obligat ad mortale; sed solùm si oriretur grave scandalum. Ecclesia quidem in Officio, Missà, &c. obligat ad hujusmodi adorationem; & sub gravi, quando Rubricæ graviter obligant. Etiam ipsa consuetudo, ut genuflectamus ad delationem Eucharistiæ, dum audimus sacrum &c. sed nunquam sub gravi de se, præciso scandalo.

4. D. Quid est Sacrificium secundus actus externus Religionis?

M. Ad Confessorem spectat scire non vetera sacrificia, sed quod, Corporis & Sanguinis Christi Domini peragitur in missà, jungendo, quæ S. Th. de sacrificio in genere habet hìc quæst. 85. cum his, quæ de nostro sacrificio habet 3. p. q. 82. 83. 84. ut sunt magis necessaria Confessori ordinario. Interiùs homo debet se offerre Deo, ut omnium primo principio, & ultimo fini, quod est esse supremum dominum. Antiquitus hæc exterior oblatio significabatur exteriùs per mactationem victimæ alicujus, quæ habita à Deo rerum omnium Datore consumeretur propter Deum, ut finem ultimum. Quod offertur Superiori, debet offerri per Ministros ad id ab ipso deputatos, & in locis, vel tem-

tempore ab ipso deputatis. Ministri sacrificii sunt Sacerdotes deputati authoritate divinà, seù sacrà, per illos, qui ad hoc habent jus à Deo, & in templis consecratis eâdem authoritate, vel etiam diebus paritèr præscriptis; sed & per victimas eâdem authoritate præscriptas; & in novà lege Christus Deus, & homo unicam præscripsit suum corpus, & sanguinem; Videantur dicta diffusè in *Instructione pro ordinandis* ex Trident., Catechismo &c.

5. D. Tenemurnè omnes ad hunc secundum actum externum Religionis?

M. Ex n. 4. sacrificium est actus multitudinis, quia offerendum à deputato ex sacrà authoritate in multitudine: quare singuli tenentur concurrere per modum, quo concurrunt singuli ad actum totius Reipuplicæ, ut alii, scilicèt, imperent, alii exequantur, alii cooperentur, alii sustentent exequentes, alii consentiant tacendo, seù non reprobando; Per hunc modum in Republicà omnes concurrunt ad promulgationem legum, ad sententiam Judicis &c. Hoc modo singuli tenentur ad sacrificium ex jure naturæ, seù divino; Verumtamen ex præcepto Ecclesiæ non sufficit consentire, non reprobando, sed requiritur insuper consentire assistendo sacro in die festo.

6. D. Obligamurnè ad hanc auditionem sub mortali?

M. Utique sub mortali obligamur, quia est præceptum Ecclesiæ. Vide dicta p. 1. c. 38. n. 9.

7. D. Possumusnè satisfacere audiendo eodem tem-

tempore quatuor partes Missæ à quatuor Sacerdotibus?

M. Non possumus; & contrariam opinionem reprobavit Innocentius XI. prop. 53.

8. D. Præceptum audiendi sacrum admittit nè parvitatem materiæ?

M. Præter dicta p. 1. c. 36. n. 5. vide de Acidiâ c. 14. n. 3. si omitto, quia nolo dare hunc honorem Deo, non excusat parvitas materiæ: si omitto, quia v. g. nolo pati leve incommodum, materiæ parvitas excusat.

9. D. Quia dixisti de concurrentibus ad sacrificium per assistentiam, quantum sufficit scire Confessori ordinario, dic etiam aliquid de Ministro principali, scilicèt, Sacerdote: nàm hodie multùm crevit eorum numerus; & qui exponit se audiendis confessionibus Christianorum, necesse habet scire plura de statu Sacerdotali, ut in illos etiam adventantes exercere possit suum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris. Igitur quæro, an Sacerdos habeat præceptum affirmativum celebrandi?

M. Ex S. Thomà 3. p. q. 82. a. 10. quilibet Sacerdos, non suspensus per Ecclesiam, nec ęgrotus, tenetur uti gratiâ, & potestate sibi à Deo concessâ offerendo sacrificium *in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt*. Qui verò habent speciales obligationes ex titulo &c. consulant prædicta onera. Parochi autem dicta c. 28. n. 3.

10. D. Quid tenetur observare celebrans in offeren-

ferendo sacrificiũ Corporis,& Sanguinis Domini?

M. Obsérvabit attentè Rubricas Missalis, quæ sunt, vel debent esse notæ cuilibet Sacerdoti. Porrò Confessor audiens in confessione Sacerdotem, notet sequentia. Primò: Pius V. præcepit in virtute Sanctæ Obedientiæ illas obsérvari,quòd præceptum cadit suprà omnes, non suprà singulas; quare Sacerdos illas pro majori parte negligens,committet duplex peccatum, omissionis alterum contrà Religionem, alterum contrà obedientiam: secundò: in singularum omissione, ut sunt contrà religionem datur parvitas materiæ, dummodò non omittantur,quia sunt in honorem Dei,juxtà dicta n. 8. tertiò: non potest hìc determinari, quæ Rubricæ in singulari obligent sub gravi: pendet id ex communi acceptione, ex majori, vel minori ordine ad sacrificium:Confessor tamen semper suadeat Sacerdotem pœnitentem, ut in re tanti momenti exactissimè singulas obsérvet, maximè, quæ communitèr existimantur graviores; quòd si delinquat, in praxi se accuset, saltèm sub dubio, cum vero proposito desistendi;& optimè faciunt Sacerdotes,qui se accusant de inobsérvantiâ etiam leviorum Rubricarum: quartò: notet Confessor, quòd Christus quidem præcepit omnibus communicare in articulo mortis, tamèn etiam præcepit, quòd in Eucharistiâ sumendâ, vel conficiendâ, penderemus ab Ecclesiæ ordinationibus; quare Sacerdos relinquet moribundum sine Viatico potiùs, quàm illum communicare sub specie vini, aut potiùs

quam

quàm conficere Eucharistiam sine paramentis sacris, sine lumine &c. Legat tamen Rubricas tùm Missalis, tùm Ritualis, ut videat, quid liceat in simili casu; Consulat Episcopum non modò in facti contingentiâ, quæ multotiès non patitur hanc moram, sed etiam ubi potest prævideri casus difficilior. Ordinarius Confessor hæc figat memoriæ circà præceptum affirmativum obligans ad sacrificium, & circà peccatum omissionis in ejus celebratione; circà peccatum commissionis dicetur in sequentibus, cum de peccatis agetur contrariè oppositis Religioni. Præter Rubricas, etiam legatur S. Th. q. 83. & 84., ex quo in *Instructione pro ordinandis* c. 43. explicata sunt mysteria sacrorum Rituum, quos observamus ex præcepto Ecclesiæ in celebratione Missæ.

11. D. Quid est Oblatio, tertius actus externus Religionis?

M. Nomine oblationis venit actus, per quem offerimus Deo bona nostra, vel in totum, vel pro parte, ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, atque ut per illos, etiam sustententur pauperes, conserventur, templa, vasa sacra &c. quare si quid dono pauperi, erit actus externus charitatis; & si dono Ecclesiæ, ut ipsa sustentet pauperes, donatio facta Ecclesiæ erit actus externus Religionis cum ordine ad actum Charitatis. Ex jure naturali tenentur omnes Christiani ad aliquas oblationes indeterminatè, ad sustentandos proprios animarum Pastores; & hi habent jus illas exigendi: nàm ex

Apostolo 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus? .. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt*, & 1. Tim. 5. *Dignus est operarius mercede suâ*: quod est præceptum naturæ: nàm à populo sustentantur, qui laborant pro populo, ut Milites, Judices &c. Jus percipiendi has oblationes est proprium officii Pastoralis; at oblationes cedunt in sustentationem personę, quod maximè debet adverti: nàm propterea Parochus peccabit, si suà negligentià perdatur hoc jus Ecclesiæ. At si conservans illæsum jus, ipse tamen velit remittere populis, quod sibi debent in sustentationem, non peccabit: sed imò erit scandalo, si sit nimis exactus in exigendis, præsertìm à pauperibus, quos pessimum esset opprimere, connivendo ditioribus. Diximus teneri Christianos ad aliquas oblationes indeterminatè in sustentationem Ministrorum; quare servanda est consuetudo cujusque Ecclesiæ habentis curam animarum. Aliis enim populi providerunt ab antiquo per assignationem reddituum. Aliis per congruam portionem in exequiis defunctorum. Aliis per primitias, vel decimas, ad quarum solutionem, populi tenentur, ubi est consuetudo, ex præcepto Ecclesiæ; adeò ut contrà Religionem peccet subditus non solvens, ut sunt de jure: si verò nihil cogitans circà jus, non solvat, ut sibi retineat, peccat contrà justitiam, quia Parochus habet jus ad rem. Circà oblationes ista sufficient Confessori ordinario: Illarum obligatio, præsertìm decimarum, pendet

ex

ex consuetudine locorum, statutisque particularibus; quæ omnia nequeunt hìc comprehendi. Desiderans plura pro instructione majori videat Sanctum Thom. q. 86. 87.

12. D. In quo consistit quartus actus externus Religionis?

M. Consistit in observantià festorum ab Ecclesiâ statutorum. Circà quam Confessor ordinarius notabit sequentia ex S. Thomà q. 122. a. 4. ad 3. & 4. Primò: in festis, ad honorem Dei vacare debemus ab opere servili, nempè, à peccato, quod est opus servile, juxtà illud Jo. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*, & ab omni opere servili, quod exercetur laboriosè per corpus, ac dicitur servile, quia est proprium servi. Principalitèr abstinere debemus à peccato, & acritèr increpandi sunt, qui utuntur die festo, ut graviùs, ac multipliciùs peccent; peccare tamen in die festo non est circumstantia mutans speciem, sed aliqualitèr aggravans: nàm in honorem Dei prohibentur exteriora signa, quę conveniunt servis exterioribus inter homines; & actus externus Religionis prohibet signa externa: secundò: non prohibentur hæc opera corporalia in honorem Dei: quare possunt exerceri, ubi directè cedunt in honorem Dei, scilicèt, pro adornando templo &c. (si tamen adsit aliqualis necessitas) Quartò: Religio non prohibet opera corporalia, quæ necessaria sunt pro conservatione individui exercentis ipsos actus Religionis: quare non prohibemur facere illa *quibus salus corporis conser-*

vatur: quintò: nec prohibet opera corporalia, quæ ordinantur ad salutem proximi, ut præparare cibos &c. sextò: nec prohibet opus corporale, quod *ordinatur ad vitandum imminens damnum rei exterioris:* septimò: opera prohibita faciliùs dispensari possunt in lege Christianà, quàm in Hæbraicà: In hàc enim erant figuræ Christi venturi, & fiebant in protestationem veritatis, *quam non licet in modico præterire*. Circà obsservantiam festorum, hæc omnia memorię infigat Confessor ordinarius; & applicet casibus particularibus. At ubi publica esset necessitas in aliquo loco, v. g. pro vindemiis, pro diruendà publicè domo, quæ minatur publicè ruinam &c. esto evidens appareat necessitas, curet, ut ab Episcopo, vel ejus Officiali legitimo facultas obtineatur, & ad vitandum scandalum, & ad majorem obedientiam ergà Ecclesiam.

13. D. Obligamurnè sub mortali ad quartum hunc actum externum Religionis?

M. Utique obligamur sub mortali; & contrariam opinionem reprobavit Innoc. XI. prop. 52.

14. D. Hoc præceptum admittit nè parvitatem materiæ?

M. Equidem hoc præceptum est negativum, sed ordinatur ad aliquid positivum, nempè, ut Christianus ita deferat cultum Deo, & quia parvus labor nõ præjudicat, quin deferamus Deo cultum debitũ, ideò ex parvitate materiæ homo laborans excusatur à mortali. Quartum autẽ temporis possit laborare, absque incursu peccati mortalis,

multi

Digitized by Google

multi quærunt; ego utar regulâ ex Sacrâ Congregatione Concilii traditâ p. 1. c. 36. n. 9. quòd non est tutum definire in universali; sed in casibus singularibus Confessor attendet omnes circumstantias, nihil ex se decidens, ubi res non est clara, absolvens ad omnem cautelam à lapsibus præteritis,& consulens,ut Deum in posterum diligentissimè honorent.

15. D. Circà hos quatuor actus externos Religionis, adsunt nè propositiones prohibitæ?

M. Circà primum Adorationis multa discès ex damnatione propositionum Molinos. Circà secundum sacrificii,quoàd audientes extat 53. Innocentii XI. Quoàd Sacerdotes, vel offerentes eleemosinam pro sacrificio, præter 8. 9. & 10. Alexandri VII., vide decreta *de celebratione Missarum* sub Urbano VIII. simùl cum viginti dubiis eàdem auctoritate à Sacrâ Congregatione decisis, cum additionibus sub Innocentio XII. Circà quartum extat 52. Innocentii XI.

16. D. Adsuntnè censuræ, aut pœnæ contrà omittentes hujusmodi actus?

M. Non invenio universalitèr pœnas contrà peccantes merè peccato omissionis; nisi insupèr alicui incumbat ex officio; & contrà hos vide pœnas in dictâ Bullà *de celebratione Missarum*.

17. D. Quas Pœnitentias imponet Confessor pœnitenti pro hujusmodi peccatis omissionis actuũ externorum Religionis?

M. Confessor, ubi morbum omnem peccatoris

ris agnoverit per explicationem speciei, numeri, & circumstantiarum, explicatu necessariarum, juxtà Rituale adductum p. 1. cap. 7. n. 19. imponet salutarem, & convenientem satisfactionem, habitâ ratione gravitatis, scandali, & frequentiæ peccati. Si Sacerdos circà sacrificium Missæ aliquã omiserit, ex quibus incurrerit pœnam aliquam in decreto *de celebratione Missarum* charitativè monebit, quas incurrerit eo ipso, & quas incurrere possit post sententiam Judicis, ut illas mitiget per Sacram Pœnitentiariam; & istas per humiliationes convenientes. Quia ex Rituali n. 22. debet adhibere correptiones, utetur Catechismo p. 2. c. 7. præsertim à n. 22. Circà observantiam verò Festorum p. 3. c. 4.

CAPUT XXXIII.

De Voto.

1. HOnoramus, & colimus Deum non modò illi offerendo voluntatem per devotionem, aut intellectum per orationem, aut corpus per adorationem, aut bona nostra per sacrificium, & oblationem, sed etiam promittendo aliquid horum; hinc S. Thomas, postquàm egit de actibus, quibus offerimus Deo nos, & bona nostra, q. 88. agit de voto, quo promittimus Deo aliquid horum. Inde præparans se

ad

Digitized by Google

ad confessiones notabit, quòd sicut actus prædicti sunt diversi specie, ita specie diversa sunt vota, seù promissiones eorundem: Actus enim medii specificantur ab objecto ultimi, & promissio specificatur ab objecto actus, quem promittit: quare in confessione pœnitens non sufficientèr accusat, dicendo se violasse votum, sed debet explicare, si violavit votum Castitatis, aut Paupertatis &c. nèc sufficit explicare virtutem, cujus actum promisit; sed quia una virtus habet plures actus specie diversos, explicandi sunt isti actus, v. g. Religioni prætèr actus internos, c. præcedenti assignavimus quatuor actus externos. Igitur in confessione est explicandum, quem ex illis actibus promiserim: si recitare genuflexus Rosarium, si audire duo sacra, si offerre alicui Ecclesiæ nonnulla bona &c.

2. D. Quid est votum?

M. Est promissio facta Deo de meliori bono: dicitur *promissio*, & ratione hujus importat tres actus, primò consilium, seù deliberationem (quę est actus intellectus ex S. Thomà 1.2. q. 14.) secundò propositum voluntatis, seù electionem (vide 1.2. q. 13.) tertiò actum (in quo substantialitèr consistit votum) promissionis, quæ est actus intellectus practici, necessariò dependens à duobus primis: quare ubi non sunt hi duo, neque erit votum; Et ita in praxi Confessor judicaturus, an aliqua promissio sit verè talis, & votum, videat, an præcesserint illi duo actus; & quidem juxtà leges, quando de illis istæ disponerent, ut accidit in so-

lemnibus votis Religionis, in quibus de necessitate requiritur deliberatio unius anni per gestationem habitus in Novitiatu &c. S. Thomas qu. 88. a. 1. Dicitur *facta Deo*: nàm promissio facta homini non est votum: sed potest esse materia voti, v. g. promitto Ecclesiæ acceptanti calicem aureum, & deinde voveo etiam Deo, quòd illum dabo; in quo casu non observans promissum, committo duplex peccatum: alterum contrà justitiam, quia non reddo Ecclesiæ id, ad quod acquisivit jus: alterum contrà Religionem, quia violo votum Deo factum. Promissiones factæ Sanctis dicuntur vota, & pertinent ad Religionem, ut oratio, quia tàm per vota, quàm per orationem in Sanctis colimus Deum. S. Thomas a. 5. præsertìm ad 3. cum commentario Cajetani. Dicitur *de meliori bono*: quare nihil malum, nihil indifferens potest esse materia voti. Nihil etiam virtuosum, si in tali materià datur aliquid melius: v. g. non obligat votum, quo voveo non transire per talem viam, ut aliquid indifferens, neque si voveo nubere, quia castitas est melior matrimonio. At si voverem non transire per talem viam, ad fugiendam occasionem proximam, vel voverem nubere, quia experior extrà matrimonium me incidere in peccata carnis, in his circumstantiis est bonum melius nubere, quàm ejus contrarium, non nubere; & obligat votum. S. Thomas a. 2. ad 2. Dicitur etiam *de meliori bono*, quia debet esse superogationis, modo tamen, quo jam jam explicatur exemplo Castitatis: quate non

pro-

propriè vovent, aut promittunt, sed solùm proponunt, qui dicunt in baptismo, aut pœnitentiâ se promittere vitam Christianam, quià id est illis omninò necessarium, tamen, qui vovent castitatem v. g. non solùm obligantur ex vi voti ad abstinentiam matrimonii, sed etiam ad fugiendum omne peccatum contrà castitatem, adeò ut etiam sacrilegi sint illam violantes, quia licèt necessarium sit omni Christiano fugere hæc peccata, nihilominùs voluntarium est facere castitatem materiam Religionis; & hæc voluntarietas sufficit ad rationem voti, tùm ex communi acceptione, tùm ex *S.* Thomâ a. 2.

3. D. Obligamurnè sub mortali adimplere votum?

M. Si obligamur exequi, quod promisimus homini, multò magis obligamur exequi promissa Deo, juxtà illud Eccl. 5. *Quodcunque voveris, redde: multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere*; vel saltèm tenetur facere, quantùm est ex parte suà, ut adimpleat, si executio non stat in suà manu: v. g. vovi Religionem aliquam intrare, teneor facere meas diligentias morales, ut recipiar, si non in hàc, in aliâ; si vovi tantùm hanc: factis diligentiis moralibus in istà, non teneor ad aliam. Vovi virginitatem, quam deinde amisi per sacrilegium; in posterum si non possum totalitèr esse Virgo, teneor impedire, quantùm possum, quæ sunt contrà virginitatem de se. *S.* Thomas a. 3.

4. D.

Digitized by Google

4. D. Datur nè parvitas materiæ in violatione voti?

M. Votum est promissio facta Deo. In omni autem promissione consideratur duplex veritas: alia de præsenti, quæ debet inesse, quando aliquid promittitur; & hæc est, ut animus, seù intentio promittentis correspondeat verbis pro tùnc, quando promittit: altera veritas est de futuro, ut quis exequatur suo tempore, pro quanto potest, quod promisit. Circà primam veritatem credo non dari posse parvitatem materiæ in voto, ob ea, quæ dicentur de juramento c. 35. Circà secundam dari potest parvitas materiæ: quare venialitèr peccabit, qui semèl vovit recitare salutationem Angelicam cum animo promittendi, sed quam postèa in executione non recitavit. Vide Catechismum par. 3. c. 3. n. 23.

5. D. Quotuplex est votum?

M. Est duplex, aliud simplex, aliud solemne: Simplex fit soli Deo: Solemne autem fit Deo, sed ab Ecclesiâ, nomine Christi, acceptatur. Nùnc redditur solemne tantùm per professionem in Religione approbatâ à Summo Pontifice, qui dat hoc ipso licentiam Superioribus acceptandi talia vota, & per susceptionem sacri Ordinis, quem liberè suscipiendo, obligamur solemnitèr ad castitatem, estò invincibilitèr ignoretur castitatem esse annexam ordini sacro, estò nollem positivè castitatem vovere; in quibus casibus violans castitatem, committeret duo peccata, alterum contrà Casti-

tatem

tatem, alterum contrà Religionem: Ecclesia enim suo præcepto castitatem fecit materiam Religionis, quidquid sit, an nolens vovere, sit obligatus voto; nàm hoc scire parùm curet Confessor ordinarius, sed sciat, quòd nolens vovere adhùc committit duplex peccatum. S. Thomas a. 7.

6. D. Explicandum nè est in confessione, an votum violatum fuerit simplex, vel solemne?

M. Explicandum est, quia violatio voti simplicis affert injuriam soli Deo: At violatio voti solemnis affert injuriam, & Deo, & Ecclesiæ, cui fit promissio, & à quâ acceptatur. Qui verò Religiosus, & Sacerdos violat castitatem solemnitèr promissam, peccat quidem gravius, quia ex duplici titulo debet servare, sed quia non est duplex injuria, neque est duplex peccatum.

7. D. Quis potest vovere?

M. Votum est promissio facta Deo: nullus autem potest alteri promittere, quod suum non est; nisi tacitè intellectà conditione, quòd dominus consentiat: hinc primò inferes puerum ante usum rationis nihil omninò posse vovere, quia non est dominus suorum actuum: secundò: ob eandem rationem servus non potest vovere operationes personales, quæ sunt ipsius domini, non servi, quia tamen servitus processit ex jure gentium, & naturalitèr quilibet est dominus suorum actuum, hinc poterit vovere illa, super quæ non se extendit dominatio, ut est habere patientiam in adversis &c. imò etiam operationes personales, pro quanto

to in eis habet naturale dominium, quatenùs, scilicèt, eas ex jure gentium dominus non impediat, vel quatenùs obtinuit licentiam à domino, in quo casu hìc cedens juri suo, rationabilitèr non potest repetere. Religiosus est totus Dei sub directione Superioris, adeò ut ex vi professionis non sit dominus facere, quod ipse vult, sed quod vult Superior nomine Dei (tamen juxtà professionem suæ regulæ) Hìnc in iis, in quibus illum occupare potest Superior nomine Dei, & ratione Regulæ, non potest vovere firmitèr, ita ut absolutè obligetur, nisi pro quanto Superior illum relinquet dominum suæ operationis: quare poterit vovere transitum ad Religionem arctiorem. In reliquis, nisi Prælatus consentiat, poterit quidem vovere, pro quanto Superior illum in aliis non occupabit, sed semper intelligitur adjecta conditio, ut non præjudicetur juri Superioris. Ante annos pubertatis homo habens usum rationis, est dominus suorum actuum, sed ita ut in illis dirigendus sit per parentes, tutores &c. Cum ergo non habeat perfectum dominium, non poterit perfectè vovere, nisi subintellectà conditione, quòd non præjudicetur juri paterno &c. Post annos pubertatis est perfectè dominus suscipiendi statum, vel Religionis, vel matrimonii; & ideò quoad Religionem potest firmitèr se obligare (matrimonium, quia non est majus bonum, non est materia voti) voto simplici (solemne requirit alias conditiones ab Ecclesiâ statutas) In reliquis operationibus

quoad

Digitized by Google

quòad dispensationem domesticam, si non sit perfectè dominus, sed adhùc sub curà parentum, poterit vovere sub illà conditione. Idem dic de uxore, quę si voveat castitatem, obligabitur ad id, in quo est perfectè domina, ut, scilicèt, non petat debitum, sed ita ut non præjudicet juri Conjugis: quare debebit reddere, dùm exigitur: in gubernatione domesticà, quia omninò pendet à viro, non poterit plenè obligari. S. Thomas a. 8. & 9.

7. D. Potestnè tolli obligatio voti?

M. Triplicitèr potest tolli: primò per irritationem: secundò: per commutationem: tertiò: per dispensationem. In iis, in quibus homo non est perfectè liber, sed stat sub dominio alterius, cadit irritatio facienda per dominum. Vota illa fiunt subintellectà conditione, *nisi renitatur dominus*: Iste propterea potest irritare votum, ut Dominus respectu servi, Pater respectu filii: Prælatus respectu Religiosi, Maritus respectu Uxoris. Hi enim habentes dominativè dirigere subditos, eorumque operationes personales, aut domesticas, habent etiam irritare omnem obligationem, quæ posset ex illis consurgere; propterea neque obligāt se homini. Jus irritādi fundatur in dominio pleno & perfecto, sive dominium sit temporale, ut patris, Mariti, & Domini, sive sit spirituale, ut Prælati respectu Religiosi, dummodò sit Prælatus habens verè dominium, & non solam dispensationem; propterea subditorum vota sunt conditionata respectu domini. S. Thomas a. 12. ad 2. & si dominus irri-

irritaret votum sine causà, utique peccaret ipse, sed verè subditus remaneret absque ullà obligatione. Principes verò temporales, vel etiam alii Superiores Ecclesiastici, in Republicà sive sacrà, sive civili, non sunt domini, sed dispensatores, juxtà claram Theologorum doctrinam, semper à S. Th. traditam, & specialitèr, ubi suprà quoad hoc punctum, quidquid Juristæ sentiant; unde ipsi videant, quomodo irritare non possint vota, si sint domini, vel quomodo sint domini, si non possunt irritare vota. Igitur quia isti non sunt domini, sed tantùm dispensatores, non possunt irritare vota. Quia tamen votum est quædam veluti lex particularis, quam sibi homo imponit ad colendum Deum; & lex hominis, quæ uno tempore est utilis, alio reddi potest inutilis, & quia in omni promissione alteri factà, utilitas, vel inutilitas præcipuè dijudicanda est ab eo, cui promittitur, & in voto dijudicãda est à Deo; idcircò Deus suis Vicariis visibilitèr dirigentibus Ecclesiam reliquit potestatem, ut suo nomine id dijudicarent: ita tamen quòd per hoc nõ tolleretur ordo naturæ dictans in manifestis non recurrendum esse ad superiorem: quare quilibet ex se potest commutare vota particularia in vota Religionis, quia hęc ex Evangelio sunt evidentèr meliora. Porrò duplicem potestatem Christus reliquit suis Vicariis, alteram commutandi, alteram dispensandi, Commutatio fit substituendo unum opus alteri, v. g. itineri Lauretano ex causâ substituitur iter ad aliam imaginem Virginis, & omittens

mittens hoc secundum frangit votum, & committit sacrilegium. Dispensatio eximit hominem ab obligatione servandi votum, & invalida est, si fiat sine causà: sufficit tamen, ut sit in utilitatem Ecclesiæ, vel etiam personæ privatæ. Plenissima potestas commutandi, & dispensandi vota (circà votum Religionis vide S. Thomam a. 11.) residet in Romano Pontifice. In reliquis ut disponunt Canones: Confessor nõ habet jurisdictionem in vota, (quæ non sunt peccata) nisi specialitèr sibi concedatur. Ordinariè autem conceditur solùm potestas commutandi, non dispensandi vota quædam particularia; Unusquisque consideret, nèc transgrediatur suæ jurisdictionis terminos; quòd si sit habendus recursus ad Sacram Pœnitentiariam, videat Instructionem p. 1. c. 18. n. 11. S. Thomas a. 10. 11. & 12.

9. D. Quid faciendum, ubi pœnitens dubitat, nùm sit causa sufficiens dispensandi, vel commutandi?

M. Nihil faciat ex proprio judicio, sed recurrat ad Superiorem, narrando sincerè veritatem, stetque illius judicio: Deus enim reliquit authoritatem Superioribus, ut in dubio, eorum interveniente judicio, subditus sit verè dispensatus. Vide dicta c. 31. n. 14. de observantià festorum, & est regula generalis in omni casu, v.g. in jejunio &c. S. Thomas a. 12. ad 2.

10. D. Vovi jejunare in vigilià S. Francisci, & omisi, teneor nè aliâ die jejunium supplere?

M. Vide

M. Vide dicta p. 1. c. 24. n. 5. nàm debet esse regula generalis, quòd si sit onus diei, ut recitatio officii, non teneor. Id autem dignoscitur, quia principalitèr fit votum in honorem Sancti, & propterea qui esset infirmus tali die, non esset sollicitus reponere jejunium, sicuti non est sollicitus reponere divinum officium, quando convaluit; E contrà si principalitèr Confessor imponit jejunium, & secundariò ad honorem Sancti, quando convaluit, jejunare tenetur.

11. D. Confessor debetnè extimulare suos pœnitentes ad elicienda vota?

M. Ita utique faciunt nonnulli Confessarii zelantiores, qui etiam uxoratos non adeò perfectos incitant ad vovendam castitatem, ubi obtinuerint unum, vel alterum filium. Sed ut zelus dirigatur prudentiâ; hæc sunt advertenda: primò S. Thomas q. 88. a. 6. firmat melius esse facere aliquid ex voto, quàm sine voto, & q. 189. a. 9. quòd merentur inducentes alios ad Religionem, & art. 10. quòd laudabile est religionem ingredi absque consilio multorum. Hoc autem dicitur per se loquendo; sed nostris temporibus, quando juvenes inducuntur ad religionem ex motivo temporali potiùs quàm spirituali, v. g. ut filius major ditescat ex renunciatione minorum: quando plurimi ob malam educationem incitantur ad venerem &c. valdè cautus debet esse Confessor. Si homo Confessori appareat affectus renunciare honori, gloriæ, ac sanguini, potest induci. At si solùm renunciet ho-

honori sęculi, sed appetat honorē &c. in religione tùnc religio, & reliqua vota sunt grave jugum, quod Confessor nunquam imponet.

12. D. Adsuntnè propositiones prohibitæ circà vota?

M. Considerandæ est 54. Innocentii XI. Equidem, ut jacet, agit de recitatione Officii; sed Theologus ex definitionibus Apostolicis, veluti principiis, deducit conclusiones Theologicas: quare videat, nùm ex illà deducendum sit, quòd obligatus ad votum, & impotens illud in toto exequi, obligetur ad partem. Directè circà vota, extant duæ inter propositiones Molinos, nempè tertia, & 65.

13. D. Adsuntnè Censuræ, vel pœnæ contrà violantes vota?

M. Nunc loquimur de violatione Voti, ut est peccatum omissionis; nàm ut est peccatum commissionis, dicetur suo loco, & universalitèr loquendo, non invenio censuras contrà hujusmodi violatores; quòd si statutæ sint nonnullæ in aliquà Religione, videantur ejusdē Ordinis Constitutiones.

14. D. Quas pœnitentias imponet Confessor non adimplenti votum?

M. Ubi talis pœnitens accedit, diligentèr inquiret Confessor: primò: utrum peccaverit in omittendo, quia, scilicet, non jejunavit tali die, quà vovit, & juxtà dicta n. 10. si principalitèr intendit jejunium, ostendet obligari ad reponendum alià die: secundò: vìdebit, an peccaverit in differen-

do: tenemur enim & adimplere, & non differre adimplementum, quia dicitur Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Ut autem Confessor sciat, quando pœnitens dicendus sit mortaliter peccasse per dilationem, videat Sanctum Thomam a. 3. ad 3. cum Commentario Cajetani: etenim, si promisit indeterminatè absque ullâ præfixione temporis, erunt considerandæ circumstantiæ: si commodè potuit implere, si res promissa sit ex iis, quarum executionem prudentes, & pii soleant differre, vel urgere; ita quòd ex suâ parte urgeat executionem: his omnibus consideratis, commemoret illud axioma: *Qui citò dat, b dat*, ostendens, quantùm in necessitatibus urgeamus Deum, ut nobis citò consulat: tertiò: notabit, quale sit votum, si publicum, si privatum &c. nàm *propter plurium scandalum, & exemplum tantò durior pœnitentia transgressoribus debetur* ex c. *Quod votum* de vot. & vot. red. in 6.

CAPUT XXXIV.

De Actibus Religionis, quibus assumuntur res divinæ.

1. RElegionis etiam est assumere divina eo cultu, honore, ac reverentiâ, quæ debetur. Id agnoscens S. Thomas, ut, qua-

qualis Theologum decet, integram daret notitiam actuum spectantium ad Religionem, post examinatos actus internos, & externos, quibus homo defert, vel promittit obsequium Deo, progreditur examinare actus, quibus assumuntur divina. Hi porrò sunt externi; vel enim assumuntur sacramenta, quæ sunt aliquid sensibile, vel ore assumitur nomen Dei. S. Thomas hìc non agit de actu Religionis assumente res sacras; sed remittit se ad tertiam partem, in quà disponebat diffusè tractare materiam sacramentorum, & qualitèr sint assumenda, ut Deo per illa exhibeatur debitus honor; & ita de illis cæpit agere à q. 60. sed morte præventus reliquit opus imperfectum, tamen ex eodem super libros Sententiarum fuit additum supplementum. Nobis non est necesse hìc exspatiari per omnia: nec enim agimus perfectum Theologum, sed tradimus, quæ magis videntur necessaria Confessori ordinario, ut dignè exerceat respectu multitudinis, suum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris.

2. Ulteriùs, præparans se ad confessiones figat memoriæ, quòd in hoc capite progredimur ordine, quem tenuimus in reliquis, ut, nempè, tantùm ageremus de actibus, quibus assumuntur res divinæ, seù sacramenta, & de peccato omissionis in prætermittendo hujusmodi actus; nàm de peccatis commissionis contrariè oppositis agetur deinde. Porrò ut Confessor ordinarius possit instruere multitudinem, quà religione sumenda sint sa-

cramenta, ita ut non peccetur mortalitèr, & ut possit obligare pœnitentem ad accusandũ se mortalitèr peccasse in eorum assumptione, sufficiunt dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 11. In quo opere videbit etiam, suis locis, necessaria, ut dignè suscipiatur quilibet Ordo, & præsertim à c. 36. necessaria pro ritè suscipiendo, & administrando sacerdotali Ordine. Circà dignè recipiendum Pœnitentiæ sacramentum habentur plura parte primà. Adhùc tamen proderit addere aliqua de singulis?

3. D. Quid requiritur, ut sit verus actus Religionis suscipere, vel conferre sacramentum baptismi?

M. Totiès dictum est hoc opus in id tendere, ut Confessor ordinarius pro multitudine possit exercere in confessionali suum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris. Porrò circà hoc sacramentum possunt considerari quinque classes hominũ. Primò: alii volunt suscipere: secundò: alii peccant omittendo suscipere: tertiò: alii peccant peccato commissionis in suscipiendo: quartò: alii debent administrare: quintò: alii peccant in administrando. Circà primos, & secundos nullam habet jurisdictionem Confessor quà talis; ut ex charitate primos diligentèr instruat, legat sæpiùs, & in omnibus servet Rituale, nec non Catechismum p. 2. c. 2. quòd si velit Theologicè omnia scire, adjungat S. Thomam 3. p. à q. 60. ad 70. Circà tertios, non est casus ita ordinarius, quòd adultus peccet in suscipiendo baptismum: si tamen peccaret, debet illud

lud peccatum subjicere clavibus. In quartà classe non est Confessor quà talis. At si simul sit Parochus, ad rectè administrandum utatur Rituali. Confessor igitur debet scire circà quintos; qui administrant sacramentum baptismi, dùm accedunt ad confessionale, an peccaverint, omittendo baptizare, quando tenebantur ex officio, vel ex charitate: quod facilè conjiciet Confessor ex regulis generalibus jàm superiùs traditis de charitate, & justitià; charitas enim sub mortali obligat in extremà necessitate, & aliquando in gravi: Justitia verò, quando subditus petit à Superiore, nec extat justum differendi motivum. De peccatis autem commissionis dicetur suo loco.

4. D. Quid requiritur, ut sit verus actus Religionis suscipere sacramentum Confirmationis?

M. Nulla sub mortali extat obligatio suscipiendi hoc sacramentum. Quæ autem necessaria sint, ut dignè suscipiatur, in compendium habet *Instructio pro ordinandis* c. 11. Diffusè traduntur in Catechismo p. 2. c. 3. Theologicè verò tractantur à Sancto Thomà 3. p. q. 72.

5. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis sit suscipere sacramentum Eucharistiæ?

M. Divino jure obligamur ad communicandum, & Ecclesia determinavit tempus Paschatis ad implendum hoc præceptum. Qui tùnc, vel in articulo mortis communicat in peccato mortali, committit duo peccata: alterum omissionis, quia non satisfecit præcepto communicandi per verum

actum Religionis: alterum commissionis, quia communicavit sacrilegè. Officium est Confessoris pœnitentem se accusantem, quòd in peccato mortali communicaverit, interrogare, an id contigerit in Paschate, ut sciat speciem, & numerum peccati: Ex Tridentino sess. 13. c. 7. illud præ aliis est speciale in sacramento Eucharistiæ, quòd conscius peccati mortalis, nequit communicare, nisi anteà confiteatur; & hoc, etiamsi sit Sacerdos, etiamsi sibi perfectissimè videatur contritus. Poterit cum hac contritione Sacerdos celebrare, si necessitas urgeat, & copia desit Confessoris; in quo casu quam primùm poterit, sub mortali tenebitur confiteri, ad minùs infrà duos, vel tres dies. Reliqua sacramenta non præexigunt sub mortali cõfessionem; quòd ideò noto, ne Confessor damnet peccati pœnitentem, ubi non peccat; cæterùm ante omnia sacramenta commendabitur semper confessio, cùm difficillima sit contritio perfecta. Nostris temporibus, quia communio est frequentissima, Confessor monebit pœnitentem, quòd ad percipiendum proprium Eucharistiæ fructum, non sufficit communicare sine peccato mortali. Duplex est Eucharistiæ effectus, gratia sanctificans; at hìc est communis omni sacramento, & actualis refectio spiritus juxtà dicta in *Instructione pro ordinãdis* c. 11. n. 21. Si quis communicaret purus à culpà mortali, sed sine actuali devotione, non perciperet hunc secundum fructum: Quo ne careant Pœnitentes, Confessor leget decretum Sacræ Congregationis

Con-

Concilii circà communionem quotidianam editum de anno 1679., curabitque juxtà illud procedere: sed & plurimùm proderit semper habere doctrinam Catechismi p.2.c.4.cum articulis 10. & 11. S. Thomæ 3. p.q.80., apud quem tota Theologia de hoc Venerabili Sacramento continetur 3.p.à q. 73. ad 84.

6. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis sit suscipere sacramentum Pœnitentiæ?

M. Non est, cur aliquid particulare addatur, quando totum opus eò tendit, ut suscipiatur, & administretur dignè hoc sacramentum.

7. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis sit suscipere sacramentũ Extremæ Unctionis?

M. Neque obligamur sub mortali suscipere hoc sacramentum. Pro rectà illius administratione, & susceptione videatur Rituale. Omnem circà illud doctrinam Catholicam tradit Catechismus p.2.c.6. Theologicè verò S. Thomas suppl. q. 29. ad 34.

8. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis sit suscipere sacramentum Ordinis?

M. Ad hoc jàm fuit edita *Instructio pro ordinandis*, in quà incipiendo à primà Tonsurà, deinde actum diffusè fuit de singulis ordinibus, prout spectat ad disciplinam præsentis Ecclesiæ. Confessor illam consulat, & nihil fortè ultrà desiderabit ad exercendum suum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris, vel cum ordinandis, vel cum ordinatis, juxtà monitiones ibi traditas.

9. D. Quid requiritur, ut verus actus Religio-

nis sit suscipere sacramentum Matrimonii?

M. Nullus particularis obligatur contrahere; sed si contrahit, tenetur facere sacramentum, cujus ratio, quia fundatur in contractu civili, propterea tractabitur, ubi de virtute Castitatis. Interim videatur Rituale, Catechismus p. 2. c. 8. & Theologicè S. Thomas suppl. q. 41. ad 69.

10. D. Possumusnè excusari à mortali ex parvitate materiæ in conficiendis, seù recipiendis sacramentis?

M. Aliquid requiritur ad validè conficiendum, & aliud ad licitè conficiendum, vel recipiendum. In primo parvitas materiæ non excusat: sacramentũ enim consistit in indivisibili (formalitèr loquendo) quare si aliquid minimum prętermittitur de requisitis ad valorem, totum sacramentũ est irritum. Ut licitè recipiatur, vel cõferatur, debet esse in gratià, qui confert, vel recipit sacramenta vivorum: qui autem recipit sacramenta mortuorum debet sufficiẽtèr esse dispositus: & uterque si volũtariè deficiat in minimà dispositione à Christo præscriptà, jàm exponit sacramenta nullitati, & gravitèr peccat.

11. D. Quia Religio habet assumere sacramenta, vellem scire, utrùm etiam actus Religionis sit sumere sacramentalia?

M. Utique Religionis actus est sumere sacramentalia, quæ in *Instructione pro ordinandis* c. 34. n. 17. dictum est esse quinque, scilicèt: primò: *Aqua benedicta*: secundò: *Panis benedictus*: tertiò: *benedictio Episcopalis*: quartò: *oratio facta in Ecclesià* con-

consecrata: quintò: *Unctiones adhibitæ ex instituto Ecclesiæ in quibusdam sacramentis*. Hæ non sunt sacramenta, quia nec instituta à Christo, nèc sanctificantia ex opere operato; sed instituta ab Ecclesiâ tollunt maculam culpæ venialis, ubi sumantur ex reverentiâ in matrem Ecclesiam, cum aliquâ displicentiâ hujusmodi peccatorum. Nemo sub mortali obligatur illa suscipere; quare super hos actus nõ est necessaria Cõfessori specialis instructio.

12. D. Adsuntnè propositiones prohibitæ circà sumptionem sacramentorum?

M. Sacramenta in genere directè tangunt prima, & vigesima nona Innocentii XI. Sacramentum Pœnitentiæ simùl & Eucharistiæ 56. ejusdem. Præceptum annuæ confessionis 13. Alexandri VII.: Præceptum annuæ communionis 55. Innocentii XI. Communionis præparationem, & gratiarum actionem 32. inter propositiones Molinos. Circà præceptum verò Tridentini factum Sacerdoti sacrificãti adsunt 38. & 39. Alexandri VII.

13. D. Adsuntnè censuræ vel pœnæ Ecclesiasticæ contrà omittentes sumere sacramenta?

M. Dictum est sub mortali Christianum obligari solùm ad tria. Omittenti baptismum Ecclesia nullam potest imponere pœnam, quia nondùm est subditus. Omittentibus confessionem, & communionem pœnæ insinuatæ sunt p. 1. c. 8. n. 1.

14. D. Quas pœnitentias Confessor imponet omittenti suscipere hæc sacramenta?

M. Ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 23. habes, quòd

quòd utilissimum sit consulere frequentiorem usum. Porrò in Catechismo p. 2. c. 4. n. 60. & 61. necnon c. 5. n. 54. habet Confessor motiva, quibus possit excitare pœnitentem ad frequentiorem usum utriusque sacramenti.

CAPUT XXXV.

De Actibus externis Religionis, quibus assumitur nomen divinum.

1. ENunciatis actibus, quibus Religio assumit res divinas, regredior ad S. Thom. examinantem actus externos, quibus Religio assumit nomen divinum; & sunt in triplici genere: nam primò assumit nomen divinum ad confirmandum propria verba: hìc dicitur Juramentum: secundò: assumit nomen divinum, ut inducat alios: hìc dicitur Adjuratio: tertiò: assumit ad invocandum, seù laudandum: hìc dicitur Oratio vocalis, seù laus Dei. Quia de hoc dictum est sufficienter c. 30. restat agere solùm de primo, & secundo.

2. D. Quid est Juramentum?

M. Est invocatio divini nominis ad confirmandum aliquid: Homo quia ratione non potest probare sua dicta, vel facta, ut ea probet alteri, necesse habet inducere testimonium ejus, qui neque potest decipere, neque decipi, quando non creditur

ditur simplici suæ assertioni: Juramentum, utpotè invocatio divini nominis, est actus Religionis usurpatus ab ipso Deo: dicitur enim Ps. 109. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum*: In scholis, & ubicunque probationes adducimus, ideò adducimus, quia discipulus, & auditor non percipit ex ipsis terminis propositionem; hinc prima principia non probantur, nec quod ex se apparet evidenter; quare probatio inducitur, ut audienti constet, quod sine probatione sufficienter non constat; Atque ita juramus: quòd enim audiens non sufficienter agnoscit nos dicere verum, inducimus Deum in testimonium, volentes exprimere nostrum dictum esse credendum ut verum, quia Deus testis est veritatis ipsius. Igitur necessitas jurandi provenit, ut medeamur defectui audientis, qui aliàs non crederet: quare juramentum est medicina instituta medendo incredulitatis morbo; & ita tùnc solùm est eligendum, quando instat necessitas medendi huic morbo; etiam si sit actus Religionis; etenim cujuslibet virtutis actus exercendus est juxtà suam institutionem. S. Thomas q. 89. a. 1. 2. 4. & 5.

3. D. Qui sunt comites, seù conditiones juramenti?

M. Juramentum ut omni ex parte sit licitum, debet habere tres conditiones, veritatem, justitiam, & judicium: Veritas in eo consistit, quòd res, de quà juratur, sit talis in mente, qualis affirmatur esse per verba: v. g. juro Petrum absolutè esse

in

in plateà: Debeo in mente ita absolutè tenere, ut affirmo: quòd si verè non sit in plateà, sed ego ita firmitèr credo, juramentum erit falsum materialitèr, sed verum formalitèr, & per consequens non peccaminosum: è contrà si verè sit in plateà, tùnc est verum materialitèr, & falsum formalitèr, per consequens peccaminosum. Juro me daturum Petro pecuniam, debeo interiùs habere, quòd verba significant, nempè, intentionem dandi, cum juro. Si desit hæc intentio, quamvis posteà dem, caret veritate juramentum. Justitia juramenti consistit in eo, quòd res, quæ promittitur, non sit illicita; & ita pertinet ad juramentum promissorium. Judicium consistit in eo, quòd juretur cum prudentiâ; & si quidem deficiat hæc sola conditio, juramentum ex suo genere non est mortale peccatum; sed si deficiat prima, vel secunda, erit ex suo genere peccatum mortale. S. Thomas a. 3.

4. D. Excusaturnè à mortali, ex parvitate materiæ?

M. In juramento assertorio, quamvis jurem, quòd formica currit, si talitèr non est in meâ mente, committo peccatum mortale, nec excusat parvitas materiæ, imò videtur major irreverentia, vocare Deum ex joco in testem mendacii levis. Vide 24. & 25. propositionem Innocentii XI. In aliis juramentis consideratur duplex veritas, alia de præsenti; alia de futuro; Veritas de præsenti consistit in intentione faciendi, quòd juratur; & quia in hoc æquivalet assertorio, non excusat parvitas ma-

materiæ: Secunda veritas conſiſtit in executione, ut exequamur ſuo tempore, quod promiſimus: quare ſi jurans promitto nucem, nõ habens intentionem dandi, pecco mortaliter: ſi verò habens intentionem dandi, non dem, pecco venialiter ex parvitate materiæ. In juſtitiâ parvitas materiæ excuſat v.g. juro me dicturum leve mendacium, ſi non habeo intentionem dicendi, pecco mortaliter, deficiente primâ veritate: ſi habeo intentionem dicendi, ex parvitate materiæ, pecco venialiter contrà juſtitiam juramenti.

5. D. Poteſtnè adhiberi mentalis reſtrictio in juramento, v. g. interrogor coràm pluribus, an Petrus ſit fur, & ego vidi furantem, ſed ne infametur apud illos, juro: *Neſcio Petrum eſſe furem*, & in mente retineo hoc additum *ad dicendum vobis*?

M. Innocentius XI. propoſ. 26. damnavit omnem reſtrictionem mentalem in juramento; & optimè: res enim debet eſſe in mente, qualiter per verba ſignificatur ei, quem loquimur: Verba prædicta ſimpliciter prolata ſignificant me abſolutè neſcire, quòd Petrus ſit fur: quare mentior, ſi reſtringo in mente ſignificatum illorum.

6. D. Quid dicendum ad hunc caſum: *Juro me daturum Petro denarios*: ille tamen intelligit argenteos: ego autem cartaceos?

M. S. Thomas a. 7. ad 4. ex ſacris Canonibus reſpondet cum diſtinctione: ſi ego juravi ſimpliciter, & ſine dolo, tùnc obligor juxtà meam intenten-

tentionem: si dolosè juravi, obligor juxtà intentionem Petri: v. g. simplicitèr differendo de aleis, Petrus petiit à me denarios, & ego credens sermonem esse de cartaceis, juravi me daturum denarios; estò ille prætendat vocem *denarii* accipiendam esse in proprio sensu, tamen quia ego simplicitèr processi; & ille per dolum, teneor tantùm ad denarios per metaphoram talitèr dictos. At si loquendo de veris denariis, ego juro intendens dare cartaceos, teneor juxtà intentionem Petri, quia ille procedit simplicitèr, & ego per dolum.

7. D. Licetnè jurare per creaturas?

M. Fides innititur Deo revelanti, & juramentum Deo attestanti. Porrò fides assumit credendum aliquod creatum, dummodò in eis reluceat, ut ratio formalis, divina revelatio: & ita juramentum assumit aliquod creatum, sub ratione formali, quia in illo manifestatur veritas divina. Sic juramus per Evangelium, per caput nostrum, per filios, per animam, per conscientiam nostram; per Evangelium, ut continens veritates divinas: per animam, vel per conscientiam, ut nobis dictat veritates à Deo habitas: per caput, vel per filios (in juramento execratorio) ut in illis volumus exerceri veritatem divini judicii: quando autem prohibentur juramenta per creaturas, prohibentur, nisi referantur in Deum. S. Thomas art. 6. Sed dùm dico per animam, per conscientiam, per fidem meam &c. non intelliguntur hęc communitèr, ut sunt aliquid Dei, ideò tùnc nõ est juramentum;

tum ; si non intelligatur fides Theologica, sed fides, vel conscientia hominis &c.

8. D. Quotuplex est Juramentum?

M. Species juramenti sunt quatuor: Primum est assertorium, quando juratur aliquid præteritum, vel præsens: v. g. *Per Deum Petrus currit*: Secundum est Promissorium v. g. *Juro me tibi daturum pecuniam:* Tertium comminatorium v. g. *Per Deum te occidam, nisi feceris hoc*. Quartum est Execratorium, v. g. *Deus me occidat, si hoc est falsum*. S. Thomas a. 1. in c. & ad 3.

9. D. Juramentum promissorium obligatnè ad servandum, quod juratur?

M. Ex n. 4 quodcunque juramentum debet habere primam veritatem; & ita in promissorio debet esse intentio faciendi, quod promittitur, adeò ut si jurem me occisurũ, nèc habeã animum occidendi, peccem mortaliter contrà primam veritatem juramenti (Notâ tamen, quòd si habeo intentionem occidendi, tùnc juramento non deest veritas, sed justitia, quia fuit de re illicità; & præterea est aliud peccatum odii, quia volo malum proximo, & matres persæpè comminantes juramento comminatorio mortem filiis, ulteriùs peccant contrà virtutem pietatis, & in qualibet specie tot numero peccata committunt, quot sunt filii) Præter hanc primam veritatem, in quolibet promissorio requiritur, ut ego exequar, quod promisi (hæc est secunda veritas) etenim ex regulâ generali juramentum est servandum, nisi sit vinculum

culum iniquitatis, vel nisi vergat in deteriorem exitum: Explicandæ sunt hæ particulæ: dicitur *vinculum iniquitatis*, quando est peccatum, quod juratur fieri: & tùnc peccatur, tàm promittendo, quàm exequendo; & debet esse peccatum respectu ejus, qui jurat, non respectu ejus, cui juratur. Ideò dictum est c. 29. n. 15. quòd jurans solvere usuras tenetur, quia peccatum est accipere, non solvere usuras. Item jurans grassatori, mittere centum aureos, cum erit in patriâ, tenetur, quia mittere centum non est peccatum, licèt grassator accipiens peccet. Si tamen eidem grassatori juraret, quòd rediens ipsum non revelabit, tùnc non tenetur, quia est contrà justitiam legalem S. Thomas a. 7. ad 3. Dicitur etiam vinculum iniquitatis, quando juramentum est impeditivum majoris boni, v. g. *juro me non intraturum Religionem*. Sed pecco in hoc casu tantùm jurando, non pecco observando, licèt meliùs faciam non servando. Excipe juramenta non intrandi Religionem, quæ fiunt Romæ in quibusdam Collegiis ab alumnis ordinandis in titulum Missionis: De his enim utpotè factis ad conservandos Missionarios in prædictis partibus, differendum est, ut c. 32. n. 2. de voto matrimonii &c.

10. D. Possumnè jurare sine animo jurandi, vel promittendi, vel exequendi promissa?

M. Jurare sine animo jurandi est damnatum ab Innocentio XI prop. 25. Secundam, & tertiam intentionem affert secum ratio promissi, adeò ut

ad

ad verificanda in communi acceptione verba hæc: *Per Deum crás tibi dabo centum*, requirantur indiviſibilitèr prædictæ tres intentiones: quare jurans abſque aliquà illarum, mentitur: habet enim in mente aliud, quàm hìc, & nùnc verba ſignificent.

11. D. Multi Canones videntur aſſerere, quòd aliquando non ſit obligatio ſervandi juramentum: v. g. Petrus juravit ſe nupturum Mariæ: ſi hæc deindè adulteretur, Petrus non obligatur ſervare juramentum?

M. S. Thomas a. 7. ad 2. affert rationem, quia de novo emergit aliquid impræmeditatum: C. 32. n. 2. dictum eſt, quòd promiſſio, & votum ſupponit deliberationem voluntatis, quæ non fertur in incognitum, ſeù in impræmeditatum: In tali caſu Petrus non prævidit adulterium, & per conſequens non ſe obligavit ad nubendum cùm adulterà. Conſiderà Canones in particulari; & videbis tùnc ſolùm deobligare jurantem, quando ſupervenit aliquid impræmeditatũ; quòd ſi à principio, potuiſſet ſciri, vel nullatenùs fuiſſet juratum, vel non cum illis tantùm conditionibus. Aliàs juramentum obligat.

12. D. Obligamurnè aliquando jurare, adeò ut peccemus omittendo juramentum?

M. Ex naturâ rei non obligamur jurare, quia ex n. 2. juramentum eſt medicina, ſeù medium; quare per ſe non obligat, juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 6. obligat ſolùm, quando ſine juramento non poſſet ſervari charitas; quare tenemur jurare, ubi obli-

gant leges, vel præceptum Superioris, vel ubi agitur de salvando Reo, juxtà dicta c.25.n.6.

13. D. Potestnè quis relaxare juramenta ?

M. Juramentum promissorium, de quo solùm potest quæri, si aliàs est de re non illicità, obligat; sed tamen si est in favorem tertii, potest relaxari ab eo, in cujus favorem fuit juratum. Si solùm juravi opus pium, quod sit in honorem Dei, tùnc licèt fiat in manus tertii, quia verè non est in favorem tertii, non poterit ille dispensare, sed tùnc dispensatur, uti dictum est de voto c.32. n. 8. cum hàc solùm differentià, quòd irritatio voti spectat ad solam potestatem Patris, & Domini; Irritatio juramenti spectat etiam ad Principes, ut juramentum tangit gubernium Reipublicæ; secundò Episcopi possunt secundum jura dispensare aliqua vota, sed non juramenta, nisi in dubio, quòd servare juramentum hìc, & nùnc sit proficuum, vel nocivum. Jurisdictio ampliſſima super juramentis est solius Romani Pontificis. Ut autem in praxi super his te dirigas, lege dicta de voto c.32. num. 8.

14. D. Explicà secundum actum Religionis, quo assumitur nomen divinum ?

M. Secundus iste actus dicitur *Adjuratio*: Potest homo seipsum efficacitèr ordinare ad aliquid agendum; & si quidem ita se ordinet invocando nomen divinum, est juramentum promissorium: Alios potest quidem ordinare, sed non efficacitèr, nisi sint subditi, & subditos quidem ordinat efficacitèr

cacitèr, compellendo per imperium: At non subditos ordinat deprecando, ita tamen, quòd non sint obligati facere id, ad quod ordinamus illos. Igitur cùm assumimus nomen divinum, ut efficaciùs aliquid imperemus subditis, vel deprecemur à non subditis, est *Adjuratio*. Hæc est differentia intèr Juramentum, & Adjurationem: In reliquis conveniunt, ut neuter actus imprudentèr frequentetur, ut non sint de re illicità, ut adsit intentio, ut uterque sit medicina, ut, quoad intentionem, non excuset materiæ parvitas &c.

15. D. Ex dictis apparet duplicem esse modum, seù speciem adjurandi, vellem scire, an utroque possim uti in quemlibet?

M. Unusquisque adjurandus est juxtà modum sibi convenientem: quare pecco, si adjuro non subditum, compellendo: E contrà pecco, si adjuro dœmones deprecando; & etiam pecco compellens eosdem, si compello, ut obtineam, vel addiscam aliquid: hoc enim est habere societatem cum illis: Igitur solùm adjurari possunt per exorcismos &c. ut à nobis repellantur. Irrationalia non possunt à nobis adjurari, spectata secundum se, quia moventur, non se movent ad finem. Si considerentur ut mota à Deo, sic adjurantur, deprecando Deum, à Sanctis, qui faciunt miracula: si ut mota à dœmone, adjurentur ut dæmones. S. Thomas q. 90.

16. D. Adsuntnè propositiones prohibitæ circà hos duos actus Religionis, quibus assumitur nomen divinum?

M. Circà juramentum extant 24. 25. & 26. Innocentii XI. Circà Pœnitentias imponendas pœnitentibus, vel circà pœnas Ecclesiasticas, dicemus, cùm de peccatis contrariè oppositis agetur.

CAPUT XXXVI.

De Peccatis per excessum contrariè oppositis Religioni.

1. REcensitis actibus specie diversis, qui spectant ad Religionem, facilè est discernere peccata eidem opposita. Religio est virtus moralis; propterea consistit in medio, habetque peccata contrariè opposita, & per excessum, & per defectum. S. Thom. à q. 91. ad 97. examinat opposita per excessum, cujus vestigia gradiens noto non excedi in vero cultu Dei, sed in eo, quòd cultus verus Dei tribuatur creaturæ aut tribuatur Deo cultus, modo, quo non debet, scilicèt, cultus ab Ecclesia prohibitus: ut si Sacerdos vellet genuflectere in missà centiès contrà Rubricam &c.

2. D. Genus hoc peccati per excessum oppositi contrariè Religioni, quomodo vocatur?

M. Nomine generico vocatur superstitio. Hæc, ut dictum est, dividitur in duas species subalternas: prima dat cultum vero Deo, sed modo indebito, seù prohibito ab Ecclesiâ, per legem,

vel

vel consuetudinem. Hujus species infimas non enumerat. S. Thomas, quia possunt esse infinitæ, sed solùm q. 93. a. 2. ponit hanc regulam generalem ex Augustino, quòd censeatur superstitiosus omnis cultus exhibitus Deo exteriùs, qui non pertinet ad Dei gloriam, vel quo mens hominis non fertur in Deum, vel quo non frænantur moderatè passiones, vel quem Ecclesia prohibuit lege, aut consuetudine. Hinc videt Confessor justissimè dictum, quòd species infimæ hujus superstitionis esse possunt infinitæ: Non tamen hìnc terreatur Confessor: etenim facilè tùm in praxi, tùm in Examine Romano, poterit se expedire, si accusantem genus hoc superstitionis, interroget, in quo consistat hæc superstitio, ita ut pœnitens explicet modum, actum, & cultum in particulari. Et multi Confessores habent pro regulà generali satiùs esse, ut pœnitens abundet, quàm deficiat in dicendo peccatum, nèc agi per hoc contrà Rituale prohibens p. 1. c. 7. n. 20. detinere quenquam *curiosis*, *aut inutilibus quæstionibus*: etenim nèc curiosè, nèc inutilitèr quæro, quod confert ad medendam pœnitentis conscientiam, exceptà tamen materià luxuriæ, in quà (ex Catechismo p. 3. c. 7. n. 1.) explicandà Parocho, & Confessori desideranda potiùs est sermonis moderatio, quàm orationis copia. Vide dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 10. n. 35. Secunda species subalterna superstitionis dat creaturis cultum, qui debetur Deo. Ad primam speciem superstitionis pertinent ex-

terni actus Infidelitatis, quæ dicitur Hæbraismus, & de quà c. 4. n. 2. Ad secundam externi actus Paganismi; de quo ibidem. Hæc secunda Superstitio dicitur Idololatria, cujus S. Thom. q. 94. a. 1. plures assignat species. Cum hoc peccatum ordinariè non contingat inter Christianos, ideò Confessori ordinario non est omninò necessarium scire illas, sed sufficiet legere apud Angelicum. Si quis crederet divinitatem in creaturis, vel creaturam dignam honore divino, jam esset peccatum infidelitatis oppositum fidei; At peccaret contrà Religionem, qui non credens id, exerceret tamen aliquem ex actibus Religionis suprà enumeratis in cultū alicujus creaturæ, & exerceret idololatriam; in quà tot erunt peccata specie diversa, & explicanda in confessione, quot Latriæ actus specie diversos enumeravimus in præcedentibus, ut si habeat voluntatem promptam ergà creaturam, ut ergà Deum, si creaturam invocet oratione, sicut invocatur Deus, si creaturæ sacrificet, offerat, promittat per votum, si assumat ejus bona, ut aliquid divinum, si juret in nomine illius principalitèr &c. S. Thomas q. 94.

3. D. Quomodo se habet divinatio ad Idololatriã?

M. Sicut oratio est actus Religionis, ita divinatio est actus Idololatriæ. Porrò notandum ex S. Thomà q. 83. art. 14. quòd potest esse oratio, etiamsi non invocemus Deum formalitèr, sed tantùm virtualitèr. Hoc non est insinuatum c. 30. quia nihil præjudicabat Confessori ordinario ignorare

rare tùnc hujusmodi distinctionem; At multum præjudicaret illam hìc non applicare invocationi, seù consultationi dœmonum: Invocantur formalitèr, quando expresè petuntur in auxilium, seù consuluntur: Invocantur verò virtualitèr, quando sine invocatione formali, tamen ad aliquid habendum, seù sciendum, utimur facto, vel dicto inefficaci tàm ex naturâ suâ, quàm ex institutione divinà ad illud habendum, vel sciendum: v. g. quis utitur ampullis aquà plenis ad refrigerandum; hoc non est divinatio, seù invocatio dæmonum: aqua enim habet ex naturâ suâ refrigerare. Utitur eisdem ad sanctificandum infantem per baptismum, vel Acolythus utitur illis in missà, ut è cælo descendat sanguis Christi in vino aquà mixto: nèc id est divinatio, quia vinum est institutum ad hoc à Christo, cui vino Ecclesia præcipit misceri aquam. At si utar ampullis aquà plenis ad cognoscendum furem, est invocatio dæmonis, non semper expressa, sed ut plurimùm tacita; Cum hanc virtutem ostendendi furem non habeat ex sui naturâ, neque ex institutione divinà (quod sciremus per Ecclesiam, cui Deus revelavit sacramenta, quæ specialitèr instituit) necesse est inesse ampullis hanc virtutem ex pacto dæmonum: Nec refert, si utens profiteatur se nihil velle cum dœmone: nàm est protestatio contrà factum: est, sicut qui protestatur nolle se occidere Petrum, & interim propinat illi venenum mortiferum, vel gladio transverberat in corde. Ita est protestatio

contrà factum, si ego sciens, vel potens scire, quòd naturalis virtus aquæ, neque divina, extenditur ad ostendendum furem, volo uti, & verbis protestor me non convenire cum dæmone.

4. D. Regula stabilita, quòd intelligatur pactum tacitum cum dæmone, quando dignoscitur res adhibita non habere vim ad effectum desideratum, neque ex naturâ suâ, neque ex institutione divinâ, hæc, inquam, regula est optima, sed generalis: tu autem protestatus es multotiès instruere in praxi Confessorem ordinarium, cui certè non sufficiunt hæ regulæ generales: quare ne etiam hæc tua multiplicata protestatio contrà factum sit, debes illam magis explicare in particulari; aliàs doctrina erit frustranea, quia non juxtà finem à te intentum?

M. Verissimum est, quod dicis: At etiam verissimum est, ne quis præcipitet, oportere, quòd à supremo descendat ad infimum, transeundo per medium: quare ut à regulâ generalissimà descendatur ad praxim, anteà necessarium est attingere adhuc aliqua minus universalia, ut posteà sine præcipitio descendamus ad praxim. Igitur ut excludatur pactum tacitum cum dæmone, diximus esse necessarium unum ex duobus, aut quòd ex naturalibus illa res habeat vim ad talem effectum, aut quod habeat vim ex institutione divinà, vel Ecclesiæ: & quidem ex Ecclesiæ institutione vim habent sacramentalia, sed juxtà Ecclesiæ praxim: ex divinà institutione sacramenta habent efficaciam

ciam determinatam, ac certam ad gratiam sanctificantem, & singula ad effectus sibi proprios, qui traditi sunt in *Instructione pro ordinandis* c. 11. nèc hìc repetuntur, quia suppono præparantem se ad confessiones plenissimè instructum super ibi dicta; & sanè contrà illud Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris* ageret, qui præpararet se audiendis confessionibus, nondum super illis ad necessitatem instructus. Equidem omnes orationes sunt utilissimæ, uti, & omnia Religionis opera, v.g. accendere candelas in altari &c. sed duo maximè cavenda sunt: primò: nè quis existimet omninò efficaces esse ad hunc determinatum effectum: ut qui utuntur Ps. 119. ad mansuefaciendos canes, vel qui recitantes 90. credunt se omninò liberandos ab hostibus: Ex c. 30. n. 16. Christus quidem promisit nos infallibiliter exaudiendos, si petamus necessaria ad salutem: Utrum autem hic effectus, quem petimus, sit nobis ita necessarius, ignotum est. Sanè Ecclesia tota à Spiritu Sancto directa instituit exorcismos ad compescendos dæmones: tamen cum hoc nunquam credidit, nèc vult à nobis credi, quòd illis adhibitis compescentur dæmones, sed scit ex occulto Dei judicio, cùm totis exorcismis adhùc posse vexari miserum: Ubi ergo determinatus hic effectus per se sequitur ex tali oratione, ad quem effectum Ecclesia illam non determinavit, sed imò Ecclesia prohibet per suos Ministros, Inquisitores, & Episcopos, effectus ille procedit ex pacto saltem tacito dœmonis. Adver-

ten-

tendum insuper est, quòd Christus promittens exaudire preces etiam peccatoris, pro necessariis ad salutem, non determinavit numerum precum, sed sibi reservavit, ut alium exaudiret citiùs, alium tardiùs. Hinc secundò valdè sunt redarguenda, ut superstitiosa, ubi tot numero orationes exiguntur, tot numero candelæ ad Missam, ita ut offerantur ex credulitate, quòd per illas nec plures, nèc pauciores obtinebimus rem petitam, quæ præsertim est aliquid temporale, vel si etiam confidamus in orationibus, ut sunt scriptę, & appensæ ad collum &c. Non est malum appendere ad collum, sed malum est appendere ad collum cum tali credulitate; quæ quidèm potest esse vana, & tantùmmodò veniale peccatum. Et in tali casu Confessor debet acritèr objurgare mulierculas hujusmodi frequentes in talibus. At si objurgatæ non desistant, jàm videntur velle pactum tacitum dæmonis.

5. D. Disseruisti de efficacià, quam possunt res habere ab institutione divinà, dissere jam de rebus, ut habent efficaciam ex naturalibus?

M. Dicitur ex naturalibus efficacia, quę inest rei ad aliquem effectum, non modò ex principiis intrinsecis naturæ propriæ, sed etiam ex motione naturę universalis, aut corporum cœlestium: natura enim particularis aliquando tendit ad unũ effectum, & natura universalis tendit ad contrarium. Id apparet in aquà: ejus natura particularis tendit deorsum; sed tamen ex instinctu naturæ uni-

universalis habet tendere sursum ad impediendum vacuum; Magnes etiam ex vi cœlestium corporum habet verti ad polum: Aliquæ aves garritu portendunt pluviam, vel serenitatem ex influxu cœlorum. Notat tamen S. Thomas, quòd cœli imprimunt in hæc animalia, quod facit ad conservationem illorum, ut est pluvia, serenitas &c. In reliquis non imprimunt: quare illa, poterunt argui ex dictis animalibus; at non quæ faciunt ad vitam hominis, vel ejus actiones omninò liberas; quare si quid circà illas significant, erit ex pacto dæmonis. Etiam ex constellationibus aliquæ herbæ accipiũt majorem vim; & hinc fortè non erit superstitiosum illas colligere in nocte S. Joannis, dommodò desit omnis alia superstitio, & virtus tribuatur non Sancto, sed stellis, quę tunc ita influant, quod docti examinẽt: Non ita dicendum de ovo Ascensionis: etenim hęc est festum Mobile, non semper cadens sub iisdem stellis, & consequentèr stellis tribui nequit illarum vis. Illud autem notà, quod natura tendit ad unum, & natura particularis, & natura universalis cœlestium: quare si ex hàc terrà per hãc radicem ex hàc constellatione, non semper nascitur herba ejusdem virtutis, illa virtus non est tribuenda naturæ, sed voluntati; & cum nullo fundamento tribui possit voluntati divinę, tribuenda erit voluntati dæmonis. Etiam voluntati tribuenda est vis omnis imaginum artificiatarum, ut quòd tali monetà, signetur erysipellis, & non alià: Vis etiam verborum, præsertìm nominum Hębraicorum

&c.

&c. Nec figuræ artificiales, nec verba ex naturâ suâ habent hanc vim, sed neque ex impressione corporum cœlestium. Quæ omnia videbis deducta ex Angelico hìc, si attentè legeris, at brevitatis gratiâ non sunt signati particulares loci. Confessor igitur ordinarius habens hanc doctrinam ante oculos saltem in confuso, ubi casus, in confessionali contigant, in nonnullis non ita gravibus, & circà quę multùm potest errare simplicitas, pręcipuè muliercularum, primò quidem acritèr objurgabit pœnitentem, cogetq; desistere ab hujusmodi operibus. Ubi clarè apparet superstitio, meminerit Edicti Sanctæ Inquisitionis: Ubi vis est in verbis, & figuris artificiatis, damnabit statim omne opus, etiamsi verba sint plena pietatis: Ubi agitur de herbis, & lapidibus, cautior erit in damnando, sed consulet doctiores, prohibendo interìm pœnitenti, ne quid exerceat ante consilium. Ubi porrò fundatus timor est superstitionis, recurret ad legitimos Judices, nempè, Inquisitores Sancti Officii.

6. D. Jam dic particularitèr species divinationis, ut Confessor sciat, quid sibi debeat explicare pœnitens, qui in illam inciderit?

M. Species divinationis cum expressà invocatione dæmonum, sunt sequentes: prima *præstigium*, quando apparet aliquis oculis alterius, ut quam hic in Urbe vocant communitèr *Amphoram*. secunda *Nicromantia*, quando apparent mortui: Tertia, quando petitur à dæmone, ut in somnis appareat, hæc vocatur *divinatio somniorum*: quarta quando

do volumus audire dęmones per homines arreptitios; hæc vocatur *divinatio per Pythones*: Quinta, quando curamus à dæmonibus cognoscere aliquid per figuras alicujus corporis grossi, ut terra, lapis, lignum &c. hæc vocatur *Geomantia*; Sexta, quando hęc volumus scire per aquam, hæc vocatur *Hydromantia*. Septima per aerem; hæc vocatur *Aeromantia*. Octava per ignem *Pyromantia*. Nona per viscera animalium sacrificatorum vocatur *Aruspicium*. Et fortè non deerunt aliæ: has enumerat S. Thomas q. 95. a. 3. Hæc peccata nullatenùs tribui possunt vanitati,& simplicitati; quare in Diœcesi, ubi reservantur Episcopo, statim Confessor ordinarius dimittet pœnitentem ad suum Superiorem. In Urbe non sunt reservata, nisi cum actu externo conjungatur error mentis contrà fidem; nihilominus, juxtà dicta c. 5. n. 5. ostendet Confessor, quàm rigorosè puniãtur apud Sanctum Tribunal, etiam in eo, qui de illis fuerit sacramentalitèr absolutus, ubi denuntietur; quare curabit ante absolutionem inducere, ut quantocyus compareat spontaneus. & in praxi videat, num verè pœnitens dici possit, qui per hujusmodi peccata redditus suspectus de fide, reniteretur comparere spontaneus, & compensare tanta scelera humiliatione tàm salubri animæ, & corpori.

7. D. Quot sunt species divinationionis cum pacto tacito.

M. Hæc divinatio adhùc distingui debet genericè: nàm aliud genus est, quo considéramus motum

tum aliarum rerum ; aliud genus est, quando nos ipsi aliquid facimus. S. Thomas q. 95. a. 3.

8. D. Quid est prima species divinationis, quando consideramus motum aliarum rerum?

M. Prima hęc species dicitur divinatio per astra: Confessor autem debet distinguere, quando sit divinatio, quæ est peccatum ; & quando sit Astrologia, quæ est virtus intellectualis. Igitur ex astris licitè cognoscimus effectus necessarios in ipso cęlo v.g. Eclypses. Item possumus pręcognoscere pluvias in aere, tempestates in mari, siccitatem in terrà, & reliquos effectus, qui vel pendent à solo cœlo, vel à cęlo, & aliis cõcausis particularibus necessariis, v.g. quòad ubertatem terrę poterit quidem prækognosci dominari hoc anno talem constellationem, quę plurimùm confert ubertati: cæterùm quia seminare pendet à voluntate hominis, non potest absolutè dici, quòd talis terra fructificabit, sed solùm in universali, quòd terra fructificabit; & hoc non necessariò, sed quatenùs, ut plurimùm, homines habent colere terram. Hoc idem in universali, & eodem modo potest prękognosci de bellis &c. quatenùs constellationes hujus anni habent inclinare ad bellum, vel ita moderari complexionem nasciturí, ut inclinet ad aliquid particulare &c. Est etiã expressus textus S. Thomæ lib. 2. de gen. & corrupt. lect. 10. quòd sciens punctum, nativitatis alicujus, potest scire punctum mortis, quantùm importat circulatio cœlorum, quatenùs homo tùnc natus ex vi syderum, habet complexionem robustam,

stam, ut possit pertingere ad sexagintà, vel octogintà annos, ita tamen ut possit anteà mori ex casu fortuitò, qui non subjacet stellis, v. g. occidi ex tegulà fortuito cadente super caput transeuntis, vel ex propriâ voluntate, si se interimat: vel etiam ex nutrimẽto, quod assumit: nàm potest cibis alterare suam complexionem ita, quòd vix possit pertingere ad trigintà, vel è contrà roborare ita, quod pertingat ad centum. Accipe verba, ne videar aliquid appingere S. Doctori: *Qui sciret virtutes signorum, & stellarum in eis positarum, dum nascitur res aliqua, cognosceret, quantum est de influentiâ cœlesti, & posset pronosticari de totâ vitâ reigeneratæ, licet hoc necessitatem non poneret, quia potest impediri per accidens.* Et ita S. Thomas 1. p. q. 115. a. 4. ad 3. intelligit illud Ptolomæi, *Sapiens dominabitur astris*: etenim sciens anno proximo dominaturas stellas, quæ causabunt maximum calorem, adeò ut sua complexio calidior non sit restitura, prævenit, accipiens medicinalia refrigerativa, quibus temperat calorem propriæ complexionis, adeò, ut conjunctus calori ex cœlis causato, non habeat destrui proprium individuũ. Ratio universalior data est p. 1. c. 33. n. 5. etenim cœli sunt causæ universales, non producentes effectum ex se solis, sed simùl cum causis particularibus, attemperãtes suum influxum ad exigentiam causæ particularis, & propterea sub eodem cœli motu columba generat columbam, & Leo Leonem, juxtà dispositionem causæ particularis, cui conjungitur influ-

xus

xus cœlorum; & hinc apparet nulla ferè sublunaria posse infallibiliter cognosci ex astris: etenim ferè omnia applicantur per liberam hominis voluntatem; & sic solùm possumus præcognoscere ex astris, quòd si applicentur tales causæ, v.g. si seminetur terra, erit ubertas: at certò nequit præcognosci ubertas, quia certò nequit præcognosci, quòd homo seminabit. Propterea neque certò possunt præcognosci passiones hominum, estò in illas, utpotè sensitivas influant cœli. Conjecturari tamen aliqualitèr possunt in multitudine assuetà sequi, non regulare passiones; & quia multitudo permittit voluntatem trahi à concupiscentiis, ideò etiam in universali, sed multò longiùs, possunt conjecturari actus intellectus, & voluntatis, cum hoc tamen, quòd semper excipiatur libertas, & multò magis gratia Dei. Quòd si aliquando videãtur Astrologi prædixisse fortuitos eventus, ut quòd quis occidetur, vel actus intellectus, & voluntatis, ut quòd ille fiet Religiosus, vel contrahet matrimonium, notat ex S. Augustino S. Thomas id fieri instinctu dæmonis, ut homo inducatur ad credendam hanc vim in stellis; & sanè facillimum est dæmoni se immiscere in his: etenim ex illuminatione Angeli boni, cognoscit certò multa futura, etiam supernaturalia, & conjecturaliter ex suà capacitate considerante dispositionem hominis, quę suo tempore instillat Mathematicis. Confessor diligentèr observet hęc omnia, interrogans in praxi pœnitentem, ut videre possit, num excesserit.

Inve-

Inveniens illum excessisse ex vanitate, ac simplicitate, objurget: Ubi autem fuerit verè peccatum superstitionis, meminerit edictum Sancti Officii.

9. D. Quæ est secunda species divinationis in considerando motum rerum?

M. Est divinatio somniorum: Circà quæ primò possumus conjecturare præterita: sepè enim somniamus, quæ anteà cogitavimus: secundò: Medici ex somniis conjiciunt morbos futuros: hoc procedit, quia in somno humores, qui abundant, sunt causa ut repræsentetur species sibi similis imaginationi; & inde conjiciunt, si sint mali humores in corpore. Tertiò: natura in somno magis quieta, est etiam magis apta recipere influxum naturæ universalis (ad directionem naturæ particularis tantùm in suis operibus, ut n. 5. dictum est de animalibus) maximè, si passiones sint moderatę, propterea dicit Aristoteles castos esse magis aptos ad prę cognoscenda futura in somniis. Videatur Cajetanus, qui fatetur somniasse multa, quæ sibi deinde acciderunt: addens tamen se nunquam credidisse; & optimè: nec enim scire possumus, an futurorum species excitentur in nobis à naturâ, vel ab Angelo, an à dæmone, an fuerint fortuitæ species quibus habitis dæmon curet illa futura poni, ut ita nos decipiat &c. Certum est, quòd dęmon ingerit se, quantum potest. Optimùm igitur erit neque credere, neque discredere somniis, quę portendunt nobis aliquid futurum (non aliis, nisi per ordinem ad nos) sed præcavere prudenter. Præcavet pru-

dentèr, qui somnians in exeundo domum die sequenti fregisse crus, nec habens necessitatem exeundi, abstinet. Imprudentèr præcaveret, si omitteret audire sacrum ab Ecclesiâ præceptum, nolens exire in vim somnii, & non modò peccaret omittendo sacrum, sed etiam sibi persuadendo, quòd caderet exiens. Pessimè verò faciunt mulierculæ Januenses, quæ sub cervicali operosè apponunt nomina Nobilium, ut ex somniis præcognoscant, qui forte sint extrahendi. Confessor objurget vanitatem, & credulitatem, eò magis, quò magis eludunt se ipsas de auxilio animarum purgantium. S. Thomas q. 95. a. 6.

10. D. Quæ est tertia species divinationis in considerando motus rerum?

M. Vocatur omen, sive augurium, quo observantur motus rerum, v.g. garritus avium, vel aliud factum hominis, ad inde prænunciandum aliquid nobis: Facta hominum, ut potè à liberâ voluntate operantis pendentia malè accipiuntur in omen faustum, vel infaustum alterius facti omninò disparati. De motibus animalium n. 5. dictum est posse prænunciare tantùm ex instinctu superiori, quæ possunt prodesse, vel obesse ipsis animalibus, v.g. pluviam, &c. S. Thomas a. 7.

11. D. Estnè alia species divinationis.

M. Est quarta species, per quam nos aliquid facimus, ut præcognoscamus futura, diciturque divinatio sortium. Et est triplex: prima vocatur sors divisoria, quâ utimur ad aliqua dividenda, ut honores,

Digitized by Google

nores, bona &c. Secunda vocatur sors consultoria. Utimur illâ, ut videamus, quid nobis sit agendum, v.g., ex urnâ elicimus, utrum anno sequenti debeamus seminare, vel non: Hùc spectabat judiciũ ferri candentis, quod consulebant, ut judicarent, quis esset reus, & duellum, quo vincens judicabatur habere pro se justitiam: Tertia dicitur divinatoria, per quam volumus præcognoscere, quid sit futurum. Ex hùc usque dictis patet, quid sentiendum sit de secundâ, & tertiâ: Ut liceat prima, debet habere quatuor conditiones: primò ut fiat cum necessitate: secundò: ut fiat cùm reverentiâ Dei: tertiò: ut in urnam non mittatur aliquid sacrum ab iis, qui in unâ apponunt proprium nomen extrahendum, & aliud signum in aliâ: quartò: ut non utamur sorte in Ecclesiasticis. Et has conditiones habet sors publica Januensium: est cũ necessitate; ex pluribus enim eligũtur digniores; at quia hi adhùc sunt multi, nec ita facilè est dijudicare quis sit dignior, per sortẽ extrahuntur ad gubernium, etiã de Sedis Apost. cõsensu, sine ullo signo sacro in urnâ, sed tamen cum reverẽtiâ Dei, scilicet, adhibitis super urnam Ecclesiæ benedictionibus. S. Th. a. 8.

12. Postquam S. Thomas egit de hisce superstitionibus, procedit ad examinandum tertium genus: Religio enim habet colere Deum, ut ei reverentiam exhibeat: secundò: ut instruatur à Deo, veluti speculativè: tertiò: ut instruatur à Deo, veluti practicè in his, quæ debet agere. Superstitio è contrà primò per Idololatriam exhibet reveren-

Digitized by Google

tiam creaturæ: secundò, per divinationes quærit instrui veluti speculativè: tertiò: veluti practicè per vanam observantiam, quando, v.g. observat, nùm sternutet, dum surgit è lecto, & si sternutat, iterùm redit in lectum, timens eo diè aliquod infortunium. S. Thomas q. 96. enumerat quatuor species prima est ars Magica: secunda: est scientia, per quam verbis, aut figuris artificiatis curamus sanare infirmos: tertia est, per quam observamus quædam vana, ut dirigamus nos, qualitèr dictum est de sternutatione: quarta: quando, v.g. ut nos defendamus ab hostibus, appendimus ad collum verba sacra, v.g. Evangelium. Quid judicare debeat Confessor de pœnitente, qui utitur illis, potest in confuso colligere ex huc usque dictis. Ubi plura desideret; legat Angelicum attentè cum Doctoribus, qui de his diffusè scripserunt.

13. D. Omnia peccata contrariè per excessum Religioni opposita, & enumerata huc usque, sunt nè mortalia ex genere suo?

M. Sunt utique: cum his enim nequit servari charitas volens principalitèr bonum Dei: nec amo aliquem, si quod sibi soli debetur, do alteri. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

14. D. Ratione parvitatis materiæ possunt nè excusari à mortali?

M. Quædam ex illis, ut notatum est, excusari possunt, si fiant ex simplicitate; nullatenùs tamen excusantur ex parvitate materiæ: nam gravissimè offendo illum, qui habens aliquid sibi soli proprium;

prium;& ego datà operà facio actionem, quæ protestatur illud,estò minimum,etiam esse in alio. Vide dicta p.1. c.36. n.5.

15. Cum circà hæc peccata nullæ adsint proprositiones prohibitæ à modernis Pontificibus, adsunt nè censuræ, vel ulla reservatio hujusmodi peccatorum?

M. Neque adsunt censuræ, neque reservatio universalis, licèt in quâlibet Diœcesi particulari soleant Episcopi reservare sibi vel omnem,vel plures superstitionis species: Propterea Confessor attentè leget Tabulam Reservatorum suæ Diœcesis, ut videat, quid circà illa possit, vel non possit: In Urbe nulla superstitio est reservata, si desit error intellectus; At estò illam in foro sacramentali,quilibet possit absolvere, gravissimè tamen punitur in foro judiciali ab Inquisitoribus; Imò quilibet conscius talis delicti sub mortali obligatur deferre reos ad Sanctum Tribunal. Vide dicta c. 6. a n 4.

16. D. Quas pœnitentias imponet Confessarius pro hisce peccatis?

M. Ut proportionatam pro qualitate peccati pœnitentiam Confessor imponat,diligentèr inquiret, nùm fuerit peccatum ex iis, in quibus multi decipiuntur ex simplicitate, vel quæ committuntur ex vanitate,an dæmon fuerit invocatus tacitè, vel etiam expresè: nam in hoc secundo casu est summa malitia, & per consequens exigenda sunt à pœnitente diuturna, & summa doloris indicia.

Ubi autem ex his omnibus Confessor agnoverit delictum spectare ad Sanctum Tribunal, totus erit, ut inducat pœnitentem ad spontaneè comparendum, utens ratione tradità c. 5. n. 5. ut evadat pœnas: Et id curabit suavitèr, estò nullus adsit conscius, qui possit deferre delictum: Hæc enim humiliatio, & confessio maximè frænabit a reincidentiâ.

CAPUT XXXVII.

De peccatis externis per defectum contrariè oppositis Religioni.

1. ENumeravimus duos actus internos Religionis, nempè, Devotionem, ac Orationem, & septem externos, nempè, Adorationem, Sacrificium, Oblationes, Votum, Assumptionem rerum sacrarum. Juramentum, & Adjurationem. Devotioni, & Orationi primis actibus internis Religionis, ex S. Thomà q. 97. ar. 3. ad 2. contrariè per defectum opponitur Tentatio Dei: Circà oblationes decimarum, primitiarum, &c. est distinguendum: si loquamur de jure percipiendi decimas, tollere hoc, præter injustitiæ peccatum, est sacrilegium, quia tollitur, vel usurpatur aliquod sacrum, & spirituale. S. Thomas q. 87. a. 3. Si loquimur de impedientibus, ne solvantur decimæ, hoc est merum injustitiæ peccatum:

tum : nec enim violatur aliquid sacrum : at si tollantur decimæ jàm oblatæ, præter injustitiæ peccatum, est sacrilegium, quia jàm sunt aliquid sacrum. S. Thom. q. 99. a. 7. Sed & aliud peccatum potest esse circà res sacras; Sic ergo novem actibus Religionis contrariè per defectum opponuntur tria genera peccatorum, nempè, Tentatio Dei, Sacrilegium, & Simonia. Dixi tria genera: etenim sacrilegium est genus satis amplum, ut deinde videbimus; & de his tribus peccatis agit S. Thomas à q. 97. ad 101.

2. D. Quid est Tentatio Dei?

M. Tentare est experimentum sumere de aliquo; ita dicimur tentare equum, si experimentum sumimus de illius velocitate. Sumitur autem experimentum, vel dictis, vel factis, vel formaliter, vel interpretativè. Tentamus dictis, cum ab aliquo petimus, ut aliquid faciat merè ad videndum, an possit, vel velit facere. Tentamus factis, cum opere aliquo inducimus ad idem ex eodem motivo, & hoc est etiam tentare formaliter. Tentamus interpretativè, quando, etiam si non habeamus hunc finem, tamen agimus, vel dicimus aliquid ad nihil aliud utile. Id apparet manifestè in dato equi exemplo: quem scimus currere velociter ob aliquam necessitatem, vel utilitatem, non dicimus tentare, aut probare equum: si verò currat sine utilitate, vel necessitate, omnes concludimus, quòd probat equum, an sciat, vel possit currere velociter. Sic ergo faceret opus tentati-

vum Dei, qui vellet sanari miraculosè, non adhibitis remediis naturalibus: etenim neque necessarium, neque utile est ad Deum recurrere causam universalem, ut ex se ipso faciat miraculosè, quod fieri potest naturalitèr. Et est tùnc defectus orationis: etenim ex dictis c. 30. n. 16. potissima conditio ad bonam orationem est, ut sit necessarium ad salutem, quod petitur, & si deficit oratio, deficit etiam devotio, ex quà procedit oratio. In hoc autem apparet defectus religiositatis, & irreverentia: nàm estò credam Deum justissimum, nihilominùs illa actio in tali circumstantià, utpotè Dei tentativa, est minùs religiosa. Sancti miracula petentes id fecerunt ex instinctu speciali Dei, & ob utilitatem Ecclesiæ. S. Thomas q. 97. a. 1. & 2.

3. D. Tentatio Dei estnè ex suo genere peccatum mortale?

M. Est utique: nàm nequit servari charitas cum irreverentià in Deum, cui debemus maximam reverentiam. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

4. D. Ratione parvitatis materiæ potestnè excusari à mortali?

M. Tentatio formalis nequit admittere parvitatem materiæ: imò major est irreverentia tentare Deum, si possit formicam occidere, quàm si possit solem sistere: Tentationis interpretativæ deformitas consistit in actione dante fundamentum ad ita interpretandum: quare si det fundamentum sufficiens, etiam in parvà materià, erit peccatum mortale; si magìs, vel minùs; erit peccatum,

catum, etiam in parvâ quantitate materiæ, graviùs, vel leviùs, secundum quod tribuit fundamentum.

5. D. Ex dictis n. 3. tentatio Dei opponitur duobus actibus Religionis specie diversis, nempè, Devotioni, & Orationi; quare erunt duæ tentationes specie diversæ; & ita, quò Confessor sciat speciem peccati, tenebitur interrogare pœnitentem in confessionali, an tentatio processerit ex defectu vel Devotionis, vel Orationis?

M. Est principium generale S. Thomæ, quòd species peccati non desumitur ex recessu à termino, sed ab accessu ad terminum: si desumeretur à recessu, omnia mortalia essent ejusdem speciei: nàm omnia recedunt à Deo. Igitur tentatio sive deficiat, ac recedat ab oratione, sive à Devotione, per hoc non diversificatur specie, sed per hoc quòd accedit, seù habet irreverentiam in Deum; & ita erit explicanda in confessione actio irreverentialis, ut dat actui speciem moralem: si v. g. tentavi Deum circà potestatem, vel circà voluntatem &c. si circà dona gratuita, vel naturalia, si circà spiritualia, vel temporalia &c. Porrò Confessor ordinarius, quando contingat casus, potest satisfacere triplici suo muneri, estò ignoret, quæ tentationes præcisè differant specie, inducendo pœnitentem, ut in individuo explicet actionem tentativam.

6. D. Quid est sacrilegium, secundum peccatum contrariè oppositum per defectũ Religioni?

M. Sa-

M. Sacrilegium est peccatum, quo quis violat, seù abutitur re sacrà, in eo, in quo est sacra, seù pertinens ad religionem. Sacerdos ut habens votum castitatis, est aliquid sacrum: si furatur, abutitur se ipso, non tamen in eo, in quo est sacer, ideò non committit sacrilegium in furando, sed in violando castitatem. E contrà Religiosus committit sacrilegium in furando, quia per votum paupertatis, etiam in hoc est sacratus Deo. Ex his apparet, non sufficere, ut quis in confessione dicat se commisisse sacrilegium, quia est genus satis amplum, non species infima peccati: nàm primò: sicut sunt diversa specie votum, & juramentum, ita sunt diversa specie sacrilegia illis opposita; secundò: in assumptione rerum divinarum diversa sunt specie sacramenta; & ideò diversa erunt specie sacrilegia singulis opposita: tertiò: in singulis sacramentis habent intèr se quandam differentiam essentiaiem singulæ partes, conditiones, & dispositiones, nempè, materia, & forma, quæ sunt partes essentiales, vel etiam partes integrales in sacramentis, in quibus istæ concurrunt, ut in ordinibus, in quibus multa concurrunt ad integrum, & perfectum sacramentum, Conditiones, v. g. sunt intentio ex parte conferentis, & recipientis, quando hìc sit adultus: Dispositiones sunt, quòd sit baptizatus recipiens, quòd uterque sit in gratia &c. Etiam essentialitèr differunt conferens, & recipiens; quare diversum specie est sacrilegium, quo confertur sacramentum in peccato mortali,

ab

ab eo, quo recipitur in peccato mortali: quartò: si violantur personæ sacræ, videndum est, in quà specie sint sacræ: nàm aliud est sacrilegium occidentis sacerdotem, aliud violantis castitatem Sacerdotis, & in hoc etiam aliud est sacrilegium agentis, aliud patientis in se violationem castitatis: Aliud est sacrilegium violantis votum castitatis simplex, & aliud violantis votum solemne &c. Circà res sacras, seù divino cultui deputatas, aliud est sacrilegium, quo quis abutitur Calice, aut Corporali, aliud sacrilegium, quo abutitur vestibus sacerdotalibus, aliud, quo abutitur templis &c. Circà oblationes, aliud est sacrilegium, quo quis violat sacrificium, vel in toto, vel in parte (quod est sacrilegium distinctum à sacrilegio ejusdem sacerdotis indignè communicantis) à sacrilegio violantis alias oblationes. Aliud est sacrilegium usurpantis jura, & aliud tollentis bona Ecclesiæ. Sic videt Confessor, quàm sit amplum sacrilegii genus; & propterea non erit contentus scire à pœnitente, quod commiserit sacrilegium, sed interrogabit semper speciem infimam; Notet tamen, quod explicatum est in *Instructione pro ordinandis* c. 30. n. 9. differentiam inter peccatum omissionis oppositum Religioni, & peccatum commissionis: nàm peccans omittendo, quia non violat rem sacram, non committit sacrilegium; at violans rem sacram peccato commissionis, peccat peccato sacrilegii. S. Thomas q. 99. a. 3.

7. D. Sacrilegium estnè mortale ex suo genere?

M. Ex

M. Ex genere suo est peccatum mortale: si enim nequit servari charitas, cùm infertur injuria homini, multò minùs potest servari, cum infertur injuria Deo, rebusque divinis, quarum injuria redundat in Deum, cujus ratione dicuntur sacræ seù divinæ. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

8. D. Potestne excusari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Per S. Thomam a. 2. ad 3. *Sacrilegium interdùm invenitur separatum ab aliis peccatis ... putà, si judex capiat aliquem de loco sacro, quem in aliis locis licitè capere posset.* Idem dic de pluribus aliis, ut cùm in juramento, vel voto deficit prima veritas; cùm sacramenta violantur, vel non apponendo partes, vel afferendo ad illa dispositiones contrarias, estò ab Ecclesiâ tantùm sint præceptæ, ut si quis celebraret, vel communicaret non jejunus. In istis casibus nulla excusat materiæ parvitas: Jurisdictio, licèt se extendat ad plura, tamen in se, utpotè aliquid spirituale, est indivisibilis: quare vel violatur in toto, vel in nihilo. Sacramentum in ratione compositi est indivisum: quare vel totum ponitur, vel nihil. Dispositiones porrò necessariæ sunt ad sacramenti effectum, qui totalitèr tollitur, ubi minima deest dispositio ex omninò requisitis. Estò enim Sacerdos ex industriâ biberit guttam aquæ per modum potus, totalitèr impeditur gratiâ effectus sacramenti, & ita in his casibus materiæ parvitas non excusat. Aliquando sacrilegium est circumstantia mutans speciem: tùnc est duplex peccatum

catum, & induit rationem primi, super quo fundatur; & ita si primum excusatur ex parvitate materiæ, excusabitur, & sacrilegium: si primum, non excusatur, neque sacrilegium, v.g. in castitate nõ excusat materiæ parvitas laicum liberum; & ita neque excusabit Religiosum, qui gravitèr peccavit etiam contrà Religionem. In contrectando rem alienam, materiæ parvitas excusat: quare peccato sacrilegii venialitèr peccabit furans obolum in loco sacro, vel Religiosus contrà votum paupertatis, absque licentiâ ullâ disponens de obolo.

9. D. Perjurium non videtur sacrilegium, quia S. Thomas agit de illo distinctè à sacrilegio. q. 98.?

M. Equidem S. Thomas agit distinctè, sed quia erant circà illud considerandà specialia. Quoniam plura Confessori ordinario necessaria de perjurio jam dicta sunt c. 34. à n. 2. remittens idcircò ad illa Lectorem, addo tantùm sequentia; & primò Sanctus Thomas q. 98. a. 2. ad 1. vocat perjurium æquè juramentum, cui deficit veritas, ac juramentum, cui deficit justitia: quare perjurium erit genus, & sic Confessor ulteriùs interrogabit speciem. Tamen præparans se audiendis confessionibus fugiat omnimodè quæstiones de voce. Sciat utrumque esse sacrilegium, & ubi quis contrà justitiam, verè, scilicèt, cùm animo faciendi, juravit illicitum, sciat esse duplex peccatum: alterum contrà justitiam juramenti: alterum contrà virtutem, cui opponitur illud opus illicitum intentum: secundò

jurans

jurans se facturum voluntatem alterius, intelligitur cum debitâ conditione, si *sit licitum*, & *honestum*, & *portabile*, *sive moderatum*: S. Thomas a. 2. ad 3. quare non obligat, nisi expresè intendat se obligare ad immoderatum, ut si quis intenderet se obligare ad nubendum fœminæ, quamvis esset adultera; ordinariè tamen unusquisque jurat, secundum quod leges intelligunt. Tertiò: si pater juret aliquid, filius non tenetur ex vi juramenti, adeòut sit perjurus (licèt obligetur ex fidelitate quando promisit patri) quia juramentum est actio personalis, non transfundens obligationem ex vi suâ ad hæredes, aut successores. Quartò: jurans servare aliqua statuta, intelligitur se obligare ad præsentia ex vi juramenti; quare si violet, quæ promulgantur post juramentum, non est perjurus. S. Thomas a. 2. ad 4. quintò: jurans falsum ex lapsu linguæ, scilicèt, non advertens ad significatum, *non videtur habere intentionem jurandi*; & *ideò à crimine perjurii excusatur*. S. Thomas art. 3. ad 2. dummodò non sit ex habitu; etenim tùnc, nisi retractet habitum, voluntariè perseverat in periculo proximo pejerandi: sextò: qui ratione officii exigit ab aliis juramentum, non cooperatur peccato jurantis falsum, aut verum per falsos deos; qui verò exigit hæc juramenta sine necessitate cooperatur peccato alterius. S. Thom. a. 3. Vide dicta c. 27. n. 15. septimò: jurans falsum, non in damnum alterius, est corrigendus juxtà ordinem Evangelicum. Sanctus Thomas ibidem ad 3.

Hæc

Hæc de perjurio dicenda supererant.

10. D. Quid est Simonia tertium peccatum per defectum contrariè oppositum Religioni?

M. Circà hoc peccatum maximè debet esse instructus Confessor Urbis, ob grande periculum hìc imminens hujusce peccati. Dicitur *studiosa*, seù deliberata *voluntas vendendi, vel emendi spiritualia, vel spiritualibus annexa*: quæ sunt invendibilia: etenim comparari nequeunt temporalia spiritualibus, gratis danda sunt, quæ gratis accepta sunt ab eo præsertìm, qui non est dominus, sed dispensator, & debet distribuere juxtà merita. Casuistæ multa disputant supèr hac materia, sed ego contentus ero innuere, quæ docet S. Thomas, & addere, quæ posteà jure positivo declarata sunt. Hæc sufficient Confessori ordinario, & ex illis cum aliquo studio poterit resolvere casus difficiliores. Igitur,

11. D. Simonia est emptio, vel venditio: quare sine simonia poterit fieri permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum.

M. Nomine emptionis &c. *venit omnis contractus, nongratuitus*; quare nèc transactio, nèc permutatio fieri potest à partibus absque periculo simoniæ: sed Prælatus ex officio, & cum causâ potest facere has permutationes. S. Thomas q. 100. a. 1. ad 5.

12. D. Potestnè accipi pecunia pro collatione sacramenti?

M. Pro sacramentis jure divino, cui nulla consuetudo

suetudo potest derogare, prohibemur accipere pecuniam, vel aliquid pecuniâ æstimabile. Qui tamen ex officio conferunt sacramenta, possunt accipere aliquid, non in pretium sacramenti, sed in sui sustentationem juxtà ordinationem, vel consuetudinem approbatam Ecclesiæ. S. Thomas a. 2. Et super hoc est constitutio Innocentii XI. quam perpendet Confessor, ubi casus contingat.

13. D. Quid fiet, si absque pecuniâ Sacerdos nolit baptizare?

M. In tali casu judicandum est, ac si deficeret minister baptismi. At si velit vendere aquam, materia remota potest emi. S. Thomas a. 2. ad 1.

14. D. Aliquando absolvens ab excommunicatione exigit pecuniam?

M. Exigit illam ut pœnam. S. Thomas ad 3. & ex Tridentino pœnas pecuniarias Episcopus debet applicare non sibi, sed locis piis.

15. D. Possumne solvere pecuniam, ut removeam, qui me volunt impedire à consecutione Episcopatus?

M. Ante collationem non possum, quia nequeo per pecuniam (sed tantùm per merita) mihi præparare viam ad beneficia. Postquam per collationem habeo jus, si injustè impediar, possum pecuniâ redimere vexaxionem. S. Thomas ad 5.

16. D. Potestne accipi pecunia pro matrimonio?

M. Pro matrimonio, ut est contractus civilis, accipitur dos; at nihil accipi potest pro eò, ut est sa-

sacramentum. Sanctus Thomas ad 6.

17. D. Potestnè pecunia exigi pro actu spiritualis, qualis est prædicare &c.

M. Aliqui spirituales actus de naturâ suâ procedunt à gratiâ, & alii de naturâ suâ non procedunt à gratiâ: v. g. prædicare procedit à gratiâ sacramenti, nàm est ministerium ordinis. Prophetare paritèr procedit à gratiâ gratis datâ. Alii non procedunt à gratiâ, ut est doctrina Philosophica. Qui dependent à gratiâ gratis datâ, nulli competere possunt ex officio; nàm Spiritus Sanctus *dividit singulis, prout vult* 1. Cor. 10. Exercens hos actus neque potest exigere pecuniam, ut pretium sui actus, neque in sui sustentationem, neque in pretium laboris. Primum, & tertium apparent ex illo Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*: secundum: quia sustentatio debetur solùm militanti ex officio; qui solus non militat suis stipendiis. Actus procedens ex gratiâ sacramenti potest ex officio committi alicui, & cui sic committitur, poterit exigere solùm in sui sustentationem, juxtà consuetudinem appobatam ab Ecclesiâ, dummodò antequam exigat, dederit gratis hujusmodi actus, & exigat non per se, sed per Superiores. Accipere verò in eleemosinam potest, dummodò absit omnis suspicio venditionis: Actus non procedentes à gratiâ, si sunt spirituales, nequeunt vendi, sed quis potest locare, aut vendere operam, vel laborem suum in usu illius; & ita quis non potest vendere scientiam, sed laborem corporalem,

quem sentit in usu scientiæ. Hæc in universali. S. Thomas q. 100. a. 3. quæ majorem claritatem accipient ex casibus particularibus.

18. D. Si populus nolit dare stipendium consuetum Parocho, poteritnè Parochus desistere ab usu sui officii, v.g. non baptizando &c.

M. Potest quidem renunciare Parochiam, officium Prædicatoris, Catechistæ &c. sed si retinet officium, non potest desistere ab usu. S. Thomas ibidem.

19. D. Offertur eleemosina pauperi, ut oret pro nobis?

M. Illa offertur, non ut orationis pretium, sed ut per nostram gratuitam beneficentiam, ipse provocetur ad rependendam orationem gratis, & ex charitate. S. Thomas ibidem ad 2. Idem ait de quotidianis distributionibus pro adsistentibus Choro, funeri: &c.

20. D. Qui obligatur ad docendum, vel prædicandum, potestnè accipere pretium laboris, quem sustinet in docendo &c.

M. Sit regula generalis: Actiones ergà populum, quæ requirunt missiones, nullatenùs possunt subjacere pretio, neque quoad laborem: Christus enim misit ad labores; & ratio data est n. 17. quia proveniunt ex gratiâ sacramenti. Atque hinc vides, pro labore conferendi sacramenta, visitandi subditos, prædicandi, catechizandi in Ecclesiâ, consecrandi altaria, templa, Virgines &c. nullatenùs posse accipi pretium, & si msgis in particu-

lari

lari scire cupis, pro quibus actionibus nequeat accipi pretium, accipe *Instructionem pro ordinandis*, & in singulis ordinibus lege, quæ Episcopus ex Pontificali dicit ordinando esse sui muneris, sive primariò, sive secnndariò ad ipsum spectent; & conclude pro labore talium actionum nihil exigi, vel accipi posse in pretium, vel locari operas illas; eo enim ipso, quòd officia sunt ordinis, verum est illud Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*. Et verificatur id, sive hujusmodi actiones fiant ex officio, sive ex delegatione, ut si Clericus Minorum Ordinum prædicaret de licentiâ legitimi Superioris: nam verè uterque mittitur à Christo, dùm mittitur à suo Superiore, primordialitèr habente facultatem destinandi, vel per ordines deputandi ad tale officium à Vicario Christi; dummodò tamen sint actiones propriæ Ordinis; Id observo; nam in *Instructione pro ordinandis* cap. 21. n. 3. leges Ostiarium *percutere cymbalum, & campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium, librum aperire ei, qui prædicat*. Quia hæ actiones corporales fiunt etiam à non ordinatis absque speciali deputatione, ideò ut purè corporales, non ut propriæ Ordinis, possunt locari. Ibidem ex n. 6. Lectoris est *lectiones cantare*. Ex dictâ ratione ad id conducuntur Musici. Ex n. 8. Exorcistæ est *aquam in ministerio fundere*, hoc est, in Missâ lavandis Sacerdotum manibus. Ex n. 10. Acolythi est, *ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam ministrare*: Ob dictam

rationem hęc locari possunt, si non fiant ex officio. Cætera munia singulorum Ordinum nullatenùs vendi possunt, quia requiritur ad illos missio, seù specialis deputatio per potestatem spiritualem: Docere authoritativè importat missionem; quia est proprium Episcopi, & Diaconi: quare nequit accipi pretium pro labore docendi, dispensandi, delegandi, visitandi, corrigendi, aut desistendi à correctione, sed ad summum in visitando possunt accipere debitum stipendium: Docere non ex officio, non exigit missionem, quia Theologus laicus potest docere hoc modo: quare poterit locare operas suas, & exigere pretium. At si ex officio deputetur ad docendum Ecclesiæ Clericos, & pauperes, ad hoc accipiendo beneficium, ut Præbendam Theologalem, tùnc non potest recipere, neque pro labore, neque ut det vacationes, neque ut faciat lectiones. S. Thomas a. 3. ad 3.

21. Potestnè aliquid accipi pro ingressu Monasterii?

M. Confessori ordinario sufficiat scire, quòd simoniacæ sunt clancularię pactiones dandi, vel acceptiones factæ alicui Superiori, vel alteri Religioso, ut talis acceptetur in Ordine. Idem dic de promissionibus, aut dationibus pro gradu Magisterii, Superioratus &c. Quæ verò palàm exiguntur, ratione dotis, victus &c. stante præsertim consuetudine, relinquat examinanda per suos Judices in foro fori. Videatque Sanctum Thomam ad 4.

22. D.

22. D. Possuntnè vendi, quæ sunt annexa spiritualibus?

M. S. Thomas a. 4. distinguit: nàm alia sunt annexa spiritualibus; quia dependent à spiritualibus; & ideò sunt illis posteriora; hujusmodi est beneficium; quod dependet ab ordine Ecclesiastico; unde prius est esse Clericum, quàm beneficiatum. Alia sunt annexa spiritualibus, quia ordinantur ad spiritualia; In his temporale prius est quàm spirituale, ut vasa sacra: prius enim fiunt vasa, deinde consecrantur: Prius est villa, deinde Juspatronatus ad præsentandum Parochum in dictâ villà. Igitur loquendo de primis, nullatenùs vendi possunt. Ad summum qui præsentat, vel nominat ad beneficium, juxtà privilegia, antequam præsentet, vel nominet, ex illius fructibus ex piâ causâ potest assignare pensionem tertio, sed sine causâ non potest; multò minus potest retinere sibi pensionem, aut sibi accipere partem fructuum. Quòad secunda, Jus patronatus non potest vendi, sed venditâ villâ, transfertur & illud, quia fundatum supèr eâdem. Vasa consecrata, si frangantur, non ampliùs sunt sacra, & vendi possunt. Sepulturæ, altaria &c. venduntur quòad materiale anterius ad spirituale, ita ut non augeatur pretium ex eo, quòd sint sacra, neque vendatur jus, sed ut juspatronatus, venditis materialibus altarium, sepulturæ &c. jus transfertur cum illis:

23. Licetnè cõmutare unũ spirituale cum alio?

M. Canones, ut simoniacam prohibent commutationem beneficiorum absque licentiâ legitimi Superioris, & causâ; quare Religiosi, vel alii, non possunt pacisci, ut in electione sibi invicem, vel alteri dent votum. Non est illicitum permutare invicem Reliquias, Agnos, ut hodie multi faciunt, offerentes pro uno benedicto ab Innocentio XI. plures benedictos ab aliis.

24. D. Committitnè simoniam Prælatus conferens beneficium propter servitium sibi à subdito præstitum, vel propter preces sibi porrectas ad ipsius favorem, vel quia laudatus fuit à tali subdito?

M. S. Thomas a. 5. evincit hæc ut simoniaca ex ratione universali, quia omnia possunt æstimari pecuniâ; quod est clarum. Viri nobiliores menstruè solvunt pro hujusmodi obsequiis etiam Cubiculi Præfectos: Multi promittunt pingues recompensationes Mediatori, ut sibi impetret aliquem Magistratum; & alii pecuniâ conducunt, qui se laudent, aut sua glorioſa facta conscribant; At nè Confessor iniiciat scrupulos, hæc ulteriùs notet: primò: Prælatus potest conferre beneficium inservienti sibi, ut est Episcopus, seù, quod idem est, in utilitatem Ecclesiæ, vel in auxilium Ministrorum Ecclesiæ; nàm per hoc obsequium redditur dignus; & si gratis inserviat, est dignior, quia in obsequium Ecclesiæ impendit personam, & pecuniam, quam sibi potuisset comparare per obsequia; secundò: serviens consanguineis Prælati

(dum

(dum Ecclesiæ Ministri non sint) per hoc obsequium non redditur dignus; tertiò: neque redditur dignus serviens Prælato in suis patrimonialibus. At si reperiat fidelem, potest confidere, quòd sit futurus Ecclesiæ multò fidelior, & per consequens utilior, ac dignior, si conferatur beneficium ejusdem generis; quartò: nequit conferri beneficium, ut exinde provisus consulat consanguineis providentis: quintò: est simoniacum factū porrigentis preces pro indigno, quia *videtur principaliter intendere* contractum venditionis consistentem *in do, ut des*. Do enim preces, ut des beneficium: sextò: committit simoniam mentalem, qui aliàs dignus, v. g. inserviens Episcopo gratis, intendit principaliter obtinere beneficium; quare hoc maximè debent cavere. S. Thomas in responsionibus; & videantur dicta c. 19. n. 3. & seqq.

25. D. Quotuplex est Simonia?

M. Primō alia est mentalis: alia realis: Mentalis est, quando quis in mente suà nihil alteri aperiens, intendit dare temporalia, ut obtineat spiritualia, vel è contrà. Est quidem grave peccatum, sed non subjacet pœnis Canonicis, ut dictum est de hæresi purè mentali c. 7. n. 4. Realis alia est aperta, & alia palliata. Aperta est, cum dicitur: *Promitto tibi centum, si mihi conferas, vel impetres tale beneficium*. Palliata est, quando utor aliis verbis; at in rei veritate volo dare, ut des: v. g. cum dicitur: *Ex gratitudine tibi conferam centum, si mihi conferas, vel impetres beneficium*: Gratitudo exprimitur

mitur eluſoriè; cæterùm in rei veritate, volo conferentem movere, ut mihi ob illud lucrum, conferat beneficium: & ita eſt verè contractus: *Dabo, ſi dabis*. Ubi autem iſte contractus intercedit, ſit regula generalis eſſe ſimoniam.

26. D. Audivi etiam dari ſimoniam confidentialem, & conventionalem?

M. Eſtò utraque ſimonia ſit realis; in eo tamen differunt, quòd conventionalis juxtà ethymologiam nominis, extat, quando contrahunt, ſeù conveniunt partes, ut ſecutà proviſione proviſus habeat beneficium, & providens habeat, quod concordatur. At ſimonia cõfidentialis eſt, ſi providens confidit etiã in ſolà ſuà intentione quòd proviſus faciet, quæ intendit, adeò ut illis opere completis adſit ſimonia confidentialis realis, & ſubjecta pœnis omnibus, quibus illam ſubjecere Pontifices. Illam præcipuè damnarunt Pius IV. in conſt. 85. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & Pius V. in Conſt. paritèr 85. quæ incipit, *Intolerabilis* de anno 1569. Igitur Simonia confidentialis eſt primò ſi quis acceptaverit aliquod beneficium, cum pacto (in hoc caſu eſt ſimul confidentialis, & conventionalis) ut quandocunque, aut quomodocunque debeat illud dimittere, beneficium debeat redire ad reſignantem, aut cedentem: ſecundò: eſt ſimonia confidentialis, eſtò non intercedat pactum, ſed tantùm dimittens intendat id: tertiò: ſi intercedat pactum, vel intentio ut ſuprà, relinquendi reſignanti, vel alteri fructus beneficii, vel

in

in toto, vel in parte: quartò: si adsit pactum, vel intentio relinquendi pensionem resignanti, vel alteri: quintò: si providens de beneficio, adiiciat in conferendo (sive etiam in solum præsentando) conditionem tacitam, vel expressam, quòd, *contrà juris communis dispositionem*, provisus relinquet fructus, vel in toto, vel in parte, ad arbitrium Collatoris, vel alterius, in utilitatem providentis, vel alterius, vel etiamsi solam pensionem, quòd significetur scripto, vel verbo tantùm: sextò: si exempto à solutione jurium Cameralium, vel Cancellariæ Apostolicæ, resignetur hodie beneficium, quod ipse post duos, vel tres menses iterùm resignat, reservans sibi cum auctoritate legitimi Superioris, fructus, vel pensionem, quos, vel quam deinde confert in utilitatem primi resignantis: septimò: si beneficiatus criminosus factus, vel irregularis, ante, vel post crimen, aut irregularitatem, dimittat beneficium, & ubi absolutus fuit à crimine, aut irregularitate, redeat ad idem beneficium. Has omnes conventiones Pius declaravit, ut simoniacas; addiditque in eâdem Constitutione conjecturas, & indicia, quæ possint inservire Judicibus ad probandum hujusmodi crimen, quorum notitia non est necessaria Confessori ordinario, qui tamen ubi compareat sibi pœnitens hoc gravi crimine innodatus non erit contentus hujus, quæ hìc in confuso data est notitiæ, sed attentè sæpiùs releget ipsam Constit. & ubi res non est clara, consilium requiret doctiorum,

26. D. Simonia estnè ex suo genere peccatum mortale?

M. Est utique: nàm simoniacus nequit servare charitatem ordinatam: maximam enim committit inordinationem, vendendo divina, quæ vel ex jure divino, vel Ecclesiastico, sunt omninò invendibilia. Vide dicta p. 1. cap. 34. num. 6. Sed, & est in genere sacrilegii: nàm abutitur rebus divinis.

27. D. Simonia admittitnè parvitatem materiæ?

M. Nullatenùs admittit: etenim maxima est irreverentia vendere divina; & quò minori pretio venduntur, eò minoris videntur æstimari; & ita major videtur irreverentia. p. 1. c. 36. n. 5.

28. D. Adsuntnè Censuræ contrà Simoniacos?

M. Per Extrav. Pauli IV. *Dum detestabile*, omnes Simoniaci, sive manifesti, sive occulti, principales, vel mediatores, & per innumeras alias constitutiones Pontificias, sunt excommunicati excõmunicatione reservatà Summo Pontifici, si committatur simonia primò in susceptione Ordinum: secundò: in Beneficiis: tertiò: pro ingressu Religionis. Ab hac triplici excõmunicatione intrà Italiã, & extrà Urbem, neq; Regulares possunt absolvere vi suorum privilegiorum. Vide dicta p. 1. c. 10. n. 6. Si autem Simonia sit commissa in suscipiendis Ordinibus, vel beneficiis, vide dicta p. 1. c. 18. n. 20. secundò: ex eodem Paulo IV. simoniacè ordinati sunt ipso facto suspensi, & consequentèr

si

si exerceant ordines, erunt irregulares: tertiò: consequentes beneficium simoniacè, nullum jus acquirunt ad beneficium, vel ad fructus beneficii, quare, quòad beneficium, est omninò intrusus, & fructus percipit tanquam fur: propterea obligatus in conscientiâ illos restituere; nèc ullâ præscriptione juvatur ad acquirendum validè fructus, vel beneficium. Imò ex Regulis Cancellariæ, quocunq; alio modo nullitèr obtineantur beneficia, jus acquirit ad illa, quicunque per triennium pacificè possidet. At si acquirantur simoniacè, possessio pacifica trium sęculorũ, neq; sufficit ad fundandũ jus: Quæ omnia debebit repręsentare Confessor, non solùm se accusantibus de tali delicto, sed etiam iis, qui desiderant promoveri: etenim sæpè desiderio obtinendi, & parùm aliàs attenti ad Sacros Canones, deludunt seipsos. Admoneatque insupèr, quòd Major Pœnitentiarius cum omnibus suis facultatibus non habet jus ad convalidandum beneficii titulum ei, qui scientèr per Simoniam acceptat & quando ad illam recurrunt ordinati in vim talis beneficii, simoniacè obtenti, repręsentantes, quòd si dimittent ob simoniam occultè commissam, nullatenùs poterunt sustentari, Sacra Pœnitentiaria rescribit, quòd ad se sustentandum, fiant Religiosi. Insupèr notet Confessor, quòd nullitèr acquiritur beneficium, & fructus, estò provisus fuerit innocentissimus, quando ex parte conferentis interceßit simonia, & neque in hoc casu valet pacifica possessio triennalis, aut longior;

quia

quia factum est simoniacum, licèt provisus acceptando non peccaverit. Tanti semper Ecclesia detestatur hanc pestem. Ulteriùs qui accepit pecuniam, debet distribuere pauperibus, & provisus, qui promisit, præter dimissionem beneficii, & fructuum, percipiendorum, debet etiam restituere perceptos.

29. D. Adsuntnè Censuræ, aut pœnæ contrà alia peccata contrariè per defectum opposita Religioni, enumerata in hoc capite?

M. Aliquibus sacrilegiis imponitur excommunicatio in Bullâ Cœnæ. §. 14. excommunicantur, qui sacrilegium committunt sibi assumendo judicium in causas spirituales &c. §. 15. qui committunt sacrilegium violando libertatem Ecclesiasticam, ut ibi: §. 11. qui committunt sacrilegium violando personas Cardinalium &c. §. 16. qui committunt sacrilegium impediendo jurisdictionem Judicum Ecclesiasticorum, ut ibi: §. 17. qui committunt usurpando, vel sequestrando bona Ecclesiæ, ut ibi: §. 18. qui committunt imponendo Clericis onera ibi prohibita: §. 19. qui committūt judicando criminalitèr personas Ecclesiasticas contrà tenorem prædicti Canonis: Vide alios. Extrà Bullam Cœnæ excommunicantur violantes jurisdictionem Ecclesiasticàm contrà Constitutionem Gregorii XIV. offendentes Ecclesiasticos juxtà c. *Siquis suadente* 17. qu. 4. Violantes clausuram Monialium ad malum finem; Clerici participantes in divinis cum excommunicatis à Papâ; qui com-

committunt sacrilegium absolvendo sine licentiâ excommunicatos in Bullâ Cœnæ. Alia item sunt sacrilegia excommunicationi subjecta, quæ videantur p. 1. c. 20.

30. D. Adsuntnè aliquæ propositiones prohibitæ circà peccata hoc capite enumerata?

M. Propositiones prohibitæ circà sacrilegium perjurii datæ sunt c. 34. n. 16. Circà Sacrilegium Simoniæ adsunt 45. 46. & 47. Innocentii XI.

31. D. Quas pœnitentias Confessor imponet pro hisce peccatis?

M. Confessor indicabit excommunicationis, suspensionis, aut privationis beneficii pœnam, peccatis, quibus hæc est annexa. Ut pœnitentem ab omni simoniâ divertat, sufficiunt dicta n. 28. Ut avertat à perjuriis, legat Catechismum p. 3. c. 3. à n. 7. Quia verò nostris temporibus plebs bibit juramenta, sicut aquam, totus erit Confessor, ut illis ostendat nõ excusari à mortali juramẽta falsa ratione parvitatis materiæ, promissoria, cõminatoria, & execratoria esse falsa, si desit intentio, etiamsi emittantur solùm ad terrorem; quòd si adsit intentio occidendi &c. etiam pro uno instanti, apud Deum esse verum homicidii peccatum &c. duplicitèrque peccari juxtà dicta c. 34. n. 9. Cavendum omninò esse à juramentis, etiam veris, absque necessitate; nàm fit inde consuetudo, per quam nos exponimus periculo jurandi falsa; Et ita peccamus peccato sacrilegii. Generalitèr, quia hæc peccata procedunt ex irreverentiâ in Deum, & divina, juxtà

Ri-

Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 23. det *contrarias peccatis pœnitentias*, & illa curabit, quæ maximam in pœnitentibus excitare possint reverentiam ergà Deum, & divina.

CAPUT XXXVIII.

De Virtute Pietatis, & Vitiis eidem oppositis.

1. POst Religionem, ordine Theologico explicanda esset virtus Pœnitentiæ tendentis ad destructionem peccati, ut est offensa Dei: At S. Thomas judicavit sermonem de illâ differre ad 3. p. ubi erat acturus de sacramento Pœnitentiæ, quod habet pro materiâ ipsos actus virtutis Pœnitentiæ: nos de illâ sufficientèr disseruimus p. 1. à c. 12. Solùm hic restat innuere vitia illi opposita; & quidem opponitur per defectum Impœnitentia, de quà c. 4. n. 12. Per excessum Pœnitentia Indiscreta. Porrò circà hoc vitium, nihil restat particulare; cujùs notitia sit necessaria Confessori ordinario: quare dicamus de pietate.

2. Pietas connumeratur virtutibus Justitiæ annexis, quę reddunt sanè debitum, sed reddere non possunt æquale: nam respicit principia nostri esse, quibus ut æquale redderetur, reddi deberet ipsum esse simplicitèr, quandoquidem benè esse, divitem

esse

esse, potentem esse &c. neque per quantitatem Geometricam, seù proportionalem sunt proportionalia ipsi esse simplicitèr, quod à parentibus accipit filius. De hac agit S. Thomas q. 101. præmittens, quòd non aget in particulari de vitiis oppositis, quia hæc sufficientèr innotescent ex consideratione ipsius.

3. D. Quid est Pietas?

M. Nomen Pietatis aliquando usurpatur pro dono Spiritus Sancti, quo nos ut filii adoptivi colimus Deum. S. Thomas a. 1. ad 1. de quo dono dicetur c. 43.: secundò: usurpatur pro quocunque actu Misericordiæ. S. Thomas ad 2.: Tertiò: strictè accipitur pro virtute, per quam *Sanguine junctis, patrieque benevolis exhibemus officium, & cultum.* S. Thomas a. 1. & 2. Nomine officii venit honor, & nomine cultus venit sustentatio. Hinc videt Confessor ad pietatem spectare plures actus specie diversos, non solùm, quia specie differunt honor, & sustentatio, sed etiam, quia honor ipse, & sustentatio ipsa exhibentur per plures actus specie diversos, quos propterea in confessione curabit explicari à pœnitente: nec enim sufficientèr se accusat dicens: *Dehonoravi parentes*: nàm est alia specie dehonoratio irrogata parentibus per violationem quinti præcepti Decalogi, & alia per violationem sexti; quæ sunt peccata commissionis oppositа pietati. Dic idem de peccatis omissionis: etenim ex Catech. p. 3. c. 5. n. 10. honoramus parentes orando pro illis, & eorum voluntatem sequendo,

ubi

ubi nihil obstat: Si ergo detur casus, quòd ad utrunque obligemur sub mortali, & omittamus, necessarium est in confessione explicare, quem ex his actibus omiserit Pœnitens. Id apparet multò magis in secũdo genere actuum, qui consistunt in sustentatione: nàm hæc importat præcipuè septem opera misericordiæ corporalis: quare si ex dictis c. 12. n. 3. hæc specie differunt, etiam specie different omissiones; & ita peccator tenebitur explicare in confessione, quod ex illis opus in specie omiserit ergà parentes.

4. D Quæ objecta respicit Pietas?

M. Enumerata sunt c. 10. n. 21. in *Instruct. pro ordinandis*, ubi explicatum est quartum Decalogi præceptum, quod in totà suà latitudine comprehendit virtutem Observantiæ; ideò præcisè assignando Pietatis objecta, cùm hæc respiciat principium essendi, comprehendit ea objecta, quæ communicant in ratione hujus principii, nempè, parentes, patriam, & consanguineos, vel affines usque ad quartum gradum, juxtà quod stabilierunt leges positivæ. Porrò sicut charitas fertur etiam in conjunctos amici, quia sunt aliquid ipsius Amici, ita Pietas fertur etiam in amicos conjuncti: quare Pietas aliquo modo respicit fœderatos suæ patriæ &c. Insuper quia principium essendi est terminus relativus, ideò Pietas respicere debet utrunque terminum; quare filius pietate respicit patrem, & civis patriam; E contrà Pater, & Patria respiciunt filium, & civem.

5. D. Di-

5. D. Dixisti n. 3. Pietatem habere duos actus, nempè, revereri, & sustentare, vellem scire, quis horum sit principalior?

M. Ex S. Thomà q. 101. a. 2. ad 2. respectu civis, & filii, principalior actus est revereri: secundarius est sustentare, ita quòd tùnc obligatur ad sustentationem ex pietate, quando aliàs obligatur eidem ex charitate, in quo casu omittens subvenire violat utramque virtutem. Idem dic de cive respectu Patriæ in suo ordine: Pater è contrà principalitèr tenetur sustentare filium & illi providere non tantùm in necessitate, sed ad omnem vitam: secundariò tenetur honorare, signis tamen sibi proportionatis, non eisdem, quibus filius honorat patrem.

6. D. Estnè eadem specie virtus Pietatis in filio respectu Patris; & in patre respectu filii, sicut in cive respectu patriæ; in consanguineo respectu consanguinei &c.?

M. Hoc punctum nolo decidere, quia non decidit S. Thomas, cujus vestigia sequor: Sufficit discipulo, si sciat, quantum Magister suus; & Confessor ordinarius sufficientèr exercebit suum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris, eslò ex Theologicis nihil sciat suprà Angelicum. Tamen sciat, quod actus patris in filium distincti sunt ab actibus filii in patrem: actio enim & passio sunt in diverso prædicamento, scilicet, in diverso genere supremo; quare in Confessione pœnitens explicabit, an fuerit pater, seù agens, an filius, seù pa-

tiens, an subditus, vel Princeps, an consanguineus in lineà ascendentium, cujus est agere, vel in linea descendẽtiũ &c. Relinquat Scholasticis disputare, an eadem virtus possit habere tot actus diversos. Recole dicta de Medico corporali p. 1. c. 34. n. 20.

7. D. Virtus pietatis obligat ne ex naturà suà sub mortali?

M. Utique obligat, sed juxtà naturam virtutis præcipientis actum externum. Cap. 2 n. 2. posita est differentia inter actum internum, & externum fidei, & diximus ex naturà virtutis obligari nos aliquando ad actum internum: ad actum externum obligari solum, quando ejus omissio cederet in injuriam Dei, vel in damnum proximi. Applicando hanc regulam generalem pietati: hæc habet duos actus, revereri, & sustentare. Quando instant hi actus externi; tùnc tenemur ad actus internos præceptivos illorum. Reverentia enim, & honor ergà patres est signum externum, idem dic de sustentatione. Igitur sub mortali nos obligat Pietas ad exhibendum honorem, sed in casu, ut actus externus fidei, non indeterminatè pro aliquo tempore, ut actus internus fidei. Apparet id: nàm filii pluriès carent patre, & è cõtrà; unde nullum eis honorem exhibere possunt, nisi orationum ad summum, ad quas tamen nemo huc usque dixit sub mortali obligatos. Igitur Pietas vult nos animo præparatos ad illa duo genera actuum, & quòd illos exerceamus, dum casus contigerit.

8. D. Multæ virtutes, quæ obligant indeterminatè,

minatè, vel in casu tantùm, habent obligare per leges positivas ad aliquos ex suis actibus; Ita dictum est c. 2. à n. 4. ex præcepto Ecclesiæ obligari ad actum externum fidei Ecclesiasticos per recitationem Symboli in Officio; & ex c. 8. n. 6. ad actum externum Spei per recitationem Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ: quæro nùnc, an paritèr lege positivà obligemur ad aliquos actus pietatis, quorum omissio sit peccatum mortale.

M. Patres, & filii reciprocè tenentur in morte ad legitimam ergà Ascendentes, juxtà dispositionem legis, quam in facti contingentià Confessor hauriet à Juristis: *nec potest*, inquit S. Thomas suppl. q. 57. a. 1. ad 1., *pater sine culpà filium privare*. Confessor tamen notet, quòd hoc non est propriè peccatum omissionis: etenim non peccat, si non condat testamentum, sed solùm, si condens disponat contrarium: quare est peccatum commissionis: simplici omissionis peccato peccaret, qui sciens patriam prodi, omitteret revelare; vel si quæ hujusmodi.

9. D. Quomodò vocatur vitium contrariè per excessum oppositum Pietati?

M. Hoc vitium vocari potest *Amor nimius consanguineorum*. In hoc explicando non immoror, quia placere consanguineis de se non est peccatum, & placere nimiùm consanguineis non est peccatum contrà pietatem, nisi ob hunc amorem fiant, quæ alias prohibentur: quare si quis ut placeat patri, omittat sacrum in die festo, sufficit, si

se accuset de omissione, nec tenetur accusare, quòd omiserit, ut placeret patri, per se loquendo.

10. D. Quod est vitium per defectum contrariè opppositum Pietati.

M. Est impietas strictè dicta, per quam committimus aliquam irreverentiam in parentes &c. unde omnis injuria, quæ est cum aliquà irreverentià, si fiat in parentes, erit duplex peccatum; & poterit contingere, quòd injuria sit levis; at quoniam irreverentia illi conjuncta in patrem, est gravis, tùnc etiam erit peccatum mortale, v. g. si quis in patrem (estò clàm, & ab ipso inauditus) dicat *Sis maledictus* absque animo. Ex c. 26. n.8. hujusmodi maledictiones absque animo sunt injuriæ leves: at peccatum mortale in filio propter gravem irreverentiam.

11. D. Detrahere patri est nè peccatum impietatis, ita quòd filius detrahens duplicitèr peccet committendo hanc injuriam, & contrà justitiam & contrà pietatem, teneaturque id explicare in Confessione?

M. Satis appositè movisti hoc dubium, ut possim dare regulam generalem, unde cognoscatur, quæ actiones injuriosę, possint induere secundam speciem Impietatis. Igitur meminisse debes, quòd tota impietatis malitia consistit in irreverentià ergà personam, quæ est principium essendi. Ex alià parte, qui detrahit ex S. Thoma 2.2. q.73. a.1. *videtur magis revereri, quàm parvi pondere; unde non directè infert nocumentum honori, sed famæ.* Ita non pec-

peccat contrà pietatē furans à patre, sed benè peccans per rapinam. Igitur Confessor in confessionali obſervet generalitèr, nùm injuria, quam pœnitens accuſat, ſit dehonorativa; ſi talis non eſt, ſuperſedeat ab interrogationibus circà pietatem; ſi autem dehonorativa eſt, debet interrogare. Hujuſmodi via per regulas generales eſt ſanè facilior, & indigens minori ſtudio, quàm ſi velimus de ſingulis perſcrutari Authores; Indigent ſolùm applicari ad caſus particulares, de quibus pœnitens ſe accuſat; debent tamen eſſe regulæ fundamentales.

12. D. Pater non tenetur revereri filium: quare non peccabit peccato impietatis in illum?

M. Eſtò pater primariò, & omnibus modis non teneatur revereri filium, tamen ex pietate prohibetur facere in illum injurias dehonarativas, quę, ſcilicèt, dehonorant filium, ſuprà quam extendatur jus paternum.

13. D. Peccata contrà Caſtitatem non videntur dehonorare; propterea non erunt contrà Pietatem, ſi committantur cum conſanguineis?

M. Inferiùs cum S. Thomâ q. 144. loquemur de verecundiâ, quæ eſt timor inhonorationis; & cum de peccatis contrà caſtitatem maximè verecundetur homo, ideò hæc peccata ſunt actiones dehonorativæ: & quidem de jure naturali omnis actus luxurioſus dehonorat, ſi fiat inter aſcēdentes, & deſcendentes directè; In cæteris gradibus ex præcepto Eccleſiæ, ut ſuo loco dicetur.

14. D. Estnè unum specie peccatum impietatis, ut sufficiat, si pœnitens accuset se fuisse impium?

M. Ex dictis n. 6. Pietas habet actus specie diversos: quare, & impietas; in quà item explicandum est objectum, an fuerit impius in patriam, in patrem, in matrem, in fratres, in sorores, in consanguineos, in affines &c. nàm pietas honorat principium essendi, & quia hi diverso modo respiciunt principium essendi, ideò diversam specie deformitatem inducunt in ipsos actus impietatis.

15. D. Impietas estnè peccatum mortale ex suo genere?

M. Est utique: nèc enim possumus servare charitatem, nisi reddamus sanguine junctis, & patriæ quod debemus. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

16. D. Excusatur nè à mortali ex parvitate materiæ?

M. Ut dictum est n. 11. deformitas impietatis non desumitur ab injuriâ ut tali, sed à dehonoratione; Hinc ex n. 10. maledictio aliàs de se levis, prolata in patrem, dicta est peccatum mortale, quia dehonorat patrem. Honor potest esse magnus, & parvus: quare tolli potest gravitèr, & levitèr; propterea impietas excusatur à mortali ex parvitate materiæ, si honor lædatur tantùm levitèr. At si, ut contingit in castitate, actio minima, sit gravitèr dehonorativa, tùnc est peccatum mortale incæstus. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

17. D. Adsuntnè Censuræ, vel pœnæ Ecclesiasti-

fiasticæ contrà committentes hujusmodi peccata?

M. Quia leges civiles, & etiam Deus ipse in quarto Decalogi præcepto gravissimè punit hæc peccata, & aliàs sunt in horrore hominũ; unde rarò committuntur, ut sunt mortalia, ideò non invenio censuras, aut pœnas universales. Quilibet tamen Confessor leget attentè casus reservatos suæ Diœcesis, in quibus ordinariè reservatur incæstus, & parricidium, eo ipso, quod reservatur omne homicidium?

18. D. Adsuntnè propositiones prohibitę circà hujusmodi peccata?

M. Inter prohibitas ab Innocentio XI. extant 14. & 15. tangentes impietatem filii ergà patrem.

19. D. Quas pœnitentias Confessor imponet peccantibus contrà pietatem?

M. Rari frequentant peccata gravia in patriam, utpotè à Principibus punita gravissimè. Rarò etiam ex eàdem causà parentes gravitèr peccant in filios, nisi quòd sæpissimè suo malo exemplo filios inducunt ad peccandum, & sanè videmus pueros omninò ignaros principalium fidei mysteriorum, qui tamen in omni ferè sermone frequentant juramenta, blasphemias, maledictiones; Id totum, quia nunquam audiunt parentes loqui de rebus fidei; at verò semper audiunt jurantes, maledicentes, blasphemantes. Hujusmodi parentes Confessor increpet acritèr. Totus etiã sit, ut filios componat ad debitam reverentiam parentibus. Optimum erit adolescentioribus con-

sulere, ut confessi domum accedentes, deosculentur manus parentum, ipsisque veniam petant; & primum etiam consulet facere, quotiès ituri scholam, domo discedunt, vel redeunt, aut si cubitum eant in noctè; nèc alia omittet, ut sanctè observent quartum Decalogi preceptum, super quo legat sępiùs Catechismum p. 3. c. 5.

CAPUT XXXIX.

De Observantià, Obedientià, & Vitiis oppositis.

1. SIcut homo tenetur revereri, & honorare patrem, à quo habet esse, ita etiam tenetur revereri, & honorare illos, à quo habet operari. Habet autem operari ab iis, qui dirigunt homines in suis operationibus, quales sunt Magistri, Principes, Directores, Confessores in eo, quod exercent officium Doctoris; & ita istis tenetur, quòd non potest reddere æquale: scientia enim non potest recompensari proportionatè per temporalia; unde ex dictis c. 36. nu. 20. non potest vendi; & hinc non tenemur Directoribus ex virtute Justitiæ, sed ex virtute Pietati inferiore, quæ dicitur *Observantia*. Hæc duos actus, qui ex c. 37. n. 3. competunt Pietati, habet exercere ergà suos Directores, in casu tamen, ut dictum est ibidem n. 7. de Pietate.

2. In

2. In scholà S. Thomę, in quà virtutum materia discutitur exactè, quæritur, an hæc observantia contineat sub se plures species. Certum est, quòd Observantia, per quam honoramus Sanctos in cœlo regnantes, & commodè vocari potest Observantia Sacra, distinguitur ab Observantià, per quam honoramus viros excellentes in potestate, doctrina &c. An verò secunda subdividatur, ita ut alia specie sit observantia, per quam colimus v. g. Confessores, alia, per quam colimus Magistros, alia, per quam colimus Principes &c. non est congruum hæc disputare. Confessor in praxi gerat se juxtà dicta c. 37. n. 6.

3. Per Observantiam colimus eos, qui nos dirigunt in operando. Hi Directores sunt in duplici classe, alii in actu primo, & alii in actu secundo. Directores in actu primo sunt habentes aliquam excellentiam doctrinę, dignitatis &c. possuntque nos dirigere, sed verè actu non dirigunt, quia non nobis præsunt: Directores in actu secundo sunt qui præsunt, & quorum directionem tenemur sequi. Primis debemus observantiam, secundis observantiam, & obedientiam: ideòque S. Thomas examinat has virtutes post Pietatem, ut annexas Justitiæ.

4. D. Si tenemur revereri excellentiores in dignitate, doctrinà &c. qui occidit virum doctum, v. g. committit duo peccata; alterum contrà justitiam, & alterum contrà observantiam.

M. Hujusmodi dicuntur excellentiores in aliquo

quo genere, non simplicitèr: quare duplex erit peccatum, si habeantur irreverentèr sub eà ratione, in quà sunt excellentiores, quòd ordinariè non contingit: si occido Petrum, quia est inimicus, non offendo illum, quia sit me doctior: sed si occido, ut tollam à mundo ejus doctrinam, quà multi proficiunt, debeo tùnc explicare hæc omnia. Qui docto contumeliam ingerit, tanquam sit indoctus, si contumelia sit gravis, tenetur explicare rationem contumeliæ secum importantis dehonorationem, & quòd falsò ignorantiam objecerit, ex quibus remanet sufficientèr explicata ratio irreverentiæ contrà virtutem hanc observantię, de qua S. Thomas q. 102.

5. D. Quæ sunt vitia contrariè per excessum, & defectum opposita Observantiæ?

M. Vitia hujusmodi sunt innominata, & S. Th. in titulo quæstionis ait, quòd de illis *erit manifestum* intellectâ sufficiètèr ipsâ Virtute, partibusque illius.

6. D. Quæ sunt partes Observantiæ?

M. S. Thomas nomine partium intelligit species infimas, in quas Observantia subdividitur; Et circà hoc in genere pro Confessore ordinario dictum est sufficientèr n. 2. Nihil tamen ibi dictum est de observantià sacrà, quæ dicitur Dulia, & subdividitur in duas species, quarum prima retinet nomen commune Duliæ: secunda verò dicitur Hyperdulia.

7. D. Per quid invicem distinguuntur hæ duæ species?

M. Per

M. Per hoc, quòd Dulia exhibet honorem Sanctis. Hyperdulia verò exhibet Beatiſſimæ Virgini, per relationem Maternitatis terminatam ad perſonam, quæ eſt Deus; unde vocatur Mater Dei. S. Thomas q. 103. præſertim a. 2. ad 2.

8. D. Cum inſtruas Confeſſorem, debes dicere, an hæc virtus obliget aliquando ad ſuos actus, ut poſſit interrogare pœnitentem, an illos omiſerit, cùm obligaretur elicere?

M. P. 1. c. 34. n. 6. ſtabilitum eſt ſolùm illas virtutes obligare, ſine quorum actibus nequit ſervari charitas, & c. 37. n. 7. dictum eſt Pietatem, ut defert honorem parentibus per ſe obligare ſolum in caſu &c. non ſimplicitèr. Loquendo tamen de obſervantiâ ſacrâ Confeſſor procedat ex Eccleſiæ auctoritate. In Tridentino ſeſs. 25. decreto *de Invocatione* &c. declaratur eſſe ſimplicitèr bonum, atque utile (non neceſſarium) invocare Sanctos, confugere ad illos, ob beneficia à Deo impetranda per Chriſtum. Confeſſor ſæpiùs integrè releget illud decretum agens etiam de reliquiis, & imaginibus Sanctorum. Et verò ſi ſuum triplex munus Medici, Judicis, & Doctoris exerceat inter Catholicos, non habebit quid ſpeciale commendandum fidelibus ergà Sanctos, quorum cultui ſunt addicti. At ſi verſetur, ubi etiam vigent hæretici, tùnc maximè indigebit legere Controverſiſtas agentes de cultu Sanctorum, ut poſſit docere pœnitentes, vel alios, quid teneantur ergà Sanctos.

9. D.

9. D. Quia dixisti ex naturâ rei non obligari de actus reverentiæ externæ (qui sunt proprii virtutis Observantiæ) ergà Sanctos, vellem scire, an obligemur ad aliquos hujusmodi actus ex præcepto Ecclesiæ?

M. Ecclesia nos obligat ad aliquos hujusmodi actus externos, & primò obligat universitatem Christianorum ad sanctificandos dies natalitios aliquorum Sanctorum, quibus debetur Dulia, & dies aliquot per annum, in honorem B. Virginis, cui debetur Hyperdulia: secundò ad plures actus tàm Duliæ, quàm Hyperduliæ obligat Ecclesiasticos per recitationem Officii de aliquo Sancto. Quotidiè pluriès invocatur Beata Virgo in quolibet Officio per salutationem Angelicam. Et ad Primam ad *Pretiosa* invocatur, & ipsa, & Sancti omnes. Præterea totum Officium primæ Novembris, & per Octavam est de omnibus Sanctis, etiam Angelis. Notet tamen Confessor, quòd iste Sanctorum cultus præcipitur materialitèr, non formaliter; hoc est, non ut sistens in honore Sanctorum, sed ut refertur in Deum: quare substantia actus est Sancti cultus, at sub ratione Religionis & in ordine ad Deum: quod necessarium est notare ad tollendos scrupulos; nam quia præcipiuntur ut actus Religionis, & per ordinem ad Deum, qui omisit sacrum in die festo S. Joannis, vel officium &c. sufficit, quòd se accuset de omissione festi, vel Officii, nec est necessarium explicare omissionem cultus ergà Sanctum, quia prædictus cultus

tus non per se præcipitur. Atque ita communitèr procedunt Pœnitentes, & Confessor, qui neque confitentur, neque coguntur confiteri, an Officium omissum fuerit Ferię, vel Sancti; &c. quòd si actus contrarios faciant, ob eandem rationem hi per defectum spectant ad irreligiositatem, & per excessum ad superstitionem. Vitia autem de se opposita Duliæ, aut Hyperduliæ sunt innominata, ut dictum est n. 5.

10. D. Quid est Obedientia secunda Virtus, per quam reddimus debitum dirigentibus nos in operando?

M. Dictum est n. 3. quòd alii sunt nostri Directores in actu primo; & alii in actu secundo. Hi sunt, qui nostros actus dirigũt per suũ imperium, vel præceptum; & si sumus eisdem subditi, tenemur obedire, sequendo illorum directionem præceptivam. P. 1. cap. 38. n. 7. data est distinctio inter legem, & præceptum, nec non utriusque diversa obligatio, quæ habenda est ante oculos, ut Confessor sciat, quando pœnitens mortalitèr peccet in transgrediendo Superioris ordinationem. S. Thomas q. 104.

11. D. Cum mortalitèr peccando, semper transgrediamur prȩceptum, semper videmur violare virtutem Obedientiæ?

M. Virtus obedientiæ tendit ad executionem præcepti: quare tùnc violo obedientiam, quando negligo præceptum ut tale. Si non jejuno ob gulam, tùnc violo Abstinentiam: si comedo, quia

quia nolo me subjicere præcepto jejunii, tunc pecco & contrà Abstinentiam, & contrà Obedientiam. Vide dicta p. 1. c 34. n. 12. S. Thom. a. 2.

12. D. Obligatnè sub mortali virtus Obedientiæ ex naturà suà?

M. Obligat sub mortali: nec enim servat charitatem ergà suum superiorem; Habere dominium in homines est majus bonum, quàm habere dominium in res exteriores. Porrò dominium importat, ut re subjectà, in eo, in quo est subjecta, possim uti pro libito voluntatis aliàs regulatè per prudentiam: quare qui non obedit superiori, tollit hoc bonum.

13. D. Quid faciendum, ubi duo Superiores præcipiunt duo contraria, vel duo, quæ non possum simul exequi?

M. Vide regulam generalem stabilitam p. 1. c. 14. n. 3. & S. Thomam a. 4. 5. & 6.

14. D. Obligatnè virtus Obedientiæ pro aliquo tempore indeterminatè?

M. Obedientia ponit actum externum præceptum: quare ex dictis c. 2. n. 2. obligat solum in casu, quando extat præceptum Superioris.

15. D. Videtur, quòd Superior debeat multiplicare præcepta, ut in obediendo subditi meritum majus acquirant?

M. S. Thomas q. 105. a. 1. ad 3. *Prælati, inquit, debent abstinere à multitudine præceptorum*: & 1. 2. q. 107. a. 4. in lege novà ex S. Augustino dicit *esse moderationem attendendam, nè oneroſa reddatur.*

Dicit

Dicit enim Augustinus de quibusdam: Ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis, & pauciſſimis celebrationum ſacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus, adeò ut tolerabilior ſit conditio Judeorum, qui legalibus ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. In illà ep. 119. c. 19. præmiſerat Auguſtinus. *Doleo, quia multa, quæ in divinis libris ſaluberrimè appoſita ſunt, minus curantur, & tàm multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit quàm qui mentem vinolentiâ ſepelierit.* Sanè videbis pluriès caſtigari ſeveriùs tranſgreſſionem leviſſimæ regulæ quàm manifeſta peccata mortalia. Quare Confeſſor alicujus Prælati habens hæc duo monita memoriæ, illa inculcabit Pœnitenti, nè introducatur in lege Chriſtianà mos Phariſaicus.

16. D. Quomodo vocantur vitia contrariè oppoſita Virtuti Obedientiæ?

M. Si quod opponitur per exceſſum, eſt innominatum, nèc de illo agit S. Thomas: Vitium verò contrariè oppoſitum per defectum vocatur Inobedientia: & de hàc S. Thomas q. 105. Advertat Confeſſor, quòd Inobedientia aliquando accipitur privativè, ut ſi v. g. quis præcipiatur facere eleemoſinam, & non faciat: Aliquando accipitur contrariè, ut v. g. in dato caſu, ſi cognoſcens præceptum, habeat actum contrarium, quo contemnat. In utroque caſu de ſe eſt peccatum mortale, ſed in primo eſt peccatum omiſſionis; In ſecundo

eſt

est peccatum commissionis.

17. D. Inobedientia excusaturnè à mortali ex parvitate materiæ?

M. Præceptum, ut præceptum, est actus animæ non habens materiam, & indivisibilis: quare vel contemnitur in toto, vel in nihilo. Et ex hàc parte non potest excusari ex parvitate materiæ inobedientia, sive peccatum sit omissionis, sive commissionis: quare quidquid minimum præcipiat Superior, si habeat veram rationem præcepti, est exequendum. Id tamen, quod præcipitur, aliquando habet materiam; & tùnc si ponatur major pars, & minima prætermittatur, ex parvitate materiæ excusabitur à mortali; v. g. si cui præcipiatur recitare Rosarium, omittat semel salutationem Angelicam.

18. D. Adsuntnè propositiones prohibitæ circà duas hasce virtutes Observantiæ, & Obedientiæ.

M. Contrà Michaelem de Molinos Innoc. XI. prohibuit 65. 66. 67. & 68. circà Obedientiam.

19. D. Adsuntnè censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ contrà peccantes peccatis, quæ opponuntur duabus hisce virtutibus?

M. In primò §. Bullæ Cœnæ excommunicantur, qui *se à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* In reliquis, ubi præcepta imponuntur, considerabit attentè Confessor, nùm transgredientibus adiiciatur pœna excommunicationis.

20. D. Quas Pœnitentias imponet Confessor pœ-

pœnitentibus, qui peccaverint contrà duas haſce virtutes?

M. Excommunicati in Bullà Cœnæ, ut n. 19. non abſolventur, uiſi ſatisfecerint juxtà eandem Bullam. Ubi ſine incurſu cenſuræ quis peccavit, vide dicta c. 37. n. 19. Et ad accendendum corda Pœnitentium in amore obedientię, legatur Catechiſmus p. 3. c. 5. præſertìm à n. 7. ubi totus eſt, ut cum aliis actibus ergà Superiores, inculcet obedientiam.

CAPUT XL.

De Virtutibus Retribuentibus, & Vitiis contrariè oppoſitis.

1. VIrtus non ſolùm habet rectificare hominem reſpectu principiorum, quæ dant eidem eſſe, vel operari ſimplicitèr, quales ſunt Religio ergà Deum, Pietas ergà parentes, Obſervantia, & Obedientia ergà Superiores, ſed etiam reſpectu principiorum, quæ dant eſſe ſecundum quid, qualis ergà beneficiatum eſt benefactor, qui dat eſſe particulare, v. g. eſſe divitem, eſſe honoratum &c. Duo eſſe poſſumus habere ab alio, bonum, & malum: Recipit bonum, qui beneficiatur: recipit malum, qui injuriam ſuſtinet. Utrique debemus reddere proportionatè ad eſſe, quod accipimus. Et ideò virtutes retri-

buentes utrique spectant ut partes potentiales ad justitiam: differentèr tamen à virtutibus, quas præcedentèr enumeravimus. Illæ respiciunt principia nostri esse, vel operari simplicitèr, ideòque in casu, juxtà dicta, nos obligant simplicitèr, seù rigorosè, adeò ut obligent sub mortali. E contrà istæ respiciunt principia nostri esse secundum quid; ideòque obligant secundum quid, scilicèt, non sub mortali, sed ex quadam decentià; convenit enim, ut recompensemus beneficanti nos.

2. Quia igitur ad harum exercitium non obligamur sub mortali, parùm sistemus in earum examine, cum opus hoc dirigatur ad Confessores multitudinis, qui rectè suum munus exercebunt, si de peccatis mortalibus noverint medicari, judicare, ac docere suos pœnitentes; nihilominùs aliquid est dicendum ex pluribus causis, quarum principalior est, quia ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 6. in Confessore *requiritur bonitas*. Hæc porrò conflatur exercitio virtutum omnium; & quidem exerceri possunt dependentèr à judicio *per quandam connaturalitatem*, sed, & plurimùm confert judicium *per rationis inquisitionem*. Insuper in multitudine fidelium adsunt complures, qui à Confessoribus petunt dirigi super exercitio virtutum, etiam non obligantium ad mortale, convenitque ut Confessor illos in confuso saltèm possit instruere, & scire, unde harum ampliorem notitiam possit accipere, ut pleniùs instruat, cùm res exiget.

3. Virtutes retribuentes, ut diximus, duæ sunt,

alia

Digitized by Google

alia vocatur gratitudo recompensans benefactorem; alia vocatur vindicatio recompensans malefactorem. De primà, vitioque oppositò agit Sanctus Th.q.106.& 107.De secundà autẽ agit q. 108.

4. D. Quid est Gratitudo, sive gratia, ut vocat S.Thomas?

M. Est virtus inclinans beneficatum ad recompensandum suo loco, & tempore Benefactores pro beneficio ab illis accepto.S.Thomas q.106.a.1.

5. D. Qui sunt actus gratitudinis?

M S. Thomas a.2. restringit ad tres; attamen claritatis gratià numerabimus distinctè quinque actus specie diversos, & proprios gratitudinis: primus: est *æstimatio beneficii accepti*, principalitèr ex affectu beneficantis: secundus: *benigna acceptatio* per quam honoratur benefactor: Tertius: *Gratiarum actio*: Quartus: *grata commemoratio*, & intrà nos, & cum aliis; ubi se offert occasio: quintus: *Recompensatio* re, vel obsequiis, vel saltèm precibus ad Deum. Primi quatuor actus ex S. Thomà art. 3. debent incipere statìm: ultimus in re debet attendere circumstantias, nè videatur redditio ex justitià. Hìc ultimus debet semper ex a.5. tendere, ut pro posse reddat benefactori aliquid majus, quàm acceperit, servatis tamen circumstantiis personæ, loci, temporis &c.

6. D. Quæ sunt vitia contrariè opposita Gratitudini?

M. Vitium oppositum per excessum est innominatum. At vitium oppositum per defectum vo-

catur *Ingratitudo*, de quà S. Thomas q. 107. Habet sex actus: primus: est *non retribuere beneficium*: secundus: *dissimulare non agendo gratias*: tertius: *oblivisci*, & *nolle agnoscere*: quartus: *Retribuere mala pro bonis*: quintus *vituperare beneficium*: sextus: *beneficium reputare pro maleficio*. Quia gratitudo de se non obligat ad mortale, ideò neque hi actus oppositi de se sunt peccata mortalia, sed tamen sæpè procedunt ex animo aliàs mortalitèr peccaminoso, & sunt dispositiones ad plura mortalia: quare Confessor acritèr objurgabit pœnitentes, ubi in aliquod horum inciderint.

7 D. Quomodo vocatur secunda Virtus, quæ retribuit malum injurianti?

M. Vocatur Vindicatio; estque pars potentialis Justitiæ, distincta à Justitiâ Vindicativa, quæ est pars subjectiva, & de quà dictum est c. 20. Porrò distinguitur à Justitiâ Vindicativa: hæc enim est in habente jurisdictionem: Vindicatio autem potest etiam esse in privato, dummodò, ut dictum est c. 20. n. 3. non se extendat ad inferendum malum injurianti; nàm hìc actus externus est proprius justitiæ Vindicativæ. Virtus igitur vindicationis in eo consistit, quòd ex honestate repertà in satisfaciendo injuriam, quis amet hanc satisfactionem, seù recompensationem proportionatam. Sed pauciſſimi, & fortè nulli reperiuntur, qui ex hoc honesto motivo ament reparationem injuriæ. Non odiunt injuriam; sed personam injuriantem, quod est contrà charitatem; ideò vix potest exerceri hęc vir-

virtus. Adde quòd ista est imperfectior charitate, quòd nullatenùs nos obligat ad suum actum. E contrà Charitas urget nos ad suum quemque actũ perfectiorem. Et ideò Confessor totus erit, ut pœnitens relinquat hunc actum internũ Vindicationis ei, cujus est exercere actum externum, nempè, Deo, qui dixit Rom. 12. *Mihi vindicta: ego retribuã.*

8. D. Quæ sunt vitia contrariè oppositа Vindicationi?

M. Ex S. Th. a. 2. ad 3. vitium oppositum per defectum vocatur *remissio*; & est, quando quis minùs quàm debet, amat recompensationem injuriarum. Vitium oppositum per excessum vocatur *Crudelitas*; & est, quando quis amat injurias recompensari plus, quàm debeat. Crudelitas etiam vocatur vitiũ oppositum per excessum Clementię: sed illud, ut suo loco dicetur, amat pœnas externas, ut tales sũt: Crudelitas, de quà nùnc, amat pœnam, ut satisfactivam, sed excedit volendo pro satisfactione plus, quàm debeatur. Et hæc sufficere possunt Confessori ordinario circà duas hasce virtutes, & vitia illis oppositа.

CAPUT XLI.

De Veracitate, ac vitiis eidem contrariè oppositis.

1. ENumeravimus huc usq; septẽ virtutes cõnexas Justitiæ, nempè, primò: Religionem: secundò: Pœnitentiam: tertiò: Pietatem

tatem: quartò: Obſervantiam: quintò: Obedientiam. Diximus has quinque deficere à Juſtitià, eo quia hęc reddit æquale: at iſtę quinque non poſſunt reddere æquale) ſextò: Gratitudinem, quæ deficit à Juſtitià, eo quia reddit æquale, ſed non rigorosè debitum: ſeptima autem eſt Veracitas, reddens æquale, ſeù proportionatum, ſed ſolummodò ex honeſtate, non toto rigore debitum. De hac, & vitiis eidem oppoſitis agit S. Th. q. 109. ad 114.

2. D. In quo conſiſtit virtus Veracitatis?

M. Ille dicitur verax, qui talis eſt in mente, qualem per voces, & ſigna externa (in quibus locum habent principaliorem voces ad nihil aliud inſtitutæ, quàm ad ſignificandum) ſe exhibet eſſe: Non teneris te exibere, qualem te eſſe Petrus ſcire deſiderat, v. g. petit à te, utrùm comederis, non es mendax, ſi taceas, neque ſi reſpondeas aliud diſparatum, v. g. *hâc nocte dormivi*. Soli enim Superiori legitimè interroganti teneris reſpõdere; Nec dico, quòd Petro interroganti, an comederis poma, ſis mendax, ſi tantùm reſpondeas *Comedi*, nihil addendo de pomis: Nec dico, quòd ſis mendax, dùm Petro coràm multitudine petenti, an habeas domi enſes, & ex circumſtantiis cognoſcis illum interrogare de enſibus aleatoriis, reſpondes te non habere enſes, eſtò tota multitudo accipiat illud nomen in propriâ ſignificatione: Nec dico, quòd nequeas ænigmaticè, metaphoricè, aut myſteriosè loqui, dùm tamen ex antecedentibus, vel conſequentibus appareat per ſigna externa hęc tua intentio in-

interna, sed dico, quòd per virtutem veracitatis teneris esse talis in mente, qualem te esse illi, cui loqueris, ostendunt voces, & reliqua signa externa, quæ adhibes, adeò ut signis externis correspondeat mens interna.

3. D. Licetnè absque ullà violatione veracitatis ex causà urgentissimà uti æquivocatione, aut restrictione mentali?

M. Erat jam ferè stabilitum inter Theologos Modernos, quòd liceret restrictio mentalis, & quòd ex causâ justâ licebat in loquendo uti amphibologiis, & explicabant causam justam esse, *quoties id necessarium foret, aut utile ad salutem corporis, honorẽ, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeretur tùnc expediens, & studiosa*, tamen Innocentius XI. damnando 26. propositionem, declaravit, quòd utens mentali restrictione in juramento *mentitur*; & per 27. quòd causę illę non sufficiunt ad rectum usum amphibologiæ. Hæc unicè Sedes Apostolica determinavit. Extrà hos casus nihil extat determinatũ, sed unicuique licitum est docere, quod magis congruum judicaverit rationi Theologicæ. Propterea Confessor lecturus hoc meum opus, non scandalizetur, si in hàc materià, quæ aliàs ob frequentiam est gravissima, velim uti libertate mihi cõcessâ per Sedem Apostolicam sincerè aperiendi mea sensa; nèc indignetur, si fortè videantur contraria torrenti Doctorum. Paratus sum corrigi; ubi quid meliùs, & saniùs ipsi docuerint, cum hoc tamen stat, quod

Magistris meis proponam difficultates, quas patior in eorum opinione. Igitur existimo in nullo casu licitam esse restrictionem mentalem, aut æquivocationem. Et quòad primum sic arguo. Ex Innocentio XI. ut suprà, *mentitur*, qui utitur mentali restrictione in juramento, nèc fit mendacium per juramentum, sed præsupponitur, & divinum nomen invocatum confirmat illud, juxtà definitionem juramenti traditam c. 34. n. 2. Porrò mendacium est ita intrinsecè malũ, ut nullâ possit honestari causà, etiam urgentissimà. Quòad secundum assumo, quod omnes ultrò concedunt, amphibologiam, seù æquivocationẽ absque ullà pœnitùs causà esse omninò illicitã; & addo ex Innocentio etiam esse illicitã in casibus 27. prop. prohibitis: Inde sic arguo: Hujusmodi æquivocationes in dictis casibus illicitæ, & peccaminosæ, sunt certè contrà aliquam virtutem, nèc potest assignari alia virtus, cui opponantur, nisi Veracitas. Porrò peccatum oppositum per defectum Veracitati, est mendacium omninò intrinsecè malum, & ita malum, quòd neque potest honestari ex causâ salvandi totum mundum. Ex hoc ratiocinio mihi videtur illicita omnis æquivocatio; & qui me velit pertrahere ad opinionem contrariam, priùs ostendat æquivocationes absque causâ opponi alteri Virtuti à Veracitate, & cui opponantur.

4. D. Quid dicis ad innumera exempla, quę pro æquivocatione, aut restrictione mentali opinio cõtraria congerit ex Sacrâ Scripturâ, vel ex Sanctis?

M. In

M. In hoc veluti compendio non poſſunt examinari ſingula; nèc fortè convenit Confeſſori ordinario, in quo non exigitur tanta profunditas, quanta requiritur in intelligendà rectè Sacrà Scripturà, cujus exempla ſi nequis explicare abſque ullà æquivocatione, vel reſtrictione mentali, recurre ad myſterium (cujus *multiplicatio non facit æquivocationem* ex S. Th. 1. p. q. 1. a. 10. ad 1.) juxtà regulam Auguſtini, & Patrum, quòd quæ in Scripturà videntur rationi non congruere, ſint myſticè intelligenda. Tàm circà Scripturæ, quàm circà Sanctorum exempla audiatur S. Th. q. 110. a. 3. ad 3. *In Sacrà Scripturà, ut Auguſtinus dicit, inducuntur aliquorum geſta, quaſi exempla perfectæ virtutis, de quibus non eſt æſtimandum eos fuiſſe mentitos; Si qua tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum eſt ea figuraliter, & prophetice dicta eſſe .. Quidam verò commendantur in Scripturà, non propter perfectam virtutem, ſed propter quandam virtutis indolem, quia apparebat in eis aliquis laudabilis effectus, ex quo movebantur ad quædam indebitè facienda; & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita eſt Holoferni, ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi.* Tamen antequam damnes, conſiderà benè omnia in particulari: quod enim ſecundà Maii, ſextà lectione, Athanaſius ſatellitibus ſe quærentibus reſpondit Athanaſium *non longè abeſſe*, veriſſimum erat in ſenſu litterali, & illæ voces externæ ſignificabant ex ſe, quod erat in mente, licèt ſatellites malè intelligentes decepti fuerint, ſed nõ

per

41

per æquivocationem, aut restrictionem mentalem Athanasii.

5. D. Quot sunt actus proprii Veracitatis?

M. Sunt quatuor: primus est amare veritatem in suis dictis, vel factis, quæ sunt signa, ut dicetur n. 6. secundus nihil significare contrà id, quod habetur in mente. Vides hoc esse præceptum negativum obligans semper, & ad semper (cujus violatio tamen de se non est peccatum mortale, quia hæc virtus ex n. 1. non obligat debito rigoroso) tertius est patefacere judicium suæ mentis ubi aliàs tenemur: quartus est quoad futurum, & in executione, ut, scilicèt, exequamur, quod promisimus, si coucurrant debitæ conditiones ad exequendum. Neque obligamur sub mortali ad hunc actum per se loquendo, nisi ex vi alterius virtutis, ut quando promissio est utrinque acceptata; vel læderetur justitia distributiva, substituendo minùs dignos: etenim tùnc transit in materiam Justitiæ.

6. D. Quæ sūt vitia cōtrariè opposita Veracitati?

M. Vitium contrariè oppositum per excessum est innominatum. At vitium contrariè oppositum per defectum, est in duplici genere, sicut in duplici genere sunt signa, quibus utimur ad manifestandum nostrum internum: utimur enim, & dictis, & factis; cum hàc tamen differentià, quòd voces ex sui naturà sunt inventæ ad siguificandum: facta verò non ex sui naturà, sed ex relatione particulari hominis inducuntur ad significandum.

7. D. Quomodo vocatur vitium per defectū contra-

trariè oppositũ veracitati, quatenùs utimur verbis?

M. Vocatur mendacium; & primò dividitur in jocosum, officiosum, seù utile, & pernicioſum. Jocosum est, quando joci gratià mentimur: Officiosum, quando mentimur pro salute alicujus: Pernicioſum, quando mentimur in damnum. Hoc ultimum, quà damnosum, opponitur aliis virtutibus; quare ex suo genere est peccatum mortale, nisi excuſet parvitas materię, in iis casibus, in quibus habet locum parvitas materiæ: secundò alià divisione mendacium generalitèr sumptum dividitur in Ironiam, & Jactantiam: Ironia (non quæ est Rhetorum figura) est, quando quis dicit minùs, quàm debeat, ut si Minister obligatus dicere Pōtifici qualitates omnes alicujus promovendi, dicat unicam; Jactãtia est, quandò quis dicit plus, quã debeat. Porrò utraq; potest esse jocosa, officiosa, & pernicioſa.

8. D. Quomodò vocatur vitium contrariè oppositum per defectum veracitati, quando utimur factis, tanquam signis?

M. Vocatur Simulatio. Si aeri expono vestes itineri proprias, ne tinea corrodat, non simulo, quamvis alii omnes decipiantur credentes me itineraturũ: non simulo, quia habeo finẽ honestum: At simulo, si exponam, ut id alii credant. Vides ergo, quòd facta non sunt simulatòria, nisi ordinentur ut signa decipiendi. Voces verò, etiam si non ordinentur ad decipiendum, imò etiam si ordinentur in bonum, & utilitatem, (ut mendacia officiosa) sunt verè mendacia. Disparitas est, quia

facta

facta de se non sunt signa; sed dicta sunt unicè signa, nec ad aliud sunt instituta, nisi ad significandum me habere in mente hoc determinatum, quod significant; quare ubi utor illis ad aliud, jam deordino illas à suâ institutione; & sic pecco; nam peccare nihil est aliud, quàm deordinare.

9. D. Danturnè plures species simulationis?

M. Simulatio subdividitur; & alia nomine communi dicitur simulatio; alia Hypocrisis. De Simulatione dictum est: Hypocrisis verò est, quando quis simulat se habere sanctitatem, quam non habet. Si quis communicet in peccato mortali, etiam eò, quia contemnit sacramenta, vel quia discredit Christum esse sub speciebus panis, gravissimè peccat, & in secundo casu, est hæreticus; at non Hypocrita; Erit Hypocrita, si communicet ita volens, quòd ex communione, tanquam ex signo, videntes arguant ipsum esse justũ, quando non est talis.

10. D. Hypocrisis estnè peccatum mortale ex suo genere?

M. Respondet S. Th. q. 111. a. 3. quòd eadem ratio est de mendacio, simulatione, ac hypocrisi: nam hæc tria peccata opponuntur veracitati, quæ non obligat de se sub mortali, quia non ex debito rigoroso, sed honestatis tantùm. Nihilominùs notat per hypocrisim importari duo, & defectum sanctitatis, & simulationem sanctitatis. Igitur si quis quòad primum, ita deficiat à sanctitate, seu justitiâ, quòd non curet se justificare, quando tenetur, peccat mortaliter. Et hoc modo accipitur nomen

men Hypocritæ in Sacrâ Scripturâ; ſed in rigore ſcholaſtico Hypocriſis formalitèr completur in ſecundo: quare ex ſuo genere non eſt peccatum mortale; ſed judicabitur ex adjuncto, ut ſi ſanctitatem ſimulet ad falſam doctrinam ſeminandam, vel ut obtineat beneficium, & modò ſit indignus.

11. D. Adſunt ne propoſitiones prohibitæ circà veracitatem, & peccata eidem oppoſita?

M. Extat directè 27. Innocentii XI. ſed & hanc virtutem tangunt 24. 25. 26. & 28.

12. D. Quas pœnitentias imponet Confeſſor violantibus hanc virtutem veracitatis?

M. Veracitas inſeruit pro materiâ plurium aliarum virtutum, v.g. Juſtitiæ, ſi Teſtis, vel Reus interrogetur: Religionis, ſi dicta confirmentur Juramento. Cautus igitur erit Confeſſor, ubi pœnitens dicit ſe mentitum. Ex hoc veluti genere interrogabit ſpecies, præſertim à mulierculis, quæ mendacio addunt jaramentum, nec de iſto mentionem faciunt, niſi ſpecialitèr interrogentur. Porrò nnde ſint deſumenda motiva, ut pœnitens inducatur ad odium perjurii, dictum eſt jam c. 36. n. 31. Unde autem induci poſſit pœnitens ad odium cujuſcunque mendacii, ſive in judicio, ſive extrà, Confeſſor hauriat ex Catechiſmo p. 3. c. 9.

C A-

CAPUT XLII.

De reliquis duabus Virtutibus annexis Justitiæ, scilicet, Affabilitate, ac Liberalitate, Vitiisque oppositis.

1. VIrtus non solùm ordinat hominem, ut non decipiat suum proximum (quod fit per veracitatem) sed etiam, ut ei cõvivat, qualitèr decet, cùm sit animal sociale. Porrò ex Arist. 8. Ethic. c. 5. *Nullus per diem potest morari cum tristi, aut non delectabili:* Et virtus ad id inclinans propriè vocatur *Affabilitas*, de quà cum vitiis eidem oppositis agit S. Th. q. 114. 115. & 116. Annectitur Justitię, quatenùs respicit proximum, sed deficit à verà ratione justitię, quia Affabilitas non dicit debitum rigorosum: quare nec ex genere suo obligat ad mortale; & per consequens nèc mortalia sunt peccata eidem opposita.

2. D. Quos actus habet Affabilitas.

M. Non est assignare actus determinatos, qui conveniant Affabilitati; solum in genere dici potest, quòd homo non debet esse nimis asper, neque nimis jucundus in conversando cum aliis. Debet considerare personas, tempora, loca, statum &c. Alitèr debet se gerere cum amicis; alitèr cum extraneos primà vice alloquitur. Pessimè faciunt, qui signa arctioris amicitiæ ostendunt ei, quem pri-

primò alloquuntur. Debet conſiderare ſtatum: alitèr enim oportet converſari Religioſum, alitèr Secularem, alitèr Hiſtrionem, aut Mimum. Debet conſiderare tempora; Aliter enim ſe geret in honeſtis recreationibus, alitèr tempore orationis; alitèr in Choro, alitèr in villis. Contriſtabit, quando erit opus, proximum ad bonum illius, exemplo Apoſtoli 2. Cor. 7. *Si contriſtavi vos, non me pœnitet;* præſertim Confeſſor Monialium meminerit illud Eccl. 7. *Filiæ tibi ſunt, ſervà corpus earum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas:* quòd maximè ſervabit in Confeſſionali: dæmon enim ab his incipit, ut ducat ad pejora. Idcircò cavebit ab omni verbo, & actu minùs decente ſanctitatẽ tanti ſacramenti, memor, quòd de quolibet verbo minùs honeſto poteſt, & debet denũciari tãquã Sollicitator.

3. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Affabilitati?

M. Peccatnm contrariè oppoſitum per exceſſum eſt, quando quis plus quam decet (habità ratione loci, temporis &c.) vult in converſatione delectationem afferre proximo; Et ſi hoc fiat ob utilitatem, quam ſibi inde ſperat, dicitur *Adulatio;* ſi verò fiat ob delectationem, quam quis experitur in placendo eidẽ proximo, dicitur *Blanditia*, ſeù *Blandimentum*. Peccatum Affabilitati oppoſitũ per defectum vocatur *Litigium*; quo verbis non veremur contriſtare, plus quàm decet, proximum. Si hoc litigium in verbis oriatur ex defectu charitatis uniẽtis animos, eſt peccatum Contentionis, oppoſitum

Cha-

Charitati, de quà dictum est c. 14. n. 9. At si oriatur ex eo solùm, quòd non curo contristare proximum, in hoc casu opponitur Affabilitati.

4. D. Quid est Liberalitas, ultima virtus annexa Justitiæ, de quà, vitiisque oppositis S. Th. q. 117. 118. & 119.

M. S. Augustinus l. 2. de lib. arb. c. 19. ait pertinere ad virtutem benè uti his, quibus possumus malè uti; & super hac ratione fundati distinximus huc usque diversas virtutes, quia diversis rebus malè, vel benè possumus uti. Primò posuimus virtutem Fidei, quia possumus benè, vel malè credere. Credit malè, qui credit aliquid ut revelatum à Deo, quod non est, vel è contrà: secundò: Spem quia possumus benè, vel malè sperare, præsumendo plus quàm deceat de Misericordià, & Omnipotentià Dei &c. Eodem modo differendum de reliquis virtutibus hucusque enumeratis, & in posterum enumerandis. Cumque pecunia, & bonis externis benè, vel malè possimus uti, propterea Philosophi, ac Theologi Morales agnoscunt Liberalitatem, ut Virtutem, quà inclinamur ad benè utendum pecuniâ (quo nomine veniunt omnia bona, quæ pecuniâ possunt æstimari) Porrò ex duplici capite Liberalitas annectitur Justitiæ: primò: quia est ad alterum: secundò: quia est circà res exteriores ut Justitia; & deficit ab ea etiam ex duplici capite: primò: quia Liberalis non respicit debitum alteri, sed quod est cõveniens sibi: nec enim liberalis donat juxtà necessitatem beneficati, sed juxtà propriam commoditatem;

tem; secundò: quia non attendit debitum rigorosum, sed convenientiam.

5. D. Qui sunt actus proprii Liberalitatis?

M. Ex S. Th. q. 117. a. 3. ad 3. primus actus est moderari passiones nostras internas circà pecuniã, & quidquid mensuratur pecunià, ut, scilicèt, neque nimis, neque minùs appetantur, aut quærantur, aut retineantur, aut profundantur, quàm decet: secundus, & is inter actus externos principalis, ut effundantur pecuniæ in usum proximi, secundum tamen quod decet: tertius, ut expendantur in usum habentis ipsas; hic actus debet præcedere alium tẽpore, sed ille, utpotè perfectior, respectu virtutis est principalior maximè, quia supponit primò unumquemque sibi providisse, ut decet: nèc enim esset verus actus virtutis, si quis quando debet, obliviscereturſui, ut provideret aliis: quartus est, mediis licitis, & convenientibus uniuscujusque statui, providere, & conservare sibi pecunias ad effectum expẽdendi, & erogandi. Art. 4. ad 3. ponit duos versus explicantes naturam Liberalis.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

quare ad erogandum, sollicitè debet curare fructus suarum possessionum, sed nihil ab aliis petere.

6. D. Quod est vitium contrariè oppositum per excessum Liberalitati?

M. Est *Prodigalitas* habens magis dare, quàm deceat, attentis omnibus circumstantiis. In hoc excedit, & deficit in retinendo, seù conservando: nèc

enim conſervat, quando debet, pecuniam. Vide S. Th. q. 119. Hæc enim de Prodigalitate ſufficiunt Confeſſori ordinario, quia de ſe non eſt peccatum mortale, utpotè oppoſita Virtuti de ſe non obliganti ad mortale. In facti tamen contingentiâ Confeſſor ſubtilitèr, & prudentèr interrogabit Pœnitentem, quia hoc vitium ſæpè conjungitur aliis peccatis mortalibus, & præſertìm contrà Caſtitatem; quare ſi pœnitens ſe accuſet de hoc peccato (quod tamen rariſſimè contingit) curabit Confeſſor interrogare, ad quem finem prodegerit ſua, ut habere poſſit perfectè ſtatum Pœnitentis.

7. D. Quomodò vocatur peccatum per defectum contrariè oppoſitum Liberalitati?

M. Vocatur Avaritia, quæ deficit in dando, & excedit in retinendo. Videatur S. Th. q. 118. Neque hoc peccatum ex genere ſuo eſt mortale, juxtà regulam ſtabilitam p. 1. c. 34. n. 6. quia non opponitur virtuti ex ſe obliganti ad mortale, ſi non ſit conjũcta violationi alterius virtutis obligantis ad mortale, quod in praxi ordinariè contingit, propterea-que Confeſſor exquiret prudentèr ab accuſante ſuam avaritiam, nùm, nimis excedendo in amore, ac retentione pecuniæ, violaverit juſtitiam, negando, aut differendo mercedem operariis; nùm violaverit charitatem, retinendo ſua in extremâ neceſſitate proximi, vel in gravi, quando habet de ſuperfluis proprio ſtatui. Præterea ex Avaritiâ, ut Vitio Capitali, habent ordinatiè oriri plura alia vitia. Porrò prudentis Confeſſoris eſt, ad accuſationem unius

unius peccati quærere prudentèr cætera, quæ solent illis annecti.

8. D. Libentèr scirem, quæ sint filiæ hujus peccati Capitalis, scilicèt, Avaritiæ?

M. Ad captum Christiani etiam Rudioris datæ sunt in *Instructione pro ordinandis* c. 12. n. 14. nùnc verò dabuntur ad captum Confessoris ordinarii. Legat S. Th. q. 118. a. 8. qui illas velit ad captum Theologi, scilicèt, habendo illarum processum, & rationem, quare potiùs ista, quàm alia peccata tribuantur Avaritiæ. Igitur septem sunt filiæ: Prima *Proditio*, ut ex avaritiâ Christum Judas prodidit; & importat plusquam unum specie peccatum: Injustè enim proditur patria, amicus &c. unde simùl involvit injustitiam, & fraudem contrà personam: Secunda est *Fraus*. Memento, quod c. 16. n. 5. dictum est fraudem consistere in factis; & est genus comprehendens fraudem, de quâ ibi, & fraudulentiam in emptione, & venditione, de quâ c. 27. n. 2. Tertia est *Fallacia*, seù Dolus consistens in verbis, de quo c. 16. n. 5. & c. 40. n. 7. ubi de Mendacio, Quarta est *Violentia*, de quâ c. 24. n. 8. ubi de Rapinâ, quæ importat Violentiam. Quinta est *Periurium*, de quo c. 36. n. 9. Sexta est *Inquietudo* includens duo genera peccatorum, nempè, Sollicitudinem temporalium, & Sollicitudinem futurorum, de quibus c. 16. n. 7. & 8. Septima est *Obduratio contrà Misericordiam*, seù Obstinatio; Continetur sub quartâ ex blasphemiis in Spiritum Sanctum adductis c. 4. n. 12. Nàm ibi dicitur Obstinatio in omni

genere peccati, & hic specificatur Obstinatio contrà Misericordiam, peccatum dono Sapientiæ oppositum, & omninò inhumanum, estò enim humanum sit aliquando non misereri, bestiale tamen est obfirmare animum contrà Misericordiam.

9. D. Circà Affabilitatem, & Liberalitatem scio non extare propositiones prohibitas, uti neque cēsuras in peccata eisdem opposita, cum ex dictis venialia sint ex genere suo. Unicè igitur restat innuere, quas penitentias imponere debeat Confessor se accusantibus de peccatis contrà prædictas duas virtutes?

M. Motiva reddendi pœnitentes invicem affabiles Confessor ordinarius colliget ab excellentiâ charitatis fraternę, inculcans pœnitenti, quæ præsertim habet Catechismus p. 4. c. 9. à n. 14. ad 18. Vitia autem opposita liberalitati redarguet ex necessitate faciendi eleemosinam, motivis petitis ab eodem p. 3. c. 8. à n. 16. Specialitèr contrà prodigalitatem considerà ibidem n. 19.

CAPUT XLIII.

De Dono Pietatis correspondente Justitiæ.

1. TRiplici adhùc quæstione S. Th. integrat tractatum de Justitiâ, Virtutibusqne annexis. In 120. agit de Epichejà, de quà dictum est c. 18. n. 3. quia est pars subjectiva Justitiæ

stitię legalis; quare visum est commodiùs esse Confessori ordinario, si simùl cum Justitià legali tractaretur. In 122. de præceptis Decalogi, quæ continent materiam Justitiæ, cæterùm, quæ nos obligent virtutes sub præcepto, & ad quos actus, & quos prohibeãt, dictum est suis locis. Igitur unicè restat aliquid dicere circà donum Pietatis, de quo q. 121.

2. D. Quid est Pietas donum?

M. Theologi considerantes virtutem Pietatis respicere patrem carnalem, Pietatis donum Is. 11. insinuatum explicarunt ita, quod habeat respicere Deum, ut Patrem nostrum, qui nos lavacro regenerationis adoptat in filios, ut simus hæredes Dei, & cohæredes Christi. Nulla virtus Moralis habet colere Deum ut patrem: Religio colit ut Creatorem, & Dominum: Pater fit nobis per charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; Et ita habemus posse Deum colere ut patrem ex dono Spiritus Sancti, quod vocatur Pietas. Ut ex virtute Pietatis tendimus in omnes conjunctos patri danti nobis esse filii, sic ex dono Pietatis respicimus omnes conjunctos Deo in ratione filii adoptivi, quos consideramus ut fratres, præcipuè Sanctos ita Deo conjunctos, ut jàm actu, & inamissibilitèr possideant plenitudinẽ hereditatis.

3. D. Qui fructus, & Beatitudines correspondent huic dono?

M. Ex fructibus directè correspondẽt quintus, & sextus, nempè, *bonitas* accepta pro benevolentiâ, & *benignitas* accepta pro beneficentià. Indirectè

correſpondet octavus, nempè, *Manſuetudo.* Circà beatitudines ponderanda eſt Angelici reverentia ſingularis ergà ſuum Magiſtrum Auguſtinum. Ordine ſcientifico deberet correſpondere quarta, & quinta; *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam* &c. *Beati miſericordes* &c. nihilominùs ut ſequatur Auguſtinum, ponit eidem correſpondere ſecundam, nempè, *Beati mites* &c. Hi ſunt perfecti actus doni Pietatis.

4. D. Quæ ſunt peccata oppoſita huic dono Pietatis?

M. Audiſti n. præcedenti datam fuiſſe duplicem correſpondentiam huic dono; alteram ob reverentiam Auguſtini, & alteram propter actus, quos reſpicit. Peccata autem debent opponi dono ſecundũ actus, quos reſpicit. Et ſecundum hoc, dictũ eſt duas beatitudines correſpondere Dono Pietatis, quartam, & quintam: illa, quę abundat in affectu juſtitiæ: iſta, quæ abundat in executione, dans ſuprà debitum, ut Zachæus, Luc. 19. Porrò S. Th. meminit q. 159. a. 2. ad 1. ſolum unius peccati dono Pieratis oppoſiti, quod eſt *Crudelitas*. Cæterùm ex regulâ generali tradita p. 1 c. 34. n. 8. quòd peccata beſtialia, & inhumana opponantur donis, poterit Confeſſor ordinarius intelligere, quæ particularitèr vitia opponantur dono Pietatis. Correſpondet hoc Juſtitiæ, Virtutibuſque annexis; quare peccata his oppoſita, ſi veluti ſint brutalia, erunt contrà donum, & ſaltem notabilitèr aggravabitur ita peccatum, quòd illa circumſtantia erit ſpecialitèr explicanda.

canda. Tale erit fortè peccatum, quo quis occidit mercenarium, qui petit à se mercedem sui laboris, ut hodie vivat, cùm debitor commodissimè possit solvere. Contrà Religionem, si quis verè credens Christum contineri sub speciebus Eucharisticis, ut illum injuriaret, canibus Euchariſtiam manducãdam projiceret, &c. Supersedeo alia explicare. Hujusmodi enim peccata brutalia erant innominata toti Philosophiæ Morali Gentilium; & erubesco me Theologum supponere inter fideles peccata, quę nèc Æthinici poterant cogitare. Ut ut sit, hujusmodi peccata rarissimè contingunt; propterea suprà sphæram hujus operis directi ad instruẽdum Confessorem ordinarium circà peccata, quæ ordinariè contingunt; quare nèc est animus recolendi pœnitentias imponendas pro talibus peccatis.

CAPUT XLIV.

De Fortitudine, ut est Virtus, & Donum, Vitiisque oppositis, Tertiâ Virtute Cardinali, & Dono Spiritus Sancti, Vitiisque oppositis.

1. CONfessori, quanquam ordinario, ut dignè ergà pœnitentes exerceat suum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris, non sufficit callere virtutes Theologicas, quibus homo tendit in Deum, nèc solas duas primas

virtutes Cardinales, Prudentiam, & Justitiam, quarum illa in Intellectu dirigit media ad finem; ista in Voluntate ordinat hominem ad alios extrà se: Requiritur etiam sufficiens notitia sequentium Virtutum Cardinalium, scilicèt, Fortitudinis, ac Temperantiæ. Omnes, malo nostro, experimur, omnia ferè nostra peccata oriri ex inordinatione passionum, quibus appetitus sensitivus excitatur, & trahit voluntatem ad suum objectum talitèr, ut, passione extinctà, sæpè stupeamus, & gemamus nos adeò fuisse debiles; & tùnc quidem diffundimur in mille proposita potiùs in posterum moriẽdi, quàm peccandi, veruntamen reviviscente passione relabimur; Id totum, quia virtute non didicimus moderari passiones; & crediderim præcipuũ Confessoris munus esse, suis pœnitentibus, qui ad ipsum ordinariè accedunt, inculcare moderantiã hanc passionum. At quomodo Magister Moderationis erit Confessor, qui pænitùs ignorat, quòmodo moderandæ veniant, & caret judicio *per quandam connaturalitatem*, utpotè qui nullatenùs illas in se moderatur; sed & judicio *per rationis inquisitionem*, utpotè qui non attingit scientiam duarum hujusmodi Virtutum Cardinalium, Fortitudinis, & Temperantiæ.

2. D. Istæ virtutes ambæ nè indiscriminatim moderãtur quaslibet passiones appetitus sensitivi?

M. Unaquęque virtus moderatur passiones appetitus, in quo exercet suum ultimum actum. Tẽperantia Concupiscentiæ, ut dicetur suo loco: At

For-

Fortitudo moderatur quinque passiones Irascibilis, nempè, Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, & Iram, de quibus dictum est p. 1. c. 32. n. 4.

3. D. Quid est Fortitudo?

M. Nomine fortitudinis primò accipiunt quandoque Patres firmitatem animi in quolibet opere virtuoso. In hoc sensu non est specialis virtus, sed generalis conditio cujuscunque virtutis. Etenim quælibet ex sui naturâ habet firmitèr operari circà suum objectum: & quòd homo deficiat aliquando, id non ex defectu virtutis procedit, sed ex hominis mutabilitate. S. Th. 1. 2. q. 61. a. 4. & hic q. 123. a. 2. Potest secundò accipi, ut importat firmitatem animi ad sustinenda, & repellenda quædam pericula graviora. Hoc modo est tertia Virtus Cardinalis, habens sub se alias virtutes distinctas, & annexas, ut de Justitiâ fuit ostensum; quæ virtutes annexæ distinguuntur juxtà diversa in gravitate pericula sustinenda, & repellenda. In hoc sensu de fortitudine agit S. Th. à q. 123. ad 141. simùl explicans fortitudinem, proùt est donum Spiritus Sancti, de quibus nos agemus in sequentibus. Tertiò accipitur fortitudo pro virtute nobilissimà inter moderativas motuum Irascibilis; & hæc est una specie tantùm; de illàque S. Th. q. 123. & 124. Nosque cum illo in hoc capite.

4. D. Quomodò dignoscitur nobilitas, & excellentia virtutis hujusce?

M. Dignoscitur, quia præ omnibus maximè timemus, & timere debemus pericula mortis: quare no-

nobilissima debet esse virtus, quę habet ita moderari passiones circà hæc pericula, ut ob bonum virtutis aggrediamur magna, vel sustineamus, etiam cum periculo vitę, moderando timorem, ne nimis timeamus mortem, & moderando audaciam, nè aggrediamur plus, quàm dictet ratio virtutis. Porrò se morti exponere ob bonum virtutis, utpotè difficile, est etiam valdè nobile, sed adhùc dari potest aliquid excellentius: etenim qui se morti exponit, ut charitativè subveniat peste infectis, & subvenit ob bonum virtutis, nempè, ut exerceat charitatẽ; quia hoc est valdè difficile, etiam est valdè bonum; sed tamen, quod maximè refugiunt homines, est si cogantur pati, & præcipuè mortem eò, quia sequuntur virtutem. Qui suis peccatis promeretur mortem, virtuosè illam acceptat, & virtuosius Parochus, qui videns imminere sibi mortem, si suum exerceat officium ergà infectum peste, contemnit, ne desit suo muneri, sed virtuosissimum est, si se exponat morti eò, quia hostes nolunt illum exercere suum officium, quod agnoscũt, vel agnoscere possunt esse virtuosum. Hic igitur actus, utpotè nobilissimus, debet esse proprius virtutis principalioris, nempè, fortitudinis, quę primum locum obtinet inter virtutes moderativas Irascibilis.

5. D. Quæ est materia Fortitudinis?

M. Ex dictis apparet materiam remotam esse pericula mortis imminentia ob bonum virtutis ab eo, qui apertè dimicat contrà virtutem, & quia sequimur virtutem. Propterea dicitur fortitudo exer-

exerceri in bello; sub quo nomine venit omnis impugnatio etiam privata, ob sequendam virtutem; & si sit fortitudo Christiana, versatur circà pericula mortis imminentia ob bonum virtutis Christianæ, scilicèt, dependentis, vel annexæ fidei, quatenùs omnis Christiana virtus est quædam protestatio fidei. Materia proxima sunt quinque passiones Irascibilis, ita tamen quòd principalitèr moderetur Timorem, & Audaciam, quæ magis proximè concurrunt ad actus principales Fortitudinis.

6. D. Qui sunt hi actus principales?

M. Sunt duo, nempè, aggredi pericula mortis ob bonum virtutis; & eadem sibi imminentia sustinere usque ad mortem Ex his secundus est principalissimus; & Ecclesia recognoscit, qui hunc secundum eliciunt, uti veros, & proprios Martyres, etiamsi miraculosè non sequatur mors, dummodò talia sint pericula, ut hìc, & nùnc, nata sint inferre mortem. Dicuntur aliquando Martyres, qui subvenientes peste infectis ex charitate, mortui sunt, ut in Martyrologio 28. Februarii. Colitur quasi Martyr S. Lucas, *qui crucis mortificationem jugitèr in suo corpore, pro divini nominis honore portavit.* S. Martini anima dicitur *martyrii palmam non amisisse, & si eam gladius persecutoris non abstulerit.* Hi, & plures alii habuerunt actum internum fortitudinis excellentissimum, ideòque coluntur quasi Martyres, non tamen ut veri, & proprii Martyres, quia non habuerunt actum externum sustinendi mortem. Hujusmodi enim pericula, ob sui gravitatem,

tatem, aliquando faciũt voluntatem retrocedere, ut experimur quotidiè: nàm habentes propositum non peccandi, ex tentatione retrocedũnt. Nec itẽ recolitur ut martyr S. Chrysostomus, qui utique obiit ob vexationes sibi inflictas; At quia Imperator non illum vexabat, ut virtuosum, sed quia illũ credebat reum, ex malis suggestionibus inimicorum Chrysostomi, propterea Imperator non impugnabat illum formalitèr, quia sequeretur bonũ virtutis, sed ex ignorantiâ facti, credebat se illum justè impugnare.

7. D. Ad quàm virtutem spectabat sustinentia Chrysostomi, & illorum, qui objere subveniendo peste infectis?

M. Spectabat ad virtutem Patientiæ, de quà dicendum erit aliquid c. 46.

8. D. Ad quam virtutem spectabat sustinentia veterum Christianorum, qui deportabantur in exilium, eo quia erant Christiani?

M. Ista sustinentia spectabat ad fortitudinem: Hac tamen diversitate servatâ. Si tales erant exilii ærumnę, ut inde sequeretur mors illarum vi, tùnc erant actus principalissimus, & perfectissimus fortitudinis. At si non sint tales ærumnæ, tùnc erit magis, vel minùs perfectus juxtà majorem, vel minorem gravitatem periculorum, quæ patimur ob bonum virtutis.

9. D. Quid dicendum de Militibus, & Ducibus in bello?

M. Duces, & Milites, si militent contrà Tyrannum

num invadentem, quia odio habet bonũ regni, aut Reipublicæ, isti exercent primum actum Fortitudinis Politicæ, qui est aggredi. Si militent contrà Turcham invadentem Christianos, ut deleat nomẽ Christi, erit actus utique fortitudinis Christianæ, sed non actus omnium perfectissimus, & per consequens neque martyrium, estò moriantur in bello, quia armatum, & cum animo aggrediendi, se morti exponere, non est ita perfectum, ut inermem illi obviare.

10. D. Ut sit actus perfectus fortitudinis, requiriturnè, quòd fortis delectetur in ipso actu sustinendi?

M. De fortitudine mirabilitèr. suo more differit S. Th., & volens virtutem hànc penitiùs cognoscere, debet omninò sæpius legere S. Doctorem. Ego tantùm ea decerpsi, quæ videbantur magis proficua Confessori ordinario, cui multùm conferet resolutio præsentis dubii: sunt enim complures Christiani, aliàs pii, qui se in tribulationibus, & ærumnis, existimant non esse fortes, aut patientes, quia non cognoscunt se gaudere in illis; & quòd pejus est, nonnulli Confessores, ab infirmo doloribus acutissimis vexato exigunt, ut gaudeant, vocantque impatientem, si motus aliquos doloris excitet. Igitur ex q. 123. a. 8. nõ est necessarium, quòd fortis, & patiens in tribulationibus gaudeat, sed sufficit, quòd voluntariè non tristetur. Equidem voluntas dùm habet imperare, vel exercere actum virtuosum, habet etiam de illo gaudere, sed non quan-

quando vehementiùs dolet corpus, quia enim corpus animę conjungitur, vehementia doloris corporalis habet impedire voluntatem, ne exeat in actum gaudii: Quòdsi Sanctus aliquis visus est gaudere inter cruciatus, id fuit ex Dei gratiâ speciali.

11. D. Quę sũt partes integrãtes actũ fortitudinis?

M. Omnes virtutes morales ut eliciant suos actus integros, & perfectos, requirunt aliquas conditiones, quæ propterea dicuntur partes Integrales. Ita c. 5. n. 3. diximus esse octo hujusmodi Prudentiæ partes, & c. 8. n. 1. duas partes integrales Justitiæ: quatuor autem assignantur Fortitudini, scilicet, Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia. S. Th. q. 128. a. 1. Duæ primæ integrant actum aggrediendi: secundę actum sustinendi. Notet Confessor, quòd istę quatuor aliquando assumuntur tanquam virtutes annexæ fortitudini; sed nunc nõ differimus de illis in hoc sensu: differemus c. 45. Magnanimitas igitur pars integralis Fortitudinis idem est, ac animus promptus ad subeunda quęlibet, etiam magna pericula mortis. Magnificentia est susceptio voluntaria grandium periculorum mortis, quando illa debemus aggredi ob bonum virtutis, ita quòd ex eorum vehementiâ, in opere non desistat à magna nimitate, quam præferebat sine hoste. Quia verò dum sustinentur hæc pericula, illorum vi posset animus deflectere à magnanimitate, & magnificentiâ, quibus pericula suscepit, propterea tertiò nè deficiat, necessaria est patientia. Sed & quia sępè longitudo tormento-

rum

rum dejicit animum, quem dejicere non potuit gravitas, ideò ad integrandum Fortitudinis actum quartò riquiritur Perseverantia.

12. D. Obligat ne Fortitudo ad suum actum?

M. Obligat nos Fortitudo ad actum internum, seù ad promptam voluntatem, quà simùs parati etiam subire pericula mortis, ubi unum ex his duobus immineret, nempè, vel Deum offendere, vel mori. Vide tamen dicta ex S. Th. de contritione p.1.c.13.n.2. nec enim tentandus est pœnitens; sufficit ista voluntas implicitè major appretiativè ergà Deum, licet intensivè sit major ergà vitam. Ad actum externum Fortitudinis obligamur in casu: Dictum est p.1.c.34.n.6. virtutes tùnc obligare sub mortali, quando sine illis nequit servari charitas; ergo si detur casus, quòd vel charitas esset perdenda, vel vita, obligaremur ad servandam charitatẽ, & ea sine quibus non potest servari charitas, ut est, v.g., fides, sustinere mortem ab hostibus illatam ob bonum virtutis. Unde dicitur dari posse casum, quòd Martyrium sit in præcepto. Idem dic de actu aggrediendi in paribus circumstantiis.

13. D. Obligat ne tùnc per se, vel per accidens?

M. Scio te inquirere id, quia meministi regulam positam p.1.c.38. n.16. quòd obligati per accidens ad aliquem actum, ubi omittimus, non tenemur explicare; verumtamèn debes etiam meminisse, quòd illa dicta sunt obligare per accidens, quæ obligant ratione alterius; E contrà præcedenti n. dictum est obligari nos ad actum fortitu-

tudinis ratione charitatis aut alterius virtutis, quæ sit protestatio fidei Christianæ operantis per dilectionem, quà fides Christiana est: quare Christianus, qui timens occidi à Mahumetanis abnegavit fidem non tenetur in confessione explicare, quòd omiserit fortitudinis actum, sed sufficit, si accuset Apostasiam, & reliqua peccata. Timorem verò mortis fortè tenebitur explicare, quia est circumstantia diminuens rationem peccati.

14. D. Quando sub mortali obligaremur ad actum aliquem fortitudinis, possemus nè excusari à mortali ob parvitatem materiæ?

M. Ubique vis inferere has interrogationes super parvitate materiæ, quasi hoc principalissimè debeat scire Confessor, quando tibi sufficeret meminisse dicta p. 1. c. 36. n. 5. & in reliquis instruere, ac dirigere pœnitentes circà substantiam actus, nèc hujusmodi subterfugia quærere ad excusandũ à mortali, maximè cum id circà fortitudinem excedat intentum hujus operis dirigentis Confessores ordinarios circà ea, quæ frequentèr & non rarissimè possunt contingere in Confessionali. Quòd autem Christianus teneatur ex præcepto ad actum fortitudinis, vix potest contingere inter Catholicos. Attamen volo tibi fingere casum, in quo videatur posse locum habere parvitas materiæ. Dictum est n. 8. quòd fortitudinis actus est non solùm subire mortem ob bonum virtutis, sed etiam subire alia tormenta, & pericula minora, ita quod imperfectior sit actus subire minus periculum;

riculum; sed tamen sit actus fortitudinis, quando imminent pericula ab hoste, seu à persequente in nobis bonum virtutis. Igitur fingamus in odium fidei, hostem tibi comminari amissionem duorum obolorum. Hic potest fingi casus oppositè ad tuam curiositatem, & dico, quòd hostis impetit bonum Fidei, vel alterius virtutis, quod bonum est indivisibile, propterea vel totum perditur, vel nihil; & quò minus malum intentatur, eò gravius peccas, illud non subeundo propter virtutem.

15. D. Quæ sunt peccata contrariè opposita Virtuti Fortitudinis?

M. Audisti n 6. quòd duo sunt actus fortitudinis, nempè, *Aggredi*, & *sustinere*. Porrò utrique assignanda sunt peccata contrariè opposita per excessum, & per defectum. In actu sustinendi debemus principalitèr moderari timorem, ita quòd nèc excedamus, nèc deficiamus in timendo mortem. Est enim timenda, sed moderatè, ita quòd vitam non exponamus, nisi quando est exponenda. Igitur peccatum per excessum contrariè oppositum actui Fortitudinis consistenti in sustinendo, dicitur *Timor mundanus*. De hoc, pro quanto spectat ad instructionem Confessoris ordinarii, sufficientèr dictum est c. 9. n. 2. qui plura desiderat, legat S. Thom. q. 125. Peccatum per excessum contrariè oppositū actui sustinendi, vocatur *Impaviditas*, ratione cujus homo magis, quàm debet, exponit vitam propriā & bona temporalia. Explicato ubi suprà, qualitèr Timor mundanus sit peccatum, Confessor ordi-

narius intelliget etiam, pro quanto sibi sufficit, qualitèr peccatum sit Impaviditas; & ad majorem instructionem leget S.Thomam q.126.

16. D. Quæ sunt peccata contrariè opposita alteri actui Fortitudinis consistenti in Aggrediendo?

M. Peccatum contrariè oppositum Fortitudini per defectum in aggrediendo S.Th.relinquit innominatum: Cajetanus in Commentario nominat *Vecordiam*, quà homo, ut debet, & potest, sive per se, sive per alios, deficit in audendo ad aggrediendum: At peccatum contrariè oppositum per ex. cessum, retinet sibi nomen *Audaciæ*.S.Th.q.127.

17. D. Ista peccata, sive primo, sive secundo actui opposita, sunt nè mortalia ex genere suo?

M. Per regulam stabilitam p.1.c.34. n.6. ex suo genere non sunt mortalia, nisi in casu, quo ipsa fortitudo sub mortali obligaret, atque in tali casu prohibita essent per accidens, juxtà dicta n. 2. de omissione ipsorum actuum Fortitudinis?

18. D Quid est Fortitudo donũ Spiritus Sancti?

M. De hàc agendum esset cum S.Thomà (qui agit de illà q.139.)post omnes virtutes Fortitudini annexas; etenim correspondet omnibus illis, omnesque corroborat; nihilominùs Confessori ordinario facilius erit percipere rationem doni conjũctim rationi virtutis. Igitur memento, quòd n. 11. virtuti Fortitudinis, ut prima pars integralis, est assignata Magnanimitas, quæ est prompta voluntas aggrediendi, seù sustinendi pericula mortis (quę sunt maxima, & omnium terribilia) ob bonum

virtutis

virtutis. Cæterùm ratio virtutis de ſe non habet excitare ad hanc primam partem integralem, & conſequentèr ad reliquas tres dependentes ab hàc primà, nàm principale incitamentum, quo ferimur in tormenta, eſt ſpes per illa perveniendi ad fælicitatem. Infirmus eligit medicinas, ferrum, & ignẽ, ſpe ſanationis, quà ſi deſtituatur, recuſat omnia. Virtus igitur Fortitudinis non poteſt excitare ad magnanimitatem, & reliquas tres partes in ſubeundis periculis uſque ad mortẽ, quia mors tollit omne bonum. Sed jn homine juſto Virtutes Theologicæ oſtendentes illi deberi vitam æternam, in quà gaudebit perfectè de victorià, etiamſi moriatur in præſenti vita, imperant hanc animoſitatem, ſeù fiduciam, ſeù voluntatem ſubeundi omnia mortis pericula, cum tribus aliis partibus integralibus; & ut inclinetur homo ad hos quatuor actus eliciendos movet Deus hominem per donum Fortitudinis.

19. D. Qui fructus, & quæ Beatitudo correſpondet huic dono?

M. Ex Angelico ſequente in omnibus Auguſtinum, huic dono correſpondet quarta beatitudo *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Eſt enim valdè arduum habere inſatiabile deſiderium juſtitiæ, ut juſtitia eſt eadem ſanctitati, ſeù complexo virtutũ omnium. Ex fructibus eidem correſpondent Patientia, & Longanimitas.

19. D. Obligaturnè Chriſtianus aliquando ad actum doni Fortitudinis?

M. In caſu, quo obligaretur ad actum Virtutis,

Timorem,& Audaciam,ideò dandæ sunt Virtutes Moderativæ harum passionum;Aggredi possumus opera, quæ promittant honores magnos, vel quæ, ut compleantur, exigant sumptus magnos. In his aggrediendis moderandæ sunt spes, Audacia, & Timor, nè audeamus suprà vires, & nè nimis deiiciamur. Et ad hoc sunt duæ virtutes,Magnanimitas circà honores magnos, & Magnificentia circà sumptus magnos. Porrò antequàm de illis differamus, notà reperiri apud Philosophos nominatas plures virtutes,ut annexas Fortitudini, sed S.Th. omnes reducit ad quatuor, quarum duæ primariò reprimunt Audaciam, nempè, *Magnanimitas*, & *Magnificentia*: duę reprimunt primariò Timorem, nempè, *Patientia*, & *Perseverantia*. Igitur ad has reducuntur cæteræ,quarum aliquæ nihil omninò ad praxim inservire possunt Confessori ordinario: aliæ, ut *Constantia*, & *Longaminitas*, nominantur frequentèr:nàm de primà nihil est magis commune, quàm disputare de metu cadente in constantẽ virum; & longanimitas,etiam à pueris in doctrinà Christianà connumeratur inter fructus Spiritus Sancti, nihilominùs earum perfecta, & scientifica notitia parùm potest prodesse Confessori ordinario,in cujus beneficium hoc opus ordinatur;quare sufficiat has duas, cæterasque comprehendere sub illis quatuor; quòd si velit Confessor omnium notitiam distinctam, legat Angelicum, & præsertìm de Constantià q. 137. a. 3. de Longanimitate q.136.a.5.de fiducià,& securitate q.129.a.6.& 7.

2. D. Quomodò dicis Virtutem Magnanimitatis tendere in magnos honores: nàm ego credidi, quòd quærere honores esset peccatum?

M. Quærere falsos honores semper est peccatum: at quærere veros honores est virtuosum, dummodò quærantur, ut quærendi sunt, scilicèt, moderatè, ac secũdariò: quid magis honorabile, quàm esse filium adoprivum, & hæredem Dei, ac cohæredem Christi? De hac excellentià in sociis, testimonium, seù honorem (honor enim est signum attestativum excellentiæ) reddunt in patrià singuli Sancti, per amorem, per glorificationem &c Imò, & hìc in vià testimonium reddit sæpè Deus per miracula. Falsus honor est, qui non fundatur in virtute. Verum omnes possumus, & debemus quærere, secundariò tamen, non primariò: Debemus primariò quærere charitatem in vià, visionem in patrià, ad quæ sequitur honor ille cœlestium civiũ &c. Et ità primariò tẽdentes in causam, secundariò tendimus in effectum, causæque proprietates; & tendentes in maximam charitatem, consequentèr tendimus in maximum honorem.

3. D. Si licitum est tendere in magnos honores, etiam erit licitum tendere in mediocres?

M. Dummodò sint veri honores, & tendatur secundariò, juxtà dicta n. præcedenti, etiam hoc debemus; Porrò ad mediocres tendimus per virtutem à Magnanimitate distinctam, & innominatã, quæ dici potest Philotimia. Sanctus Thom q. 129. art. 2. Quare autem debeant esse distinctæ virtutes,

tes, vide dicta c. 14. n. 2. de Syneſi, & Gnome.

4. D. Quomodò dari poteſt virtus tendens in honorem, quandoquidem virtus Chriſtiana in id tendit, ut unuſquiſque deſpiciat ſe ipſum per humilitatem.

M. Virtutes omnes invicèm ſunt connexæ veluti ſorores; quare tantùm abeſt, quòd contrarientur magnanimitas, & humilitas, ut etiam mirabilitèr cohæreant. Magnanimitas Chriſtiana erigit ſpem, ut per moderatam audaciam tendat ad magnos honores, qui ſunt poſſibiles magnanimo non conſiderato ſecundum vires proprias, ſed ſecundū vires ſibi à Deo collatas per gratiam; quod enim poſſumus per amicum, ſimplicitèr poſſumus (præcipuè per Deum amicum, qui nunquam deſerit hominem, niſi prius deſeratur ab homine) Humilitas autem reprimit ſpem, nè præſumat homo tendere ad magna per proprias vires. Propterea quiſque debet eſſe humilis, conſiderando ſe ex ſe nihil poſſe: debet indignum ſe reputare veri honoris, quia ſi meretur illum, meretur ex gratiâ Dei. At ſi cognoſcat in ſe aliquid ex Deo, cum ſummà humilitate, poteſt exigere ſibi honores convenientes ratione talis doni: v. g. Epiſcopus poteſt ſibi quærere, & etiam exigere honores Epiſcopatui à Deo ſibi conceſſo debitos.

5. D. Quæ ſunt proprietates Magnanimi?

M. Plures affert S. Th. totà q. 128. præſertim a. 3. ad 4. in quarum explicatione. Lector plurimùm & delectaretur, & inſtrueretur; Veruntamen pru-

dentis est omnia metiri ex fine. Non est bonus Concionator, qui profundiores Theologiæ quæstiones explicat indoctæ plebi, sed qui loquitur appositè ad ejus capacitatem: nèc debet elevare stylum, eò quòd aliquando ad concionem simùl cùm plebe indoctà possit adventare Theologus, vel alius vir insignis: id enim est per accidens; Prudentia autem aptat media unicuique, secundùm quod consideratur per se, non per accidens. Poterit contingere, quòd opus istud incidat in manus Cõfessoris habentis judicare, mederi, & docere viros insignes, & in magnà dignitate constitutos, qui certè Confessor debebit in primis callere omnes proprietates, & conditiones tùm Magnanimitatis, tùm Magnificentiæ: sed hic erit casus, & per accidens. Libri finis est dirigere Cõfessores ordinarios, & destinatos multitudini fidelium, sufficitque istis Confessoribus in confuso scire naturam Magnanimitatis, & Magnificentiæ. Confessor verò personarum insignium, quod sibi deest pro suo munere, hauriat ex S. Thomà.

6. D. Potestnè Magnanimitas obligare in aliquo casu sub mortali?

M. Possumus obligari aliquando ad aliquid magnum. Ita ex c. 13. n. 12. obligari possumus aliquando ad martyrium: sed ad magnum, ut magnum hìc, & nùnc, (quod respicit Magnanimitas) non possumus obligari, quia non dicitur hic, & nùnc magnum, nisi quod est supererogationis, non necessitatis.

7. D. Quæ

7. D. Quæ sunt vitia contrariè per excessum oppositæ Magnanimitati?

M. Audisti n.2.quòd Magnanimitas duo respicit:primariò quidem opera magna:secundariò autem honores magnos consequentes ad ipsa opera; ex quibus tertiò respectu aliorum sequitur gloria, seù clara notitià illius,qui exercuit opera magna; Possumus excedere in omnibus his tribus.

8. D. Quomodò vocatur peccatum excedens in primo?

M. Vocatur *Præsumptio*,per quam homo suprà vires suas, vel à Deo suppeditatas,erigit suam spē, & animum,ut audeat ad magna.Distin guiturhæc à præsumptione oppositâ Spei Theologicę,de quà dictum est c.10. n. 4. nam Præsumptio Theologica præsumit ad obtinendum Deum: hæc autem præsumit ad obtinendum,quæ sunt magna extrà Deum.Hæc secunda de se non est peccatum mortale. Vide p.1.c.34.n.6.S.Th. q.132.

9. D. Quomodò vocatur peccatum excedens in secundo?

M. Vocatur *Ambitio*, quę est appetitus inordinatus honoris: Ex n. 3. honor mediocris est objectum Philotimię:honor magnus est objectum Magnanimitatis:Et quia hæ sunt duæ virtutes distinctę,etiam Ambitio Philotimię oppositа,erit distincta specie ab Ambitione oppositâ Magnanimitati ex regulà traditâ p. 1. c. 34. n. 7. Sive loquamur de primâ, sive de secundâ Ambitione,adhùc est subdividenda in quatuor species. Primò est appetitus falsi

falsi honoris: secundò: si appetamus honorem verum, & quem non meremur: tertiò: si quem meremur, honorem, appetamus, ut debitum absolutè nobis, & non ut debitum nobis ex gratiâ Dei: quartò: si quiescamus in ipso honore, tanquam in fine. S. Thomas q. 131.

10. D. Qui nam est verus, qui falsus honor?

M. P. 1. c. 31. n. 5. data est Regula generalis, ut dignoscatur, quæ delectatio sit, vel non sit peccaminosa. Stabilitum est delectationem sequi naturam actus. Vide ibi. Regula prædicta debet inservire non solum pro delectatione, sed generaliùs pro omni eo, quod natum est sequi ad aliquem actum, ut sequitur honor ex dictis n. 2. Ille igitur erit verus honor, qui sequitur ad actum bonũ: ille falsus qui sequitur ad actũ malum. Eritq; peccatum quærere honorẽ, qui sequitur ad actũ peccaminosum.

11. D. Hi quatuor modi appetendi honorem, sive contrà Philotimiam, sive contrà Magnanimitatem, suntnè ex genere suo peccatum mortale?

M. Quia virtutes illę non nos obligant sub mortali; propterea ex p. 1. c. 34. n. 6. peccata illis opposita non erunt mortalia ex genere suo, sed solum quando ex aliis capitibus appetitus honoris haberet destruere charitatem.

12. Ultimus modus appetendi honorem positus n. 9. videtur semper esse peccatũ mortale juxtà regulam positã p. 1. c. 37. n. 9., quòd quiescere in creaturà, tanquam in fine ultimo, sit peccatũ mortale?

M. Regula illa est solidissima, nec possumus

fine

sine gravissimo peccato mortali quiescere in creaturà, tanquam in fine ultimo; & adeò est grave hoc peccatum, ut nequeat excusari ex parvitate materiæ: imò, juxtà dicta de Juramento c. 34. n. 4. quò res esset vilior, eò graviùs peccaret homo constituens in illà ultimum finem, ut si quis constitueret ultimum finem in obolo &c. Sed ubi n. 9. diximus hominem peccare quiescendo in honore, tanquam in fine, debet intelligi quòd peccamus, quiescendo in honore, tanquam in fine proximo. Creaturarũ nulla potest amari ut finis ultimus. At quædã possunt amari, ut finis proximus: quædã verò nullatenùs possunt amari, ut finis proximus, sed amãdę sũt unicè, ut mediũ, & ut sunt utiles ad aliud, adeò ut peccatũ sit quiescere in illis, tanquã in fine proximo: Si confessor velit regulam generalem, unde sciat, quæ creatura possit amari, ut finis proximus: quæ verò tantùm sit amanda ut medium; hęc esto. Quæ ex sui naturà dicunt rationem boni honesti possunt amari, ut finis proximus: quæ ex sui naturà sunt indifferentia, ut amentur honestè, vel inhonestè, hæc unicè possunt amari, ut sunt utilia, seù ut sunt media ad bonum honestum. Divitiæ, honor &c. indifferentèr amari possunt honestè, vel inhonestè; propterea debent unicè amari ut media. Proximus, virtutes &c. amantur honestè; propterea possunt amari ut finis proximus; qui vel quò, ut singulis convenit.

13. D. Quomodò vocatur peccatum excedens in tertiò?

M. Pec-

M. Peccatum excedens in appetendo gloriam, quæsequitur ad honorem, vocatur Inanis gloria. Gloria potest appeti, sicut ex n. 2. appeti potest honor, & iisdem modis, quibus ex n. 9. peccamus in appetendo honorem, peccamus etiam in appetendo gloriam; quare nihil est, quòd jam dicta repetamus. S. Thomas q. 132.

14. D. Mihi videtur malefacere S. Greg., qui 31. Moral. c. 31. enumerat inanem gloriam inter vitia capitalia; ex hoc enim deberent poni octo capitalia; cum tamen in *Instruct. pro ordinandis* c. 10. n. 13. ex communi omnium pœnè Christianorum sensu, enumerata sint tantummodò septem?

M. Plurimùm excedis, dum ita loqueris de Sanctis Ecclesiæ Doctoribus. Certè necessarium tibi est sæpiùs legere Angelicum, à quo discres, quàm reverentèr sint suscipienda Sanctorum dicta, qui piè sunt exponendi, etiam ubi videantur scripsisse cõtrà communem sensum aliorum; Innocent. XI. in Bullà contrà 65. propositiones prohibuit censurari Theses adhùc disputatas inter Catholicos Modernos, estò in illis non nemo fortè sit laxior; quantò minùs debes notare Sanctos Patres, qui, velis, nolis, à Deo positi sunt Magistri totius Christianæ Moralis, saltèm quoad principia, licet non individuent casus particulares peccatorum, qui sunt infiniti, & refrigescente in dies charitate, ab eorum temporibus ad nostra creverunt & numero, & gravitate, ut conjicies ex dictis c. 2. n. 4. ubi audisti graviora quædam peccata etiam ipsis Philosophis innominata,

natà , & tamen hodie committuntur non infrequentèr.Estò igitur Sancti Patres non exemplificent omnia, tamen ad omnia decidenda, debes suscipere,& suscipere eorum principia venerabilius, quàm doctrinam Philosophorum , ubi agitur de virtute,non solùm Morali,sed & Christianà.Et ita procedit S. Th.q. 132. a.4. Ait aliquos ponere superbiam,ut primum vitium capitale.Hos sequitur *Instructio pro ordinandis* loco citato , ubi in primis elementis Christianæ fidei rudiores docentur , ut sint capaces primæ Tonsuræ.Hujusmodi elementa erant præponenda his juxtà vulgarem acceptionem ; & secundum hanc , notatum est ibi quatuor vitia capitalia esse mortalia ex suo genere. Addit S. Th. quòd S. Greg. posuit superbiam,ut universalem radicem omnis peccati , etiam capitaliũ, & posuit inanem gloriam, ut primum capitale vitium.In quà acceptione tria tantùm ex capitalibus erunt mortalia de naturà suà, nàm inanis gloria , utpotè opposita Magnanimitati,non est de naturà suà peccatum mortale,juxtà p.1.c.34.n.6.dicta Notà tamen ex S.Th. 1.2.q.84. a.4. inanem gloriam, quæ ponitur capitale vitium etiam includere ambitionem .

15. D. Plura me docuisti satis gravia. Credideram huc usque Theologiam Moralem esse desumendam ex Doctoribus Modernis , uullo habito respectu ad Patres. Tu verò dicis recurrendum ad Patres pro principiis , & studendum Modernis , quatenùs ex regulâ universali Patrum decidunt

ca-

casus particulares. Certè Confessor ita procedens mihi videtur ille pater familias, qui Matt. 13. *profert de thesauro suo nova, & vetera.* Quoniam igitur ita procedendum est, assignà mihi filias *Inanis gloriæ*, ut est vitium capitale.

M. Quæ dixi num. præcedenti, sunt graviora, quàm possit primo aspectu credere præparans se ad confessiones. Quia existimo, quòd hujusmodi se preparanti abundè prodero, si figam in ejus animo debitam venerationem ergà Sanctos Patres, nè sim longior, hoc unum memoro: Si vel in hoc, vel in alio quocunque meo opere, Lector videat me paululùm declinare à Sanctis Patribus, illud retracto, & obtestor meum Lectorem, ut hujusmodi doctrinam omninò reiiciat, quantumcunque fundata videretur: Christianus enim pro fundamento debet habere verbum Dei haustum à Scripturà, vel Patribus: Legat utique hoc opus, qui animo est ita dispositus ergà Patres: qui alitèr disponitur, hoc opus pro illo non est scriptum: Et sequens Patres dico septem esse filias *Inanis gloriæ*. Prima est *Inobedientia*, de quà c. 38. n. 16. Secunda: *Jactantia*, de quà c. 40. n. 7. & S. Th. q. 112. præsertim a. 1. ad 2. Tertia: *Hypocrisis*, de quà c. 40. n. 10. Quarta: *Contentio*, de quà c. 14. n. 9. Quinta: *Pertinacia*, de quà c. 47. n. 6. Sexta: *Discordia*, de quà c. 14. n. 8. Septima: *Præsumptio novitatum*. De Præsumptione dictum est n. 8. Sed filia Inanis gloriæ est ista specialis *Præsumptio novitatum*; quare non genus, sed species conflata, & ex actu, & ex materià, circà

quam

Digitized by Google

quam versatur, oritur ab Inani glorià.

16. D. P.1.c.12.n.12. notasti libros, quos S.Carolus judicabat necessarios Confessori ordinario, & coniicio etiam hanc fuisse mentem S.Archiepiscopi, ut principalitèr suam scientiam Confessores hauriant à Patribus, & deinde ab aliquà Summà moderniore, quam tamen Episcopus utilem judicaret. Tu etiam p.1.c.8.n.1. notasti, quòd S.Caroli monita fuerint adoptata ferè ab omnibus Ecclesiis, quare S.Carolus etiam sensit idem; imò videtur aliquid ampliùs notasse; nàm voluit omnem Doctorem legendum à Confessario esse approbatum ab Episcopo, qui est subditorum Doctor cõmunis à Deo constitutus. Quia porrò membrum debet conformari suo corpori, specialitèr incumbam lectioni Patrum ego, qui sum membrum Ecclesiæ, quæ sibi adoptavit monita S. Caroli. Prosequere tu jàm ex S.Th., qui Patrum omnium in suà Summà est compendiũ, explicare mihi cætera peccata; Et quoniam contrariè per excessum opposita Magnanimitati, jàm explicuisti, explicà nùnc peccata contrariè per defectũ eidẽ oppositа?

M. S.Th. qu.133. unicum nominat peccatum per defectum cõtrariè oppositum Magnanimitati (& etiam eodem nnmine vocatur oppositum Philotimiæ) diciturque *Pusillanimitas*. Peccat hoc peccato, qui habens vires (præsertim à Deo sibi collatas) ad aggrediendum opus magnum, & magno, ac vero dignum honore, deiicit spem suam, nè audeat illud aggredi, quando debet, pensatis om-

omnibus circumstantiis: Humilitas facit non nos aggredi, considerando vires nostras; at si Superior præcipiat, in utilitatem proximi, acceptare Prælaturam; si tùnc nos deiicimus ad non sperandum Dei auxilium; & propterea recusamus acceptare, id procedit ex vitio Pusillanimitatis; quod tamen ex suo genere non est mortale, ut oppositum Magnanimitati.

17 D. Quid est Magnificentia, secunda virtus annexa Fortitudini, etiam respiciens actum aggrediendi?

M. Ex huc usque dictis Magnanimitas habet tendere in magnos honores, & erigere spem, ut audeat opera, quæ sunt digna magno honore. Magnificentia autẽ habet tẽdere in magnos sumptus, erigendo spem, ut audeat opera, in quibus exequẽdis necessariæ sunt magnæ pecuniæ. Sicut ex c. 14. nu. 2. Synefis distinguitur à Gnome, & ex num. 3. Philotimia à Magnanimitate, ita Liberalitas, de quà c. 41. à n. 4. distinguitur à Magnificentià: Hæc sicut Magnanimitas habet actum internum, quo quis, v. g. vult erigere magnum templum; & hìc actus, seù dispositio potest etiam esse in paupere, in quo tamẽ nequit esse actus externus, qui est consumere magnas pecunias in erectionẽ magni operis. Et hæc de Magnificentià sufficiunt Confessori ordinario destinato ad multitudinem; Vide n. 5. dicta de Magnanimitate. Quòd si habeas dirigere pœnitentem aliquem prædivitem, ad opera magna, priùs attentè, ac sæpiùs relege S. Th. q. 134.

18. D. Quæ

18. D. Quæ sunt vitia contrariè opposita Magnificentiæ?

M. Peccatum per defectum contrariè oppositũ dicitur Parvificentia; & est quando quis vel aggreditur magnũ opus; at in eo non vult consumere magnas opes, quales sunt proportionatæ magnitudini operis, vel desistit ab aggrediendo magnum opus, ut convenit, ne faciat magnas expensas. Peccatum per excessum contrariè oppositum à S. Th. vocatur *Consumptio*. Consistit in eo, quòd homo consumat magnas pecunias excedentes omninò dignitatem operis. Videatur S. Th. q. 135. Nullum horum ex suo genere est mortale peccatum. Nec super his aliquid ultrà est necessarium Confessori ordinario.

19. D. Quas Penitentias Confessor debet imponere peccantibus contrà duas prædictas virtutes?

M. Rarissimi sunt, qui possunt exercere actus externos Magnanimitatis, & Magnificentiæ, sed frequentissimi sunt, qui peccant tribus peccatis contrà Magnanimitatem, scilicèt, Præsumptione, Ambitione, ac Vanàglorià. Præsumptio regnat principalitèr inter Ecclesiasticos adspirantes ad beneficia cùm curà animarum. Tamen, & illa duo vera sunt: primò quòd assecuti dignitates hujusmodi plurimùm declamant contrà aspirantes. Ego non crediderim id procedere, quòd optent ipsi perpetuari in Prælaturà, sed potiùs, quia experiuntur gravitatem oneris; & charitativè studeant alios eximere: secundò: quòd pauci se accusant de hac

præsumptione. Ubi pœnitens se accuset de aliquà diligentià in obtinendo Prælaturam, priusquam damnetur peccati, vel mortalis, vel venialis, attētè legatur S. Th. hìc q. 100. a. 5. & q. 185. a. 1. cum Cajetani Commentariis in utrumque; quòd si videat intercedere præsumptionem, huic reprimendæ accipiat motiva ex Appendice ad *Instructionem pro ordinandis* c. 7. 9. 10. & 11. Ut autem eradicet Ambitionem, ac Vanam gloriam, relegat caput sextū Matthæi, ubi sermo Christi totus est contrà hæc duo peccata, figatque pœnitentis memorię verbum illud: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suā.*

CAPUT XLVI.

De reliquis duabus Virtutibus Fortitudini annexis, nempè, Patientià, & Perseverantià, Vitiisque oppositis.

1. PRæcedentes duæ Virtutes versantur circà actum aggrediendi, & erigunt Spē, ut proportionalitèr ad primùm actum Fortitudinis, audeat bona difficilia. Virtutes, de quibus loquendum est in præsenti, versantur circà actum sustinendi, & reprimunt Timorem, ut, proportionalitèr ad secūdum actum Fortitudinis, non succumbat Irascibilis in malis difficilè superabilibus. Licet circà hęc mala diversæ possint versari virtutes, omnes tamen sub his comprehendimus ex ratione traditâ capite præcedenti n. 1.

2. D.

2. D. Quid est *Patientia?*

M. Unicà q. 136. S. Th. agit de hàc virtute, nihil tractans de vitiis contrariè oppositis, quia quod opponitur per defectum est innominatum, quod autem opponitur per excessum, nempè, *Impatientia*, sufficientèr dignoscitur ex ipsà ratione Virtutis. Verum, & ipsum *Patientiç* nomen clariùs patet, quàm explicari possit ulteriori definitione. Nihilominus dicitur *Patientia* esse *rerum arduarum, ac difficilium constans, atque diuturna perpessio;* Relinquendo tamen quæstiones parùm, aut nihil ad praxim conducentes, sciat Confessor ordinarius, quòd verus actus Patientiæ debet elici ex amore Dei, & verus habitus virtutis Patientiæ debet oriri ex habitu charitatis, & gratiæ sanctificantis, ad differentiam aliarum virtutum moralium, quarũ aliquis actus exerceri potest (licèt non omninò perfectus, sed tamen verus (absque amore Dei) & quarum habitus potest esse in peccatore (licèt non sub ratione perfectæ virtutis) Hujus differentiæ ratio est subtilior, quare illam omitto. Legatur S. Th. a. 3. simùl cum Cajetani commentariis. Confessor ex hàc doctrinà videt non esse verè patientẽ, qui ad recuperandam sanitatem, sustinet ferrum, sustinet ignem. Iste omnia sustinet ex amore sui ipsius, qui amor si sit bonus, merebitur in amando se ipsum ordinatè, sed non in patiendo talia, nisi ut subsitat tali recto amori. Sed si patiatur ex amore Dei, tùnc ambo actus boni sunt moraliter ex sui naturà, scilicèt, amor Dei, & Pa-

tientia: quòd si Justus hæc patiatur, tùnc etiam utroque merebitur; imò per secundum satisfaciet Deo, juxtà Tridentinum sess. 14. c. 9. Confessor notet hanc differentiam sustinendi,& alliciat pœnitentes ad amorem veræ Patientiæ.

3. D. Obligamurnè aliquando sub mortali ad exercendum veræ Patientiæ actum?

M. Debemus omnes sub mortali esse dispositi ad sustinenda mala, quæ nobis imminere possunt, ut conservemus charitatem,& nõ peccemus mortalitèr. Ut tamen constat ex dictis p. 1. c. 13. n. 2. & hìc c. 2. n. 12. non est necessarium, imò periculosum tentare hominem de singulis malis. Circà externum actum Patientię, tunc obligamur sub mortali ad sustinenda patientèr mala, quando sine isto actu non posset servari charitas, juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 6. Et quia Patientia nos obligat ratione charitatis, ideò juxtà dicta p. 1. c. 38. n. 16. obligabit per accidens, nec in confessione obligabimur explicare actum Patientiæ omissum, sed sufficiet explicare peccatum mortale, in quod incidimus omittentes actum Patientiæ.

4. D. Ob dicta n. 2. crediderim te nihil habere quod addas circà peccata Patientiæ opposita?

M. Nil sanè habeo, quod addam, unicè restat admonere, quòd Patientia est virtus maximè necessaria omnibus, & singulis, imò & in singulis ferè momentis, necessaria Principibus, subditis, pauperi, diviti, religioso, sæculari &c. Porrò hujus virtutis excellentiam, paucis,& gravibus verbis com-

pre-

prehensam (quò Confessor inflammet pœnitentem ad ejus amorem) accipere poterit à S. Cypriano, in lectionibus secundi Nocturni quartæ Dominicæ post Pascha.

5. D. Quid est Perseverantia ultima virtus annexa Fortitudini, & versans circà actum sustinēdi?

M. Perseverantia sumitur duplicitèr: primò: pro actu finali, quem homo ponit, v. g. agendo de fine universali hominis, dicitur perseverare, qui ultimū suæ vitæ actum liberum ponit in gratiâ Dei, ita quod salvetur. Agendo autem de fine particulari dicitur perseverare, v. g. peregrinus ille, qui, causà voti, susceptà peregrinatione Hierosolimitanâ, ponit actum ultimum; qui est visitare loca sancta; & generalitèr homo dicitur perseverare in aliquo, quoties habens intentionem de aliquo fine, ad quem sunt necessaria plura media, ponat à parte rei finem ipsum: si verò non ponat finē, estò ponat medium proximum, non dicitur perseverare. In hoc sensu perseverantia non est virtus, sed circà finem universalem est donum speciale Dei, quod de condigno mereri potest nemo quantumcūque perfectus. Gratia sanctificans, estò intensissima, ex sui naturâ, nunquā exigit, ut ponatur hìc ultimus actus; quare, suppositâ etiam gratiâ sanctificante procedit ex ulteriori beneplacito Dei, quòd ponatur hìc ultimus actus: secundò: Perseverantia accipitur pro habitu, quo Irascibilis inclinatur ad sustinendas difficultates, quæ incidunt in diuturnitate benè operandi. Confessor agnoscet rationē hujus

virtutis ex casu, qui fortè pluriès illi accidit: Imposuit, v.g. pœnitentiam recitandi per sex menses quotidiè orationem Dominicam; nihilominùs pœnitens petit, ut mutetur sibi prædicta pœnitentia in sex, vel septem Rosaria unicà vice recitanda. Recusat primam pœnitentiam, quia hoc, quod est, eligere duraturam per longum tempus, importat eligere opus difficilius ratione durationis, quàm sit difficilis una recitatio multò plurium Salutationum. Hanc ergo difficultatem provenientem ex diuturnitate eligit sustinere virtus Perseverantiæ, reprimitque Timorem non resistendi, à quo deiicitur. Illius actus internus est electio sustinendi hanc difficultatem: Actus externus est ipsa perpessio, de quorum actuum obligatione dicatur, ut n. 3. dictum est de Patientiâ. S. Th. q. 137.

6. D. Quæ sunt peccata contrariè opposita Perseverantiæ?

M. A S. Thom. q. 138 a. 1. peccatum contrariè oppositum per defectum vocatur *Mollities*, non quæ est opposita Castitati, sed per quam homo nolens vivere diù absque delectatione cedit difficultatibus, quas incurrit in exercitio bonorum operum: Peccatum contrariè oppositũ per excessũ vocatur *Pertinacia* Hęc in eo consistit, quòd homo ita suo sensui adhæreat, ut nolit cedere, quibus debet cedere. Nullum ex his de naturâ suâ est mortale peccatum, sed videndũ est, an cum illis adhùc servetur charitas, vel non: Peccabit mortaliter ille pertinax, v.g. qui sub mortali obligatus alteri cedere,

dere, non cedit, in eo, in quo tenetur. Obligatur homo subiicere suum intellectum definitionibus Ecclesiæ; si ergo non cedat, sed contrarium teneat, ubi scit extare definitionem hujusmodi, statim est. pertinax; & hæc pertinacia est completiva hæresis Tenetur Christianus subiicere suam voluntatem Romano Pontifici, eidem obediendo; si ab hâc obedientiâ se subtrahat, aut recedat, nolēs obedire, ubi scit se obligatum obedire, statim est pertinax, & hæc pertinacia est completiva Schismatis. Ordinariè pertinacia est cum omni peccato formali Inobedientiæ. Propterea semper pœnitens explicare debebit materiam, circà quam est pertinax, ut Confessor agnoscat speciem peccati. Omnis excōmunicatio major præcipuè punit Contumaciam, seù Pertinaciam. Et sanè peccatū hoc de sui naturà est aptum sus deque vertere omnem Rempublicam. Propterea Confessor erit sollicitus removere hoc peccatum, præcipuè à Monialibus, à Religiosis, & ab Adolescentioribus, estò delinquant in minimo: etenim nisi coerceantur, adolescunt in gravissimas quasq; perturbationes, etiam Schismatis, Rebellionis, & Hæresis.

CAPUT XLVII.

De Temperantiâ in genere, ejusque partibus integralibus.

1. ULtima Virtutum Cardinalium est Tēperantia, residens in appetitu concupiscibili, & quòad se, & quòad plures

virtutes sibi annexas. Hujus maximè notitiã debet habere Confessor ordinarius: etenim plurima multitudinis peccata consistunt in violatione hujus Virtutis. De hac in genere, illiusque partibus integralibus, & vitiis oppositis à S. Th. q. 141. ad 146.

2. D. Quid est Temperantia?

M. Nomen Temperantiæ duplicitèr accipitur: primò: pro moderatione, seù temperie, quam ponit homo circà actus sui appetitus. Hoc modo est conditio generalis cujuslibet actus virtuosi: Ut enim sit virtuosus actus, debemus ita refrenare appetitũ, quòd neque nimis, neque parùm feratur in suum objectum: secundò: accipitur pro virtute speciali, quæ habet refrenare appetitum concupiscibilem circà delectationes, gustus, & tactus. S. Th qu. 141. a. 1. 2. 3. & 4. Si quæ verò aliorum sensuum delectationes indigeant refrænari, de consequenti, non principalitèr illas Temperantia moderatur, ut est quòd non nimis appetantur odorosa &c. S. Th. a. 4. ad 3. Delectationes verò spirituales, utpotè bonæ secundum se, non sunt frænandæ, nisi per accidens, quatenùs homo v. g. debet relinquere delectationẽ, quam percipit in studendo, ut applicet se delectationi, quæ percipitur in orando.

3. D. Quam regulam debemus tenere in refrenando hujusmodi delectationes, seù concupiscentias, & desideria delectationum?

M. Eadem mensura nequit assignari omnibus: nàm loquendo, v. g. de cibo, & potu, alius indiget majori, alius minori nutrimento. Loquendo etiam de

de delectationibus tactus, solutus à matrimonio debet omninò abstinere ab omni delectatione cõtrà Castitatem. Ex constitutis in matrimonio, alius propter complexionem, vel propter instantiam conjugis, indiget frequentiùs exquirere, alius autẽ rarius. Igitur eà regula est servanda, ut appetantur quantùm hìc, & nùnc ratio dictat, considerando, complexionem, conditionem, statum &c. Porrò ùt Confessor habeat regulam faciliorem ad discernendum, quando, & quomodo moderandæ sint, meminerit doctrinæ traditæ p. 1. c. 31. n. 5. quòd delectatio sequitur naturam actus: quare ubi nullus actus est ponendus, neque delectatio est expetẽda: ubi actus moderatus, delectatio moderata est expetenda: ubi actus perfectus est ponendus, perfecta delectatio est expetenda. Omne desiderium delectationis debet frænare solutus à matrimonio. *Propter solos filios gignendos*, ut ait Augustinus l. 2. de conf. Evang. c. 1. debet homo inire matrimoniũ; sed plurimùm confert ad perfectionem generandi delectatio vehemens (tamen intrà limites delectationis humanæ) propterea communiter dicitur, quod à patribus doctis, & studiosis nascuntur filii stolidi, quia patres absorpti à delectatione spirituali, minùs incumbunt sensuali; propterea etiam qui nascuntur illegitimi ex thoro furtivo, nascuntur ordinariè imperfecti: nàm timor, nè detegantur infragranti, reprimit vehementiam delectationis à naturà constitutæ, ad perfectionem generandi.

4. D. Obligatnè sub mortali virtus Temperantiæ

rantiæ ad suos actus ?

M. Temperantia est genus sub se continens quatuor species, de quibus differendum est in sequentibus; propterea melius erit huic interrogationi respondere, cum agetur de singulis Temperantiæ speciebus in particulari.

5. D. Quæ sunt peccata contrariè oppositæ Temperantiæ ?

M. Ut virtus ipsa est genus, ita sunt genus peccata Virtuti opposita, subdividenda in plures species. Peccatum excedens in frænando vocatur *Insensibilitas*. Et *qui*, ait S. Th. q. 142. a. 1. *in tantum delectationem refugeret, quòd prætermitteret, quæ sunt ad conversationem naturæ, peccaret quasi ordini naturali repugnans, & hoc pertinet ad vitium Insensibilitatis*, v. g. si ex aversione ad delectationem, homo refugeret comedere sibi omninò necessarium &c. Cæterùm hoc omninò rarum est vitium. Non invenietur, qui refugiat comedere, aut bibere. Quòad concupiscientias matrimoniales, invenietur quidē coniux negans comparti debitum, non tamen ex aversione ad delectationem, sed ut plurimùm ex nimio amore delectationis, unde fertur in alienas, & fastidit suam. Genus peccati excedens in appetendo delectationem vocatur *Intemperantia*. Peccatū, in quod facillimè labimur, à quo difficillimè resurgimus, præsertim qno usque fervet sanguis in venis. Ad illud medendum requiritur magna charitas in Confessore, ubi procedit ex infirmitate: magnus zelus honoris divini, & salutis animæ, ubi

procedit

procedit ex malitiâ, consuetudine, aut occasione proximà.

6. D. Quæ sunt partes integrales Temperantiæ?

M. Ut actus Temperantiæ prodeat integrè, ac perfectè completus, requiruntur duæ conditiones: prima: quòd homo verecundetur de turpi actu, saltem juxtà præsentem statum naturæ corruptæ. Ob pravam inclinationem ad delectabilia sensus, nunquam homo perfectè, aut integrè frænabit suas concupiscentias, nisi præcedat quidam horror de actionibus illis, quæ communiter in hac materiâ reputantur turpes; secundò: requiritur insuper quidam amor, seù inclinatio competens ad ea, quæ communiter in hac materiâ reputantur honesta, seù decora. Porrò non est necessarium terere tempus in explicando, quæ circà hujusmodi materiam censeantur honesta, quæ turpia. Id ipsa natura docet vel rudiores, qui quidem, ubi viget passio, non reflectunt; at expletà passione, erubescunt, imò & horrent, quòd sciatur hujusmodi actio à patribus, magistris &c. Quòd si è contrà aliquo tempore perseveraverint in refrenãdis hujusmodi passionibus, oritur in ipsis quoddam, veluti naturale, gaudium, quòd sectẽtur honestatem. Porrò communiter notaretur, ut brutalis, qui nõ erubesceret de turpibus, vel non gauderet de honesto, postquam cessavit passio. Et hinc Theologi conveniunt, ad integrandum Temperantiæ actum, prœexigi, tanquam conditiones, Verecundiam, atque Honestatem: quæ propterea dicuntur partes integrales Temperantiæ.

tiæ . S. Thomas q. 144. & 145.

7. D. Sufficientèr dixisti de Temperantià in genere, quærerem nunc de Dono illi correspondente, sed irascèris, si turbo ordinem, ut primò tractetur de virtutibus annexis, & postea de Dono.

M. Non irascar, si sequeris methodum S. Th. qui q. 141. a. 1. ad 3. ponit Temperantiæ correspondere donum Timoris, quod ex c. 9. directè respondet Spei, & indirectè Temperantiæ, quia frenandis concupiscētiis maximè necessarius est Timor, juxtà illud Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas: à mandatis enim tuis timui*. Et quia boni consulo, si quid petas ordinatè, repeto hic omnem correspondentiam. Prima Beatitudo cum 10. 11. & 12. fructu, & cum septimà petitione Orationis Dominicæ respondet Timori, & hic Spei, ac Temperantiæ. Secunda cum fructu 5. 6. 8. & cum 6. petitione respondet Pietati, hæc autem Justitiæ. Tertia cum 9. fructu, & 5. petitione respondet Scientiæ: hæc autem Fidei. Quarta cum 4. 7. fructu, & cum 4. petitione respondet dono ac virtuti Fortitudinis. Quinta cùm fructu 5. 6. & 3. petitione respōdet dono Consilii: hoc autem Prudentiæ. Sexta cum 9. fructu, & 2. petitione, dono Intellectus, & hoc Fidei. Septima cum 1. 2. 3. fructu, & 1. petitione, dono Sapientiæ: hoc autem Charitati. Octava Beatitudo est repetitio aliarum.

CA-

CAPUT XLVIII.

De primis duabus speciebus Virtutum contentarum sub genere Temperantiæ.

1. IN explicatione Virtutum plura fortè desiderabunt Scholastici, ut clariùs earum distinctio, & munus appareat; verumtamen totiès repetitum est finem esse mensuram mediorum. Sanè distinctiùs illas examinarē, si scriberem pro scholis; At meus finis est colligere; quæ magis conveniunt Confessori ordinario, cui instruendo imò convenit intacta dimittere subtiliora, & nihil conducentia ad praxim: E contrà sæpiùs inculcare magis obvia, & necessaria ad praxim; Ad hunc finem utor terminis, ex quorum repetitā usurpatione Confessor ordinarius facilè possit venire in cognitionem sui muneris, v.g., in toto præcedenti capite, & in titulo præsentis, nominavi non absolutè Temperantiam, sed genus Temperantię, quò Confessor dignoscat pœnitentem non sufficientèr se accusare, si dicat se commisisse sex actus, v.g. Intemperantiæ: nam ex illo termino *Genus* facilè cognoscit nō se sufficientèr explicasse, qui ex Tridētino adducto p.1.c.5.n.30. scit de fide esse, quod explicandæ sint infimę species peccatorum; & ex Rituali c.7.n.9. prudentèr interrogandas esse species, ubi eas pœnitens non expresserit sufficientèr.

2. Quia

Digitized by Google

2. Quia verò multùm juvari poterit Confessarius ex ordine, ideò, ante omnia, brevitèr insinuandum est, quomodò accipienda sit distinctio specifica virtutum, quæ dividunt genus Temperantiæ. Audisti c. 46. n. 3. genus Temperantiæ in eo principalitèr versari, quòd juxtà rectam rationem moderetur concupiscentias delectationum tactus, & gustus. Horum sensuum actiones, majori quàm aliorum sensuum actiones, delectatione natura cõdivit, quia magis necessariæ sunt ad conservationem animalis, & hinc magis delectant actiones tactus, quàm gustus, quia actiones tactus necessariæ sunt ad conservationem speciei: actiones verò gustus ad conservationem individui: Natura autem optima Institutrix voluit nos magis fovere ad bonum commune consistens in conservatione speciei, quàm ad bonum particulare consistens in cõservatione individui. Primò igitur Temperantia dividitur in Virtutes, quæ moderantur concupiscentias Gustus, seù ordinatas ad conservationem individui, & in virtutes, quæ moderantur concupiscentias Tactus, seù ordinatas ad conservationem speciei. De his differetur in sequentibus. Duę autem sunt species infimæ Virtutum, quę moderantur delectationes gustus, nempè, *Abstinentia*, & *Sobrietas*.

3. D. Quid est Abstinentia?

M. Abstinentia, ut virtus moralis, habet moderari concupiscentias gustus, ne homo plusquam decet rationem, hìc, & nùnc, consideratis omnibus cir-

circumstantiis, utatur cibo, aut potu. Medicinæ est moderari cibum, & potum, ut confert ad sanitatem. Abstinentiæ autem moderari, ut est consonum rationi. Medicinalem moderationem subordinat virtuti Abstinentiæ, qui utitur cibis ad conservandam sanitatem, quia hanc servare est consonum rationi. S. Thomas q. 145.

4. D. Cum dicis Abstinentiam moderari cibum, & potum, confundis abstinentiam cum sobrietate, cujus est moderari potum?

M. Non confundo, sed imò cum S. Th. q. 149. a. 2. ad 1. magis enucleo distinctionem specificam utriusque virtutis. Igitur Abstinentia moderatur usum potus, ita quòd ob delectationem in bibendo, mensuram rationis homo non excedat. Sobrietas autem moderatur usum potus, ita quòd ex immoderato potu non impediatur usus rationis per ebrietatem; quare Abstinentia impedit delectationem: Sobrietas impedit nocumentum in usu rationis.

5. D. Quomodò vocatur actus principalis Abstinentiæ?

M. Vocatur Jejunium, de quo S. Th. q. 150. Valet ad tria: Primò ad frænandas concupiscentias carnis; etenim *sine Cerere, & Bacchо friget Venus*: ut & ratio naturalis dictat: secundò, ad faciliùs elevandam mentem in Deum: experimur enim quòd ventre pleno vix possumus incumbere ad negotia etiam sæcularia, quantò minùs orationi: tertiò ad satisfaciendum pro peccatis. S. Th. a. 1. etenim hoc ha-

habet ratio naturalis, ut satisfaciens alteri diminuat aliquid sibi; Ad conservandam sanitatem eligimus abstinere à cibo, plusquam noster status exigat. S.Th. a.1. ad 2. Porrò ad jejunium obligamur lege naturæ, si concurrat aliquod ex tribus prædictis motivis. Per primum obligamur, quando, nisi jejunemus, esset periculum proximũ violandi castitatem. Per secundum obligamur, quando sine jejunio, instante orandi præcepto, non possemus orare: per tertium obligamur, quando sine jejunio, instante præcepto, satisfaciendi Deo, nõ possemus satisfacere. Ex his apparet primò, quòd jejunium lege naturæ præceptum obligat per accidens, & ratione alterius virtutis. Ideò vide dicta p.1. c.38. n.16. secundò apparet jejunium lege naturæ præceptum non importare abstinentiam cibi, aut potus determinati, sed lex naturæ in genere tantùm præcipit abstinere ab eo cibo, & potu, quo si uteremur, deficeremus in aliquo ex prædictis tribus. S. Thomas q. 150. a.3.

6. D. Extatnè præceptũ Ecclesiasticũ jejunãdi?

M. Extat utique inter alia Ecclesiæ præcepta. Ut autem de illo demus, quæ conferunt ad praxim hodiernam. Duo præcepta jejunium importat, alterum negativum, & alterum affirmativum. Utriusque violatio importat duplex peccatum; peccato enim commissionis violatur primum, & peccato omissionis violatur secundum. Porrò ex p.1.c.34.n.3. peccatum commissionis, & omissionis differunt, non tantùm specie: sed & genere.

7. D. Quod

7. D. Quodnàm ex his duobus præceptis est principale in jejunio?

M. Principale est negativum, vi cujus in omni jejunio præcipitur abstinentia carnium; & in quadragesimà præcipitur etiam abstinentia ab ovis, & lacticiniis, extrà tempus quadragesimæ secunda hæc abstinentia non est in præcepto universalitèr, sed juxtà consuetudinem locorum. Et adhùc *principaliùs* in quadragesimà ex S. Th. q. 147. a. 8. ad 3. *interdicuntur carnes, quàm ova, & lacticinia*. Hinc inferas deobligatum ab ovis, non deobligari ab unicà comestione cadente sub præcepto affirmativo. E contrà multi tenent deobligatum à carnibus, cui commodè sufficit unica comestio; ad hanc obligari. Et sanè id suadebit Confessor ex multiplici capite, sed nisi aliud præcipiant Ecclesiæ Prælati, in jejuniis jam præceptis, deducitur non extare hanc obligationem sub mortali ex doctrinà prædictà S. Th., nam remoto priori, & principaliori, removetur posterius, & minùs principale; cum ergo in jejunio principale sit abstinentia carnium, hujus obligatione cessante, cessant cœterę obligationes minùs principales. Sed quia Eminentissimus Cardinalis Vicarius in edicto Quadragesimę hujus anni 1703. innuit deobligatos à carne teneri ad unicam comestionem, si commodè possint, Confessor id inculcet, non quærens an sit vetus præceptum, vel de novo expressum.

8. D. In quo consistit præceptum affirmativum jejunii?

M. Consistit in eo, quòd si velimus comedere, semel tantùm in die comedamus. Non præcipimur comedere; posset enim quis absque cibo transigere à mediâ nocte ad aliam mediam noctem, sed supposito, quòd velimus comedere, præcipimur comedere tantùm semel. Et ita quidem servabatur tempore etiam S. Th. nihilominùs crescente complexionis humanæ debilitate, introductum est leve jentaculum in vesperi jejuniorum, de quo neque Canones loquuntur, neque ullus ex Doctoribus approbatis positivè ab Ecclesiâ: Ultimi enim approbati fuere S. Th., & Bonaventura, quorum diebus nec verbum de isto levi jentaculo; nunc tamen licet ex universaliſſimâ Ecclesiæ consuetudine. Porrò de isto levi jentaculo plura videbis in omnium pœnè Casuistarum libris, præsertim quærentium quot uncias, & quarum rerum possimus comedere. Omnia ego hæc omitto, quia tibi ad plenũ satisfacient, prædicti, & quando sis adeò pauper Sacerdos, ut de illorum libris tibi providere non possis, quę consuetudo piorum te docuit licere hoc jentaculum, eadem te docebit etiam, quæ liceat quantitas, & qualitas, præsertim si memineris dicta n. 5. quòd in satisfaciendo per jejunium, debemus diminuere aliquid nobis de cibo aliàs non immoderato, dummodò non omnimodè necessario; & quid esset diminuendum, determinavit Ecclesia, & consuetudo.

9. D. In tàm exactà descriptione præceptorum jejunii, videris mihi excessisse fines tibi præscriptos in-

instruendi præparantem se ad confessiones: illa enim exacta descriptio magis congruit Scholasticis in Cathedrà, quàm Confessoribus ad praxim in Confessionali?

M. Non est ita, ut credis. Nisi omnia illa distinctè sciat Confessor, deficiet in exercendo suum munus Judicis, non interrogando speciem, & numerum peccatorum. Sciens ex duobus præceptis aliud esse affirmativum, aliud negativum, vides primò se accusãtem de violatione jejunii, esse interrogandum, an violaverit in solà quantitate, vel etiam in qualitate: & si in qualitate, an comedendo lacticinia, vel etiam carnes; explicando se carnes comedisse, non debet ulterius inquiri, an etiam comederit ova, eo quòd principale trahit ad se minùs principale, non è contrà. Ex hac ratione diversi specie sunt actus morales comestio ovorum, & comestio carniũ; quare specialitèr aperiendi in confessione; secundò: comedens ova, & carnes, debet explicare quotiès in die comederit, quia præceptum negativum obligat semper, & ad semper: violans jejunium in quantitate, estò deciès comedat, committit unicum peccatum, quia est præceptũ affirmativum nõ obligãs ad semper: quare jejunio semel violato non multiplicatur peccatum: tertiò: qui è loco, ubi jejunatur, accedit in locum, ubi non jejunatur tali jejunio particulari, non tenetur (nisi accedat in fraudem) jejunare in hoc loco.

10. D. Apposuisti parenthesim illam *non in fraudem*, opto scire, quando diceretur ire Tus-

culum in fraudem jejunii?

M. Tu velles in quàlibet particulari materiâ audire determinatas responsiones ad omnia, quæ possunt opponi ex principiis universalibus. Hoc autem primò exigit molem immensam librorum: secundò, quod pejus est, ostendit, te superficialitèr tantùm legisse principia universalia: qui enim ea callet, non indiget sibi ab altero applicari in omni materiâ, sed illa per se applicat: Hoc, quod est facere aliquid *in fraudem*, potest contingere in plurimis materiis; quare ergo non plenè percepisti dicta p. 1. c. 18. n. 18. Relege illa. Ego nolim reddi celebris, quòd impleverim plures tomos, quando dedi sufficientèr principia, per quę cum modicâ reflexione, ad illa, Confessor animadvertens, potest in omni materiâ solvere casus contingentes.

11. D. Quibus diebus tenemur jejunare, & quâ horâ possumus comedere in die jejunii?

M. Non possum non acritèr excandescere, quando præparans se ad confessiones, idest, ad exercendum munus Doctoris in Ecclesiâ Dei, se rudem ostendit in iis, quæ tenetur scire quilibet Christianus. In *Instruct. pro ordinandis* c. 10. n. 54. habes, quòd in Examine Romano reiiceretur tanquam in idoneus ad primam tonsurâ, qui ignoraret præcepta Ecclesiæ, in quorum secundo exprimuntur determinatè dies jejunii; & tu illos ignorans, quomodo in eodem examine speras reputari idoneus ad instruendum pœnitentes, etiâ de majoribus. Audisti p. 1. c. 35. n. 13. quòd Sacra Congregatio sta-

ſtatuit Eccleſiæ præcepta eſſe proponenda etiam Catechumenis, vide, nùm deceat ea eſſe ignota Cõfeſſori. Quòd ſi de jejunii diebus interrogaſti, ut ſcires, quare potius iſti, & non alii dies aſſignati ſint jejunio, tùnc verè ageres Theologum; ſed quia non eſt omnimodè neceſſarium Confeſſori ſcire hanc rationem, ſuperſedeo, vide S. Thom. q. 147. a. 5. & quòad horam comedendi a. 7. ubi equidem S. Doctor præcisè non exprimit, an peccaret mortalitèr, qui ſummo manè vellet facere unicam comeſtionem; ſed id declarat, & probat Cajetanus; quare tantùm peccaret venialitèr, qui ſine causà præveniret meridiẽ aliquo brevi tempore; nullatenùs peccaret, ſi ex aliquà causà præveniret; ſed ſi notabilitèr præveniret abſque causà, peccaret mortalitèr.

12. D. Tenenturnè omnes ad jejunia Eccleſiæ?

M. Ex S. Th. a. 4. tenentur omnes, exceptis illis, qui non poſſunt ſine magno incommodo, & ſi cauſa ſit evidens, & manifeſta, nèc de facili recurſus haberi poſſit ad ſuperiorem, ex ſe poterunt frangere jejunium. Ubi verò poteſt haberi recurſus ad Superiorem, Confeſſor objurget acritèr pœnitẽtes illos, qui præſertìm in quadrageſimà, non curant petere licentiam à Superiore, convenit enim, ut ſaltèm in hoc oſtendant ſuam reverentiam, & obedientiam ergà Eccleſiam; maximè quia ad id inſiſtente ſegnius Confeſſore, quilibet judicabit ſe cauſam habere legitimam, quando nulla ſubeſt; ſed in dubio recurrendũ omninò eſt ad ſuperiorẽ, *qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi*, ſcilicèt, in

talibus dubiis: quare inferior debet se ponere in tuto,& Superior,ubi est dubium, potest dispẽsare; non solùm in casu certo; Prosequitur S.Th. enumerare illos, qui sunt excepti à præcepto affirmativo unicæ comestionis; & primò nominat eos, qui nondum pervenerunt ad annum vigesimum primum. Conclusionis omninò certæ, & communis vide rationem apud ipsum. Nonnulli excipiunt sexagenarios. At de his neque Canon extat, neque Doctor Ecclesiæ probatus. Tu illos hortare ad jejuniũ, quòusque possint sine magno incommodo: secundò: excipit operarios, qui multùm laborantes (notà ly multùm) pro vità corporali, vel pro necessario ad vitam spiritualem, commodè non possunt differre ad aliud tempus laborem, cum quo incompatibilis est unica comestio. Si autẽ in festis quadragesimę indigeant hi multiplici comestione, ad conservandas vires, ut laborent in diebus feriatis, non tenebuntur jejunare. Tertiò: excipit peregrinos, ubi adsint eadem necessitas, & incompatibilitas. Quartò: excipit sub iisdem conditionibus, itinerantes, qui tamen faciunt *magnas diætas* (notà hoc,& insuper quòd hoc magnum iter de se debet esse incompatibile cum jejunio) vult tamen etiam in his casibus recurrendum esse ad superiorem, *nisi fortè ubi est ita consuetum, quia ex hoc, quòd Prælati dissimulant, videntur annuere.* Quintò: excipit pauperes, qui frustatim eleemosinas mendicant, qui non possint simul habere, quòd eis sufficiat ad victum diurnum; cæteros, qui possunt habere sufficien-

cientẽ victum in unicà comestione dicit obligatos.

13. D. Probibeturnè potus in jejunio Ecclesię?

M. Jejunii pro communione præceptum est negativum interdicens, vel minimum cibum, aut potum: præceptum unicæ comestionis est affirmativum; & in hoc Ecclesia non prohibet potum. Notà tamen quòd nomine potus venit frigidum, & humidum. Sitis enim (cui extinguendæ potus adhibetur) à Philosopho definitur appetitus frigidi, & humidi. Carnes per stillicidium ita eliquantur, ut appareant aqua, & cùm liquida sint, non bibuntur propriè, sed sorbentur. Igitur, quod est liquidum, non se habet per modum potus, nisi sit ad extinguendam sitim: hìnc plura ex te decides in particulari. Electuaria neque prohibentur in die jejunii, nisi assumantur *in magnâ quantitate*: nàm tùnc fieri videtur in fraudem. S. Th. a. 6. ad 2. & 3.

14. D. In violatione jejunii excusatnè à mortali parvitas materiæ?

M. Quòad præceptum affirmativum unicæ comestionis, materiæ parvitas excusat. Quæ autem quantitas faciat parvitatem materiæ, relinquo prudẽtũ judicio, nèc volo definire, ob dicta p. 1. c. 36. n. 9.

15. D. Dispensatus ad càrnes, potestnè absque violatione jejunii Ecclesiastici comedere quascunque carnes?

M. Lector attende, quia passim invenies apud Casuistas, quòd præcedente judicio Medicorum de licentià Superioris dispensatus ad carnes, non peccat contrà præceptum negativum Ecclesiæ, si

comedat quascunque carnes, sed solùm peccare contrà naturale præceptũ abstinentiæ, si comedat carnes insalubres, eritque, ut plurimùm, veniale peccatum, nisi maximè noceret suę sanitati, quod tamen est rarissimum. Tu autem ex nùnc in posterum tene, quòd comedens carnes insalubres dupliciter peccat, primò còntrà naturale præceptum; & hujus gravitas metienda erit ex damno, quod infert propriæ sanitati: secundò: contrà præceptum Ecclesiæ: nàm omnes opiniones, quę super hoc circumferebantur, suppressæ remanent ex decreto, quod de ordine Sanctiss. D. N. Clementis Papæ XI. publicavit Eminentissimus, ac Reverendissimus D. Cardinalis Vicarius ann. 1702. 24. Februarii, cujus decreti particulam ad id spectantem subiicio.

16. *Animadvertant, & Medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitati carnium, quòd, nempè, sint salubres, QUIA HÆ SOLUM PERMITTUNTUR IN QUADRAGESIMA, bis qui ex justà causà, nequeunt vesci cibis quadragesimalibus: quòd si necessitati potest subveniri per ova, & lacticinia, nèc Medici debent permittere, nèc fideles adhibere carnes, ETIAM SALUBRES Qui toto anni tempore, abstinent à carne, diebus Veneris, & Sabbathi, Quatuor Temporibus, nec non Vigiliis de præcepto, multò magis, si prædicti dies incidant in quadragesimà DEBENT ABSTINERE A CARNE, excepto, si nova superveniens causa aliud exigat. Cumque super hoc nequeat stabiliri Regula fixa, & determinata,*

ta, debet quisque primò considerare suam necessitatem, suasque indispositiones, ita ut non sint affectatæ, cum reddituri sint rationem Deo, coram quo nihil valebunt licentiæ ex causis, vel suppositis, vel fictis. Hæc decretum, vi cujus resolvuntur innumeri casus olim examinati à Casuistis; Equidem scio, quòd alii ex hoc consurgant examinandi, ut contingit in omni lege, cujus verba pariunt novas quæstiones; verùtamen si Confessor sit prudens, & affectus ergà pœnitentiam Christianam, ita diriget suos pœnitẽtes, ut primò reverentèr suscipiant decreta Ecclesiæ: secundò: non quærant hujusmodi licentiam sine magno incommodo salutis corporalis, & ex prudenti, fundatoque judicio Medicorum: tertiò: ipsi Confessores diligentèr examinabunt, candidèque, & apertè pœnitenti enunciabunt ipsum peccare mortalitèr, ubi operetur contrà formam prædicti decreti.

17. D. Fateor mihi gratissimum accidere hujusmodi decretum: erat enim tanta varietas opinionum super his, ut desperarem me figere pedem, si aliud non habes circà virtutem Abstinentiæ, dic aliquid de secundà Virtute moderante concupiscentias gustus, quæ ex n.2. vocatur *Sobrietas*?

M. De Sobrietate agit S.Th.q.149. Est virtus, quà moderamur ita potum, ut non noceat usui rationis. Ita moderari potum, ut non delectemur inordinatè in illo, spectat ad Abstinentiam, ut dictum est n.4. Ita moderari, seù ordinare potum, ut nõ tollat usum rationis, hoc spectat ad Sobrietatẽ.

18. D. So-

Digitized by Google

18. D. Sobrietas obligatnè sub mortali ad aliquem actum?

M. Hæc virtus positivè non obligat nos ad aliquem actum, cujus omissio sit peccatum mortale ob dicta p. 1. c. 34. n. 6. sed tamen obligamur per illam ad non ponendum actum contrariè oppositū per excessum; de quo tamen est dicendum capite sequenti; cujus doctrinam apprimè callebit Confessor: nam pro suo munere circà virtutem nihil, ultrà dicta, est illi necessarium, sed benè circà peccatum contrariè oppositum.

19. D. Quoniam sola Abstinentia sub mortali obligat ad suum actum, non quæro, an censuræ vel reservationenes sint contrà violantes Sobrietatem in omissione sui actus, quia optimè scio excommunicationem majorem, & reservationem ferri solum super peccato mortali; quare circà utramque virtutē quæro solùm, an adsint propositiones prohibitæ, & an violatio jejunii Ecclesiastici subjaceat excommunicationi, vel reservationi?

M. Peccatum omissionis contrà virtutem Abstinentiæ, ut præceptæ ab Ecclesiâ, nulli subditur censuræ, aut reservationi universalitèr loquendo; cæterùm accuratus Confessor examinabit semper statuta Diœcesis particularis, in quâ audit confessiones. Circà propositiones prohibitas adduco hìc solùm, quæ tangunt directè jejunium ab Ecclesiâ institutum: quæ verò tangunt peccatum gulæ inuentur sequenti capite. Igitur memento ex n. 6. in Ecclesiæ jejunio esse duplex prçceptum, aliud

nega-

negativum, & aliud affirmativum. 32. propoſitio Alexandri VII. eſt circà præceptum negativum. Circà affirmativum extant ejuſdem Pontificis 23. 29. 30. & 31.

20. D. Quas pœnitentias Confeſſor imponet violantl jejunia Eccleſiæ?

M. Rituale adductũ p. 1. c. 7. n. 23. apertè innuit *libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones imponendas*: quod (ſemper tamen præcedente prudentiâ Chriſtianà) ſervandum erit cum guloſis. Cæterùm nihil frequentiùs in Miſsà, & Officio celebrant Eccleſiaſtici, quàm jejunium: Confeſſor legat ſæpè Scripturam, & præcipuè Jonam, Hymnos, & Reſponſoria Quadrageſimæ, Homiliam S. Baſilii ad ſecundum Nocturnum in quartà Dominicà Quadrageſimæ, Sermonem S. Leonis in primà Quadrageſimæ, in tertià Septembris, & Decembris, nèc non epiſtolam ex Joel cum Evangelio primæ diei Quadrageſimæ. Hos libros neceſſariò verſat Confeſſor, & ex illis, eſtò præ paupertate alios non poſſit ſibi comparare, facili negotio hauriet, quæ accendant pœnitentes ad amorem jejunii. Addat ex Catechiſmo p. 4. c. 8. n. 9. quòd oratio (aliàs tàm neceſſaria nobis) non poteſt eſſe efficax abſque jejunio. Guloſis etiam imponi, & commendari pro pœnitentiâ poterit eleemoſina: ſi enim S. Leo Dominicâ tertiâ Decembris commendat eleemoſinam jejunantibus, ut fiat ſubſidium pauperis, quod non inſumunt, in vivendo parciùs; quantò magis qui Deo non ſatisfacit ſubtrahendo aliquid proprio

prio corpori per jejunium, debet satisfacere subtrahẽdo sibi aliquid de propriis bonis per eleemosinã.

CAPUT XLIX.

De Vitiis contrariè oppositis Abstinentiæ, & Sobrietati.

1. D: QUæ peccata contrariè opponuntur virtuti Abstinentię?

M. Abstinentia, ut dictum est, moderatur cibum, & potum, ita, quòd in illis homo non excedat ex concupiscẽtià delectationis: quare peccata illi contrariè opposita, vel minùs, vel nimis quàm hìc, & nùnc hominem deceat, tendunt circà hanc delectationem. Porrò peccatum contrariè oppositum per defectũ est innominatum, & posset dici *Nimia, seù indiscreta abstinentia*, quæ deficit in quærendo delectationes, ut debet. De illo non agit S. Thomas, quia vix reperitur, qui, consideratis omnibus, deficiat. Peccatum contrariè oppositum per excessum dicitur *Gula*, de quo S. Th. q. 148.

2. D. Gula estnè peccatũ mortale ex suo genere?

M. Si homo constitueret suum finem ultimum in hujusmodi delectationibus, utique peccaret mortaliter; Aliàs de se non est peccatum mortale, quia non oppositа virtuti per se obliganti ad mortale. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6. Erit per se mortale, si gravitèr noceat sanitati, & pœnitens tenebitur explicare,

plicare, quòd sibi nocuerit per immoderantiam cibi,& potus,quia est duplex peccatum,alterum in sibi voluntariè nocendo, alterum in nocendo per tale medium.Quòd si levitèr noceat,erit veniale ex parvitate materiæ,juxtà dicta p.1.c.36.n.5.Est etiam gula per se peccatum mortale, si violetur Ecclesiasticum jejunii præceptum ex dictis c.47.n.6.

3. D.Audivi,quòd peccatum gulæ sit genus,& distinguatur in plures species?

M. Qui hoc tibi innuit, erat versatus in doctrinà S.Th. nàm a.4. enumerat quinque species contentas illo carmine

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

si vis rationem, quare ita sit distinguendum hoc gulæ peccatum, vide textum. Ad praxim noto, quòd istæ dicuntur species;quare gulosus,ubi peccaverit mortalitèr, explicare debebit in confessione,quo ex his modis excesserit. *Præpropere* peccat, qui prævenit debitum tempus.Iste modus vix potest esse peccatum mortale contrà præceptum naturæ,quia ex solà prœventione nequit inferri grave nocumentum sanitati, nisi quando prævenirèt nondum factà competenti digestione; in quo casu nocumentum procederet ex nimio cibo. In jejunio Ecclesiæ dictum est cap.47. num. 11. prœventionem notabilem esse gravitèr prohibitam. Cæterum Ecclesia conditiones omnes jejunii vult per modum unius; per cujuslibet conditionis substantialis defectum violatur jejunium; quòd si plures deficiunt,aggravatur peccatum;& ex dictis p.1.

c.34.

c.34.n.20. potes decidere, an hæ circumstantiæ aggravantes explicandæ sint. *Lautè* peccat, qui quærit cibos pretiosos; Nec natura, nec Ecclesia sub mortali prohibet cibos magni pretii: tamen peccaret mortalitèr, qui, cum notabili detrimento sui status, vel familiæ, plura insumeret in cibo, & potu; in confessione deberet explicare, quòd consumpserit in cibis. *Nimis* peccat, qui vel se aggravat cum nocumento sanitatis, vel suprà quantitatem ab Ecclesiâ taxatam in jejunio. *Ardenter* peccat, qui non servat modum debitum in edendo. Vix in hoc solo poterit peccari mortalitèr. *Studiosè* peccat, qui quærit cibos nimis accuratè præparatos in qualitate. De hoc dicendum, ut de modo secundo, scilicèt *Lautè*.

4. D. Ex *Instruct. pro ordinandis* c.12. n.17. habeo, quòd Gula sit vitium capitale, nec non esse quinque filias ejus, nempè, *Ineptam lætitiam, Scurrilitatem, Immunditiam, Multiloquium, & Hebetudinem mentis.* Tu c.14.n.3. me acritèr objurgasti; quòd ignorarem vitia capitalia, & illorum filias; Ne objurger acriùs in posterum, illa teneo memoriæ, ac frequentèr repeto; sed quia in assignandis aliorum vitiorum filiabus, assignasti etiam, ad quam peccati speciem reducantur; & plurimum etiam ad praxim, mihi prodest hæc notitia, ideò juxtà prædictam methodum prosequere de filiabus gulæ?

M. Ita est: Gula dicitur vitium capitale; prædictasque filias illi ex S. Greg. assignat Angelicus a.6. *Ineptam lætitiam* intelligitur, quando quis vagè, & incom-

compositè hilarescit. Opponitur ista Modestiæ morum, de quà virtute dicetur c. 56. nec est mortale peccatum ex suo genere. *Scurrilitas* intelligitur, quando quis utitur verbis inhonestis ad delectandum: opponitur etiam prædictæ Modestiæ, dummodò, sola intendatur delectatio, quæ oritur ex prolatione verborum, quæ neque sint scandalosa. Nec ista est mortale peccatum ex suo genere, sed veniale satis periculosum, quia verba exteriùs prolata excitant speciem internam de suo significato. *Multiloquium*, est quando, ut sonat nomen, quis nimis loquitur, & superfluè: opponitur eidem. Si autem quis hæc tria peccata vellet opponi Affabilitati, Confessor non contendat. Immunditia est emissio quarumcunque superfluitatum; & si quidem sit emissio superflui pro individuo, sed necessarii pro specie ad generationem, erit contrà Castitatem; si sit omissio aliarum superfluitatum, v.g., per vomitum, ista inordinatio directè opponitur Abstinentiæ, conttà quam peccat utens tanto cibo, unde prævidet vomitum. Hebetudo mentis jam explicata est c. 4. n. 3. ut opposita dono Intellectus.

5. D. Quæ sunt vitia opposita Sobrietati?

M. Peccatum Sobrietati oppositum per defectum est innominatum: quod verò per excessum opponitur, vocatur *Ebrietas*, de quà S. Th. q. 150. & definitur *inordinatus potus privans usu rationis*. Igitur in quàcunque etiam minimà quantitate bibatur, si prævideo ex potu cerebrum plenè perturbari, & mihi perfectè deficere usum rationis, pecco

mor-

Digitized by Google

mortalitèr; At si tantùm imperfectè perturbetur, quia tunc est parva læsio, erit veniale ex parvitate materiæ. Est autem de se peccatum mortale ex regulà stabilità p.1. c.34. n.6. quia cum ebrietate nequit conservari charitas. Hæc vult bonum illius, quem amamus. Igitur si ex charitate amo meipsum, debeo velle meum bonum. Porrò usus rationis est maximum hominis bonum, & tale, quòd per ipsum principalitèr in operando distinguimur à brutis. Nequit ergo stare charitas cum eo, quod habet tollere usum rationis. Applicà rationem, & videbis etiam ex illà concludi, peccare mortalitèr illum, qui socios invitat ad se inebriandum; & quidem hic, juxtà dicta p.1. c.34. n.9. tot nnmero peccata mortalia committit, quot socios invitat ad bibendũ inordinatè cũ periculo proximo ebrietatis.

6. D. Videntur multi sentire, quòd Ebrietas primà vice non sit peccatum?

M. Et prædicta ratio me cogit sentire contrarium: etenim cum charitate non potest stare, quòd tollam mihi voluntariè maximum bonum usus rationis. At fortè si pœnitiùs introspicias Doctores, videbis se inebriantẽ primà vice excusatũ à peccato, quia ignorabat efficaciam vini, in quo casu certè non peccat, quia non aufert sibi voluntariè usum rationis. Invitans ad bibendum excusatur ex hoc, & ex alio etiam capite: nàm ignorat complexionem bibentis, cœterùm si primà vice sciantur hæc duo, est peccatum velle aliquid, unde per se sequitur privatio usus rationis.

7. D. Tu

7. D. Tu magnificas vim prædicti argumenti, quod nimis probaret, si esset efficax: cum enim & somnus impediat usum rationis, voluntariè nõ possemus dormire, quia inde impeditur usus rationis?

M. Tu verò confusè omnia colligis; nec facis differentiam inter actiones ordinatas à naturâ, & actiones contrà ordinem naturæ. Inter primas est somnus; inter secundas est Ebrietas; non peccat, qui vult actionem ordinatam à naturâ, licet inde pro tempore impediatur usus rationis. Natura instituit quietem, ut magis in posterum movere nos, & operari possemus cum usu rationis; En exemplum. Peccat certè, qui contrà ordinem naturæ sibi abscindit brachium: At si abscissio sit juxtà ordinẽ naturæ, nempè, ad salvandã vitam, non est peccatũ.

8. D. Potestnè Ebrietas licere ad salvandam vitam, quando illam Medicus ordinaret, ut provocaretur vomitus?

M. S. Th. a. 2. ad 3. negat id licere, quia potus inebrians non est necessarius ad vomitum, qui potest procurari per potum aquæ tepidæ non inebriantem. Sed finge, quòd solus potus inebrians hìc, & nùnc possit causare vomitum, & per consequens sanitatem, quam insupèr finge infallibilitèr annexam cum vomitu. In isto casu dic, ut dictum est c. 23. n. 10. de se defendente contrà invasorem. Poterit enim Medicus, & Infirmus permittere, at nunquam intendere impedimentum usus rationis. Et discurre, ut de tali occidente.

9. D. Quid dicendum de actionibus inordinatis,

quas homo committit in ebrietate: suntnè peccata verè, & formalitèr, ita ut illa debeat explicare, quando confitetur pœnitens?

M. Patere Lector, ut altiùs repetam: hæc interrogatio non est particularis de ebrio, sed universalis de omni operante actionem, ad quam sequitur alia actio inordinata; & si Confessor sciat universalem, facilè deducet particularẽ de Ebrio. Effectus sequens ad ebrietatem, sive universalitèr ad aliam quamlibet actionem, spectat ad circumstantiam *Quid*, de quà p. 1. c. 34. n. 13. dictum est paucis verbis, quòd effectus per se sequens ad peccatum facit circumstantiam. Nec plura tùnc erant dicenda, quia nèc plura in illo operis principio potuisset portare præparans se ad confessiones, nùnc jàm suo intellectu ad universaliora firmato, legat S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5. qui ait: eventus sequens prægogitatus, est peccatum: si v.g. homo ante ebrietatem prævidet, quòd in ebrietate committet adulteriũ, homicidium &c. si postea se inebriat, peccat peccato ebrietatis, & peccato homicidii. Si actio sit indifferens, & prævideatur eventus malus: distingue: si actio non est necessaria, tùnc volens causã, indirectè, & virtualitèr vult effectum: v.g. prævideo ex actione aliquà per se indifferenti, secuturam in somnis immunditiam, nèc ulla hìc, & nùnc urget necessitas talis actionis, pecco ponens talem actionem, quia in eà virtualitèr, & indirectè volo immunditiam; si autem adsit aliqua necessitas, non pecco, nisi formalitèr intendam effectum sequentem.

tem. Si actio sit per se bona, non pecco, nisi formaliter intendam effectum sequentem, v. g. prævideo secuturam immunditiam ex potu aquæ habentis debilitare naturam, sed potus aquæ hìc, & nùnc est mihi bonus, quia utilis ad temperandum calorẽ cerebri, tùnc immunditia, estò prævisa, non mihi tribuitur; & hic valet ratio universalis tradita c. 23. n. 10. de se ipsum defendente contrà invasorem; Duo tamen adverte: primò: non omnis necessitas, quæ sufficit ad excusandum in uno casu, sufficit ad excusandum in omni. Utilitas, quæ consurgit ex potu aquæ ad temperandum calorem cerebri, sufficit, ut non imputetur mihi nocturna immunditia ex illo prævisa: Hæc autem utilitas non me excusat ab homicidio, si præviderem, quòd puer mihi hausturus aquam laberetur in puteum. Nec potest determinari, quæ sufficiat necessitas pro uno, quæ pro alio casu. Relinquitur id judicio prudentum, & timoratorum, qui curabunt in omnibus providere securitati conscientiæ: secundò: non est necessarium prævidere talem actum in particulari, sed sufficit prævidere, quòd ebrii, v. g. soleant committere in ebrietate aliquos actus peccaminosos, ut imputentur tanquam peccata ebrio, actiones, quæ fieri solẽt ab illis. Hæc dicta sint, si effectus prævidetur: si verò non sit prævisus, ait S. Th. incitatà primà 2. tùnc videndum est, si effectus per se sequatur, & ut in pluribus; etenim tùnc qui vult esse, seù causam, vult consequentia ad esse, seù effectum: si effectus non sequatur per se, sed per accidens, & ut in pau-

cioribus, tùnc non imputatur; unde hìc q. 150. a. 4. Angelicus adducit verba Augustini dicentis: *Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit*: quia neque in universali pręviderat, quòd filiæ essent peccaturæ cum ipso: Equidem ut in pluribus ebrii committũt aliquas actiones inordinatas, sed ut in paucioribus contingit eos induci ad actiones, ad quas filiæ induxerunt Loth. Porrò Confessor habeat hujusmodi regulas generales; Attamen sciat ulteriùs, quòd regulæ generales de aliquo operabili in praxi, ut plurimùm habent suas exceptiones, limitationes, & ampliationes. Cognoscet, an aliquid horum sit necessarium pro casu particulari, si proponatur sub diversis circumstantiis ab iis pluribus, in quibus apparet regula habere locum; quæ circumstantiæ specialem ingerunt difficultatem. Porrò tunc Confessor audiat consilium Doctiorum.

10. D. Scio neque censuris, neque reservationi subdi peccata contrariè opposita Sobrietati, & Abstinentiæ; peto an circà illa sint propositiones prohibitæ?

M. Præter jam insinuatas c. 47. n. 19. circà jejunium, extat octava Innocentii XI. quam attentè consideraris; etenim ex illà, velut ex principio, deducere poteris plures conclusiones in pluribus materiis moralibus.

11. D. Quas Pœnitentias Confessor imponet pœnitenti pro peccatis prædictis.

M. Circà hoc plura dixi c. 47. n. 20. Solum addo ver-

verba ex Augustino ab Angelico adducta a. 1. ad 4. *Non asperè, quantū æstimo, non durè, non impetuosè ista tolluntur, sed magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum est in multitudine peccantium: severitas autem exercenda est in peccatis paucorum.* Quam Augustini sententiam Confessor cum grano salis reducet ad praxim. Frequēs erat in Africà ebrietatis vitium; scribebatque S. Augustinus Episcopo prædicanti ad multitùdinem, non Confessori, qui cum uno tantùm agit in Confessionali; verumtamen & Confessori convenit tollere peccata magis *monendo*, *quàm minando* ubi præsertim nō peccatur ex malitià, & pertinacià

CAPUT L.

De Virtutibus, quæ refrænant concupiscentias Tactus.

1. CONfessor parùm curet de quæstionibus Scholasticis, & nomine virtutum refrænantium concupiscentias tactus, intelligat hìc à me comprehendi virtutes, quæ habent moderari delectationes à naturà constitutas in actu ordinato ad conservationem speciei, seù ad generationem, quas diximus c. 47. n. 2. multùm excedere delectationes gustus. Etiam istæ virtutes, ut Abstinentia, & Sobrietas, sunt species Temperantiæ; & duas nominabimus, nempè, Castitatem, &

Pudicitiam. Theologi complures asserunt virginitatem (maximè voto firmatam) esse distinctam specie à Castitate, sicuti ex c.14.n.2. Gnome distinguitur à Synesi, Magnanimitas à Philotimiâ, & Magnificentia à Liberalitate. Hoc parùm refert Confessori; nam quoad suum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, satisfaciet sciens, quando circumstantia Virginitatis aperienda sit in confessione, quod dicetur suo loco. De his virtutibus agit S. Th. à q. 151. ad 154. & distinguit Pudicitiam à Castitate in hoc, quòd Pudicitia respicit principaliter signa, ut aspectus, oscula &c. Castitas verò respicit principalitèr ipsum actum consummatum.

2. Si quæ aliæ virtutes necessariæ sunt naturæ hominum, maximè istæ. Infectio peccati originalis maximè sentitur in vi generativâ, ut propterea quilibet homo indigeat plurimùm hisce virtutibus. Dicitur Sap.8. *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens* (castus) *nisi Deus det; & hoc ipsum ergo Sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis* orationem, quam prosequitur per plura capita. Cum igitur ex speciali tantùm auxilio Dei habeatur, omni ex parte perfecta Castitas, ut ejus amorem in pœnitentium pectore Confessor accendat, & ipse cum Sapiente confugiet ad subsidium orationis, eritque utilissima pars illa orationis, quę continetur Sap. 9. Verumtamen adhùc magis debebit orare pro se ipso Confessor: *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*: quare nec ipse Confessor;

Ad-

Adde periculum maximum se inquinandi, dum quis lavat inquinata, nisi supremam adhibeat cautelam. Ob hujus verè lacrymabilis miseriæ abundantiam, Apostolica Sedes debuit evulgare Constitutiones, equidē rigorosas, at saluberrimas, & omninò necessarias contrà Confessarios inhonesta tractantes in Confessione, quas semper ante oculos habebit Confessor. Est Augustini sententia, & confirmat experientia, quòd etiam immanissimæ bestiæ retrehuntur à voluptatibus, maximè concupitis, ob timorem verberum; Igitur timore pœnarum in dictis Constitutionibus comminatarum (eas sæpè relegendo) firmet se Confessor, ne inquinetur, dùm lavat inquinata: *Legum enim terror* (cum Augustino loquor adducto ab Angel. 2.2. q.10. a.8 ad 1.) *ita profuit, ut multi dicant, Gratia Domino, qui vincula nostra dirupit.*

3. Acturus de hisce virtutibus, vitiisque oppositis, mihi primum præpono ante oculos monitum Catechismi 3.p.c.7.n.1. *In hàc re explicandà, cautus admodum sit Parochus, & prudens, & tectis verbis rem commemoret, quæ moderationem potiùs desiderat, quàm orationis copiam. Verendum est enim, ne, dùm is latè, atque copiosè nimis explicare studet, quibus modis à præscripto discedant, in illarum rerum sermonem fortè incidat; unde excitandæ potiùs libidinis materia, quàm restinguendæ illius ratio emanare solet.* Et p.2. c.8.n.33. *Ita agendum est Pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes lædere, aut risum*

movere queat. Ut enim Eloquia Domini eloquia casta sunt: *Ita etiam maximè decet Christiani populi doctorem ejusmodi orationis genere uti, quod singularem quandam gravitatem, & mentis integritatem præ se ferat.* Hùc respiciũt verba Ritualis adducta p. 1. c. 7. n 20. Quòd si adeò cautè procedere debet Confessor agens cum particularibus, quantò cautior erit, qui publici juris facit opus suum, editque tractatus, quos, etiamsi velit, non ampliùs poterit supprimere? Sanè viris prudentioribus displicuit semper, si quis Theologorum, liberiùs, quam par erat, expatiatus est per hanc materiam. Et hæc generalitèr de hisce virtutibus.

CAPUT LI.

De Actu Castitatis.

1. ABstinentia non prohibet omnem delectationem gustus, quam natura in cibis constituit, ut homo magis alliceretur ad sui conservationem, quæ conservatio utpotè bona, est omnibus appetibilis. Igitur Temperantia eò respicit, ut prædictas delectationes ita moderetur homo, quòd neque excedat, neque deficiat in appetendo. Simili modo Castitas non prohibet omnem actum, & omnem delectationem tactus, quã natura instituit, ut homo magis alliceretur ad conservationem speciei, quę conservatio speciei est bonum majus conservatione individui, quia omne bonum commune majus est bono privato. Tamen inter

inter Abstinentiam,& Castitatẽ hoc interest,quòd bonum proprium privatum singuli tenentur conservare; ideòque singulis instat præceptum comedendi; At bonum multitudinis,præcipitur quidem quærere multitudo, sed non singuli de multitudine. Igitur Castitas non prohibet omnem actum, sed ita moderatur, ut fiat, quando decet. Et ideò communitèr Castitas dividitur in Virginalem, Vidualem, & Conjugalem.

2. D. Quid requiritur,ut actus venereus fiat debito modò,juxtà ordinẽ Castitatis,& sine peccato?

M. Potest quæri de peccato mortali, & de veniali; Utrumque debet scire Confessor; priùs tamẽ quæremus de mortali. Actum hujusmodi natura instituit ad duos fines: primus est generare alterũ hominem: secundus est educare alterum hominem, quę quidem educatio debet esse non corporalis tantùm,sed principalitèr spiritualis per instructionem. Natura enim condidit hominem,qui non solùm sit animal,sed & homo,quà homo. Si homo incumbat actui venereo sine utroque horum finium, vel sine altero, jam operatur cum maximo malo speciei humanę,& ita non potest servari charitas, cum exercitio prædicti actus,sine duobus illis finibus, vel sine altero; propterea,juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 6. Castitas obligat sub mortali, ut ejus actus exerceatur inter personas conjunctas legitimo matrimonio. Si enim fiat alitèr,quàm inter virum, & fœminam, homo utitur actu contrà primum naturæ finem, dandi esse. Si verò sit inter virum, &

fœ

fœminam non conjunctam matrimonio; fit contrà ſecundum naturę finem educandi,& perficiendi hominem, ut homo eſt.

3. Quid eſt matrimonium?

M. S.Th.hìc tantùm agit de peccatis contrariè oppoſitis Caſtitati: de actu autem ipſius Caſtitatis diſtulit agere in 3. p. cum de reliquis Sacramentis, ad quorum dignitatem Chriſtus elevavit matrimonium; agitque de illo à q. 41. ad 69. ut decet Theologum perfectum. Confeſſor ordinarius, & præſertim Parochus, legat perſæpè circà Matrimonium, Tridentini doctrinam,& decreta ſeſ.24 tùm ante Canones, tùm poſt Canones decem capita de ref. matrimonii, & Catechiſmum p.2.c.8.ex cujus n.3.matrimonium ita definitur: *Viri,& fœminæ maritalis conjunctio, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Vides hìnc matrimoniũ dare jus ad actum venereum,& illum cohoneſtare; Eſſentia matrimonii conſiſtit in hoc jure: Actus autem eſt operatio conſequens ad hoc jus, & actus complet carnalitèr matrimonium, quod tamen ſpiritualitèr eſt perfectum in mutuà conjunctione animorum, quæ conjunctio ſi adſit,& ulteriùs abſtinentia ab actu, ut conjunges vacent Deo, jàm tùnc erit matrimonium ſpiritualitèr perfectius, licet carnalitèr imperfectius, & tale fuit matrimonium inter B. Virginem,& S.Joſephum; nèc non inter alios Sanctos conjugatos, de quibus Hiſtoriæ tradunt in matrimonio vixiſſe cælibes. Cum igitur matrimonium non conſiſtat in actu, ſed in jure ad

actum

actũ,ut distinctè,qualitèr ordo exigit,procedamus, differendũ prius est de matrimonio,posteà de actu.

4. D.Dixisti matrimonium esse inter legitimas personas;peto quid intelligas per ly *legitimas personas?*

M. Intelligo,quòd non sint personæ impeditæ à lege naturali,vel divinà,vel Ecclesiasticà contrahere. Non dico à lege civili, quia solum ago de matrimoniis Christianorum,inter quos matrimonium à Christo elevatum ad significandam sui cum Ecclesiâ conjunctionem, est signum sensibile istius gratię invisibilis,& propterea sacramentum; quare tota jurisdictio in contractu matrimoniali spectat ad Ecclesiam,cujus est administrare sacra.

5. D. Suntnè aliqua impedimenta matrimonium dirimentia ex lege naturæ?

M. Dicitur Gen.2.*Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhęrebit uxori suæ:* ex quibus appareret lege naturali prohibitum, ut simul conjugati cohabitent pater, & filia, &c. Debetque intelligi de omni lineâ rectâ,ita ut,si Adam esset in mundo nulli posset nubere suorum descendentium.

6. D.Extatnè aliquod impedimẽtũ lege divinâ?

M. S. Th.2.2.q.88.a.11.probat,quòd professio solemnis in Religione approbatâ per Sedem Apostolicam, jure divino dirimit matrimonium; sed habet multos contràdictores hæc sententia, quam tamen stabiliunt rationes. Id innuisse sufficiat Confessori ordinario,nèc enim ad munus Judicis, Medici,& Doctoris practici spectat ultrà inquirere.

7.D.Ex-

7. D. Extantnè impedimenta dirimentia per Ecclesiam?

M. Theologi claritatis gratiâ redegerunt omnia impedimenta in carmina sequentia.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas:
Si sis Affinis, si forte coire nequibis:
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

8. D. Intelligo etiam adesse quædam impedimenta, quæ dicuntur impedientia, vellem scire, quę sint, & quomodo distinguantur à dirimētibus?

M. Per hoc distinguuntur, quòd contrahens cum dirimentibus, ultrà peccatum, invalidè contrahit: Contrahens cum impedientibus, peccat, sed validè contrahit. Porrò impedientia continentur his carminibus.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris
Susceptor propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, probibent hæc conjugium faciendum.

Aliqui affirmant quædam ex his undecim impedimentis non ampliùs vigere, sed ego sequens methodum mei operis, Confessori, quem pœnitens consulit, matrimonio cum illis contracto, consulo, ut faciat se accusare, si quomodolibet peccaverit: Ubi verò Confessor consulitur à pœnitente, an

possit

possit sine peccato contrahere cum illo impedimento, nihil respondebit ex proprio cerebro, sed de sententiâ Doctoris sibi à Deo traditi, scilicèt, Episcopi, semperque hortabitur pœnitentem, ut quantũ fieri potest, se accõmodet Ecclesię statutis.

9. D. Confessori ordinario estnè necessarium pro suo triplici munere Judicis, Doctoris, & Medici, scire saltem principaliores casus, qui possunt contingere circà impedimenta dirimentia?

M. Id est utique necessarium Parocho, sed non Confessori: quare in examine Urbis deputati ad curam Parochialem examinantur super prædictis impedimentis. Parochi enim est, ante matrimoniũ invigilare, nè quod intercedat impedimentum; & si detegitur post contractum, ut provideatur etiam extrà forum pœnitentiale. Confessor autem Judex fori pœnitentialis, optimè faciet, si de omnibus possit rationem reddere, sed non tenetur, & quoad hęc impedimenta, potest remittere pœnitentem ad proprium Parochum, imò ita se ordinariè geret, nisi adeò sint occulta impedimenta, ut solùm conveniat illa tollere per forum pœnitentiale.

10. D. Quid faciet Confessor requisitus, ut provideat matrimonio invalidè contracto, debetque provideri solùm in foro Pœnitentiali?

M. Confessor hujusmodi, quando ex se solo nescit decidere, an verè extet impedimentum, absolvet tùnc pœnitentem à peccatis commissis, & petet tempus consulendi peritiores, quando dubitat, & Confessor, & Pœnitens: quo dubio durante, admo-

admonebit pœnitentem, nè petat debitum, sed reddat. Si verò certum sit impedimentum, nèc potest petere, nèc reddere, quamvis conjux omninò validum crederet matrimonium, quia fornicaria est omnis copula, ubi verè non est validum matrimonium. Vide dicta p. 1. c. 18. n. 15. de modo, quo debet se gerere ad petendam dispensationem, quà obtentà, monebit ad matrimonium revalidandum exigi novum utriusque consensum.

11. D. Ubi matrimonium intercedit, estnè semper licitus, & sine peccato mortali actus conjugalis?

M. Ex multiplici capite potest vitiari actus iste, sed sub prætextu docendi non debeo offendere pudicas aures præparantis se ad confessiones. Natura ipsa docet conjuges quid licitè, quid illicitè valeant. Si difficilior casus contingat, materiam hanc tractant ferè omnes Casuistæ, quorum libris destitutus Confessor consulat doctiores, interim quoad usque respondeat plenè, moneat pœnitentem, ut abstineat à tali modo &c.

12. D. Actus conjugalis estnè etiam immunis ab omni peccato veniali?

M. Actus conjugalis erit immunis ab omni etiã veniali culpà (imò, & meritorius in homine justo) si fiat altero ex his duobus motivis; primò ad gignendos filios, juxtà verbum Augustini adductum c. 46. n. 3. qui sanè dicit esse adhibendum propter solos gignendos filios; attamen secundò potest esse omninò bonus, si reddatur debitum. Igitur respectu petentis vacat veniali culpà, si fiat unicè ad gignen-

gnendos filios: Respectu reddentis erit etiam immunis ab omni culpà, estò prævideatur ex illo actu hìc, & nùnc filium non generandum, si petitus reddat, quod debet conjugi. Caveat tamen Confessor, nè conjuges, pœnitentes suos velit sanctos plusquàm oportet. 1. Cor. 7. scripsit Apostolus: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Confessori sufficiat, si Dei legem zelet, sicut Apostolus. Voluit Paulus, ut orationis tempore abstinerent, sed id ex mutuo conjugis utriusque consensu. Optimum sanè consilium, ut abstineant volentes communicare, jejunare, & alia opera pietatis facere, quæ communitèr veniunt nomine orationis; At voluit, ut abstinerent ex mutuo consensu; quòd si maritus nolit, Confessor ad alienam diem pertrahat uxori communionem, nisi aliud Christiana prudentia dictet. Ubi tamen non est ratio specialis orandi, qualis est in die communionis, vel temporibus ab Ecclesiâ institutis ad orandum, revertantur conjuges *in id ipsum, propter incontinentiam.* In quibus verbis affirmat matrimonium, post lapsum, fuisse ordinatum à Deo, etiam in remediũ concupiscentiæ, ac nè homo esset expositus periculo incontinentiæ; qui tamen est finis secundarius subordinatus primario generationis filiorũ, & consequentèr peccat venialitèr, qui primò intenderet hunc finem secundarium; Id apparet ex

ver-

verbis Apostoli sequentibus: *secundum Indulgentiam dico*: quæ verba plures Patres intelligunt, ut voluerit Apostolus denunciare culpæ venialis reatũ in tali actu elicito principalitèr ad evitandam incontinentiam. Et duo fecit Apostolus, primò permisit peccatum veniale (quod etiam est leviſſimũ, & utinam alia peccata non haberent conjuges) ad evitandum periculum peccati mortalis: secundò voluit, ut scirent conjuges id esse peccatum veniale, ut si quando Spiritus Sanctus vocaret eos ad majorem perfectionem, agnoscerent viam perfectionis. Apostolum Confessor imitetur in omnibus. Illos hortetur, nè invicem se fraudent; sed veluti per transennam paritèr ostendat, quando veniale peccatum sit actus conjugalis. Plantet quidem hoc semen, sed relinquat, ut Spiritus Sanctus det incrementum, quod dabit, qui congruentem suis temporibus novit exhibere medicinam.

13. D. Non nè meliùs ageret, si Confessor taceret in istis casibus: etenim proni sunt maximè homines ad libidinem, & scientes illicitum venialitèr esse actum conjugalem, si exerceatur solà delectationis causà, vel ad vitandam incontinentiam, non tamen cessabunt ab hoc veniali; è contrà si relinquantur in bonà fide, juxtà plurium Modernorum opinionem, qui nullum agnoscunt peccatum in actu talitèr exercito, nullatenùs peccabunt neque venialitèr. Hoc beneficium mundo attulerunt Moderni, tot opinionibus novitèr explicatis. Inde enim processit, quòd utrunque contradictorium

rium sub probabilitatis finibus concluſum, faciat ignorantiam invincibilem de veritate, per quàm ignorantiam excuſatur à peccato, qui ſequitur aliquid; quod in ſe eſt verè peccatum, innixus opinioni probabili?

M. Tu multa involvis, & ferè ſatis captiosè, credens me poſſe invehi contrà Modernos, quos tamen ſuſpicio, & veneror: etenim inſudarunt plurimùm in enucleandâ Morali Theologia; quòd ſi aliquis in aliquo videatur exceſſiſſe, alter alterius debemus onera portare. Multò minùs curo ingredi quæſtionem de probabiliſmo, quam, ut viditi, ſemper in hoc opere ſtudui evitare. Illam relinquo Scholaſticis. Confeſſorem totiès monui, ut in praxi, quando probabilis verè eſt opinio, nèc prohibet Eccleſia, (ut minimam probabilitatem prohibuit Inn. XI. in 3. prop.) relinquat unũquemque in ſuâ probabilitate, ſed ipſe conſulat partem tutiorem. Tamen dubito plurimum, an opiniones inſinuatę de actu matrimoniali ſint probabiles; quòd opus illud exercitum ob ſolam delectationem, ſit veniale peccatum definivit idem damnans prop. 9. Tu ergo veritatem hanc oſtendens pœnitenti, ſequere dictamen Apoſtoli, & Sedis Apoſt. Matris tuę, quę id expreſsè definiens non multiplicavit peccata, ſed cognovit peccare illos, qui ex ignorantiâ tenebant nõ eſſe peccatũ: quare duplici malo laborabant conjuges; primò in intellectu, ignorantes eſſe peccatum: ſecundò: in appetitu, quærentes talẽ delectationẽ; nèc potẽs Eccleſia mederi utrique, cõſuluit primo

graviori; nàm ignorans esse peccatum, quod re verà est peccatum, supponens non esse peccatum, frequentiùs committit talem actionem, & nunquam de illà dolet: qui verò scit esse peccatum, conscientià ductus aliquando intermittit, & si ex passione peccat, deindè pœnitet de peccato. Hæc generalitèr dicta sint pro quacunque materià, ut Confessor in omni curet tollere saltèm ignorantiam pœnitentium, ubi per rationes fundatas videt aliquam opinionem esse pœnitùs improbabilem, estò illam sequantur plures.

CAPUT LII.

De Peccatis contrariè oppositis Castitati.

1. PEccatum Castitati contrariè oppositum per defectum vocatur ex suo genere *Insensibilitas* de quà dictum est c. 46. n. 5. & si quis deficeret, explicare deberet speciem, an fuerit insensibilis circà delectationes gustus, vel tactus, ut si ex horrore ad hujusmodi delectationes conjux conjugi petenti negaret debitum; in quo casu etiam peccaret contrà Justitiam. Peccatum contrariè oppositum Castitati per excessum vocatur *Luxuria*, quæ dicitur *Appetitus inordinatus delectationum tactus ordinatarum à naturà ad generationem prolis*; in quà acceptione opponitur etiam Pudicitiæ; majoris tamen claritatis gratiâ tractabo in præsenti capite de Luxuriâ, ut opponitur Castitati tantùm;

tantùm ; Et in hoc ſenſu, nomine Luxuriæ, venit omnis actus venereus conſumatus, & exercitus extrà legitimum matrimonium ; fuitque neceſſarium de hoc agere ſtatìm poſt examinatum actum conjugalem, & deinde dabimus alia pro pleniori intelligentià ipſius actus Caſtitatis. Igitur.

2. D. Quotuplicitèr dividitur Luxuria?

M. Luxuria eſt genus à S. Th. q. 154. a. 1. diviſum in ſex ſpecies: & ſunt: prima: *Simplex Fornicatio*: ſecunda: *Adulterium*: tertia: *Stuprum*: Quarta: *Incęſtus*: quinta: *Raptus*: ſexta: *peccatum contrà naturam.*

3. D. Quid eſt ſimplex Eornicatio?

M. Semper illam conſiderando, ut opponitur Caſtitati, & non etiam Pudicitiæ, ſimplex fornicatio eſt actus venereus conſummatus ſoluti cum ſolutà. Eſt peccatum mortale, quia præjudicat fini ſecundario prolis generandæ, juxtà dicta c. 50. n. 2. quæ non repeto, ſed tu telege.

4. D. Quid eſt Adulterium?

M. Eſt actus venereus conſummatus cum aliquo conjuncto in matrimonio; tùnc enim fit injuria conjugi, & ideò, quatenùs Adulterium, eſt contrà Juſtitiam commutativam ; & contrà duas virtutes ; quare eſt in duplici ſpecie peccati, ſcilicèt Luxuriæ, & Injuſtitiæ: ſi ambo peccantes ſint conjugati, tùnc eſt duplex numero adulterium, quia duobus fit injuria ; & pœnitens tacens conjugium utriuſque, non explicat ſufficientèr numerum ſuorum peccatorum. Eſtò maritatus conſentiat adulterio conjugis, adhùc eſt injuſtitia ex ratione

tradità p.1.c.34.n.9. Peccatum, quod committitur cum sponsà de futuro, reducitur ad Adulterium, quia fit injuria sponso habenti jus ad sponsam, vel è contrà; sed tamen est specie distinctum, quia specie distinguuntur jus ad rem, quod habet sponsus, & jus in re, quod habet maritus; ideòque specialiter explicandum in confessione. S.Th.q.154. a.7. ad 3. Sponsi *ex ipsà desponsatione jus habent* in sibi desponsatis.

4. D. Quid est Stuprum?

M. Est defloratio Virginis; est etiam contrà justitiam, ut Adulterium. Multi docent non esse stuprum, sed simplicem fornicationem, si virgo voluntariè consentiat: nèc enim vident, cui fiat injuria; sed tu tene cùm S.Th.a.6. quòd semper est stuprum: Virginum castitatem Deus posuit specialiter sub custodià parentum, vel Tutorum, licèt ipsa Virgo sit domina sui; quare deflorans Virginẽ voluntariè consentientem facit injuriam Tutoribus; ut injuriam mihi facit, qui suum equum ponens sub meà custodià, illum sibi acciperet, me ignorante: quòd si instes posse parentes cedere juri suo, tùnc dic, ut dictum est præcedenti numero de marito consentiente. Ex hàc doctrinà S. Thomæ inferes committi stuprum, non primà solùm vice, cùm defloratur virgo, sed totiès, quotiès homo abutitur illà fœminà reputatà Virgine, & adhùc ut Virgine custoditâ à parentibus, vel Tutoribus.

6. D. Quid est Incestus?

M. Est actus venereus consummatus cum consan-

sanguineis, vel affinibus; est contrà virtutem Pietatis, quà tenemur honorare prædictos; eritque sub specie Adulterii; Stupri &c. si rationem illorum attingat. Videndum est usque ad quem gradum impediatur matrimonium; & si quis peccet cum consanguineà, vel affini in gradu, in quo prohibetur contrahere, peccabit peccato Incestus. Multi quærunt, an hoc peccatum subdividatur in alias species, ita ut sufficiat se accusare de incestu, non explicando, an fuerit cum consanguineo, vel affini in quarto, aut in primo gradu. In praxi tu induces pœnitentem, ut explicet, an intercedat affinitas, vel consanguinitas, & gradum. Super omnia, ubi actus esset inter conjunctos in primo gradu, specialitèr explicari debet, an sit in lineà rectà ascendentium, quia dictum est c. 50. n. 5. inter istos prohiberi matrimonium jure naturæ, quod jure tantùm humano prohibetur in primo gradu lineæ transversalis; cumque jus naturale distinguatur specie ab humano plus, quàm civile ab Ecclesiastico, in confessione est explicanda species violati, ut speciem peccatorum habeat Confessor.

7. D. Quid est Raptus?

M. Ultrà malitiam peccati contrà Castitatem, Raptus etiam dicit malitiam Rapinæ, de quà c. 24. n. 8. fit enim injuria rapiendo violentèr aliquem, ut eo abutatur ad turpia; in quo possunt concurrere omnes aliæ species Luxuriæ, ut si rapiantur pueri; nuptæ, Virgines, Moniales &c.

8. D. Quid est Sacrilegium?

M. Est, quando peccatum consumatur cum personâ sacrâ, scilicèt, habente votum Castitatis, vel solemne, vel simplex; & juxrà dicta c. 32. n. 6. debet explicari, an habeat votum solemne, vel simplex: hoc enim obligat coràm Deo solùm, at solemne obligat etiam respectu Ecclesiæ; propterea gravius est peccatum, & specie diversum à peccato contrà votum simplex. Aliqui disputant, an violans votum solemne teneatur explicare, quòd votum solemne sit Religionis, vel Ordinis. Tu vide dicta superiùs cap. 33. num. 6. Audisti c. ap. 50. num. 6. S. Thom. sentire, quòd votum solemne invalidat matrimonium jure divino; & cum eo sentit florentissima Thomistarum schola, non arctata inter sola Dominicanorum Monasteria, sed etiam divagata per plures Religiones; quare aliqui possent sentire quòd explicari debeat quale sit votum solemne, vel Religionis, vel Ordinis sacri: Sed quia hæ leges tendunt ad eundem finem non tenemur id explicare, nisi quando Religiosus violaret vota, ut divinà lege prohibita: & tunc quia ex Angelico tria vota essentialia Religionis obligant jure divino, Religiosus etiam debebit explicare suum statum, si violet Obedientiam, & Paupertatem furando, quia id est contrà essentiam Paupertatis, at quæ paupertati accidunt ex constitutione Ecclesiæ, non ita tenebitur explicare juxtà illud principium S. Thomæ.

9. D. Quid est peccatum contrà Naturam?

M. Est

M. Est genus peccati continens sub se plures species, quas nolo enumerare, conscius, ut dixi totiès, quòd de illis, utpotè brutalibus, etiam tacebāt Philosophi Gentiles. Dolendum est frequentari apud Christianos, quæ innominata volebant Æthnici. Turpitudo illorum satis per se apparet. Circà peccatum nefandum curet Confessor explicari, an fuerit agens, vel patiens: nàm agere, & pati Aristoteles ponit in diverso prædicamento; quare differunt non solùm specie, sed etiam genere generalissimo; & pœnitens id non explicans, omittit non modò speciem, sed & genus. Peccat contrà naturam, qui est impotens ad actum consummatum, quare Eunuchi, & similes debent explicare in confessione suam impotentiam naturalem. Porrò quælibet species peccati contrà naturam aggravatur ex aliis circumstantiis, ut si agens, vel patiens sint maritati, voto adstricti &c.

10. D. Immunditia voluntaria, quæ est prima species peccati contrà naturam, nimis est frequens, ut propterea debeat circà illam Confessor esse instructissimus?

M. Quàm frequens est, tàm clara est illius malitia, ut non indigeamus, circà illam immorari. Pessimè audies apud viros prudentes, si doceas dari posse ignorantiam invincibilem de illius malitià in adolescentioribus; & si dicas eos quidem cognoscere, quòd sit contrà lumen rationis; at posse ignorari, quòd sit contrà legem Dei, incides in peccatum Philosophicum; de quo vide p. 1. c. 28.

n. 2. Vide 49. propositionem ab Innocentio XI. prohibitam, & inde habebis, an dari possit ignorantia de illius malitiâ.

11. D. Potestnè aliquando permitti hæc immunditia?

M. Certè nunquam potest intendi, neque ad salvandam propriam vitam, quia bonum speciei, ad quòd natura ordinavit actum venereum, prævalet bono individui. Hinc neque permitti potest cum periculo consensus, vel delectationis voluntariæ. Quòd autem aliquando possit permitti ex urgenti necessitate, apparet ex dictis c. 23. n. 4. de homicidio; Quæ autem, qualis, & quanta debeat esse ista necessitas, non potest universalitèr stabiliri. Cajetanus opp. tom. 1. tr. 12. luculentèr probat posse permitti, estò prævideatur à Confessore, qui in illâ incidit, ut exerceat suum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, sive omnia simùl exerceat in Confessionali, sive dùm coactus necessitate studet hisce materiis. Circà id multum laxavit habenas Michael de Molinos, & quia ob nostræ naturæ fragilitatem possumus facilè decipi, credentes esse puram permissionem, quandò verè cooperamur, ideò res paulò est accuratius tractanda. Docuit plures propositiones Hæresiarcha ille circà immũditiam hujusmodi, damnatas ab Innocentio XI: Omitto 42. 43. 45. 46. 48. 49 50. 51. 52. & 53. in quibus dicebat hujusmodi permitti, cum tamen si verum esset, quòd ait, illi de quibus loquitur, non solùm permisissent, sed voluissent, & operati fuissent.

sent. Refero 17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nèc eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ; & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.* 37. *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supràdicto amore, & resignatione permanere.* In 41. docebat Deum permittere actus carnales ex violentiâ Dæmonis, qui non essent peccata, estò contingerent *in vigiliâ, & sine mentis offuscatione.* In 47. quòd violentiæ Dæmonis erant permittendæ, *nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum* ad eas reprimendas. *Et præ omnibus non opus est confiteri, & sanctissimè sit non confitendo.* Et in 48. quòd *melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.* Relege Constitutionem Innocentii, videbisque alias plures damnatas, quæ ad idem faciunt de permittendis immunditiis hujusmodi, aliisque tentationibus; non tamen adduco illas, quia videntur magis tangere animas perfectiores, in quibus ille filius iniquitatis præ aliis justificabat omnes hujusmodi actiones &c. Adductæ possunt satis docere Confessorem ordinarium, & destinatum multitudini fidelium, quàm cautè sit procedendum in hàc materiâ, quanta cura sit adhibenda in reprimendo motu omni sensualitatis, & quàm lentè Confessor debeat immunem judicare à peccato, qui credit se permittere tantùm, non etiam directè, vel in-

Digitized by Google

directè velle prædictas immunditias.

12. Per viscera misericordiæ Dei nostri duo Confessorem obtestor: primò: ut attentè sæpiùs consideret quamlibet particulam propositionum relatarum, & à Sede Apostolicà damnatarum; & si casus accidat, damnet etiam ipse praxim quancunque illis conformem: secundò: si habeat pœnitentes ex malà corporis dispositione proclives, charitativè, ac paternè moneat, in singulis casibus confiteri, quas patitur immunditias (etiam nocturnas, quantò magis occurentes in vigiliâ, & sine mentis offuscatione) supponamus, quòd omninò vacent à culpâ mortali, qualitèr ex Cajetano potest contingere in Confessore, quis tamẽ audeat excusare à peccatis pluribus venialibus, & in praxi difficillimum est judicare quòd adhibita sit omnis industria, sub mortali necessaria reprimendis tentationibus: Igitur inducendi sunt (paternè tamen, & omni cùm charitate) ut ea confiteantur: primò: ad securitatem conscientiæ: secundò: etiam supposito, quòd sit securus se non peccasse mortalitèr, ad delenda venialia, & negligentias commissas in reprimendis: tertiò: ad obtinendum contrà tentationes effectum proprium sacramenti pœnitentiæ, qui sunt auxilia Dei actualia suo tempore, nè incidamus in easdem tentationes; & loquendo de tentationibus carnis, in naturâ magis igneâ, & in juvenibus, quorum sanguis ebullit, nihil magis potest extinguere ignem luxuriæ, quàm sanguis Christi applicatus per hoc sacramentum. Adde

quartò,

Digitized by Google

quartò: quòd immunditię hujusmodi, etiam quatenùs merè corporales, maximè dedecent accedentem ad nuptias Agni, seù ad sumendũ Eucharistiæ sacramentum: quare in fero Ecclesiastici recitant.

Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

S. Th. 3. p. q. 80. a. 7. Eucharistiæ sumptionem ait per istas immunditias impediri quoad duo: primò: quoad fæditatem corporalem, *cum quâ, propter reverentiam sacramenti, non decet accedere ad altare, unde, & volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant*; secundò: propter evagationem mentis, *quæ sequitur* ordinariè; nisi adsit aliqua necessitas communicandi, vel proveniat ex illusione dæmonis volentis impedire communionem. Porrò id ex se pœnitens non decidat, sed de consilio prudentis, & charitativi Confessoris.

CAPUT LIII.

De Pudicitiâ, peccatisque contrariè oppositis.

1. NOn possunt perfectè tradi reliqua generalia spectantia ad Castitatem, & peccata illi opposita, nisi priùs explicetur Pudicitia cum suis oppositis. Dictum est c. 49. n. 1. quòd Pudicitia respicit præcipuè signa venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus, nèc quæro, an distinguatur specie à Castitate, quia certum est, etiamsi non distinguatur explicetur

plicandoseſſe hujuſmodi actus, utpotè incompletos, juxtà regulam traditam p.1.c.31.n.3.

2. D. Virtus Pudicitiæ quid habet regulare circà hujuſmodi tactus, oſcula, & aſpectus?

M. Hujuſmodi poſſunt conſiderari ſecundum ſe, & ita ex naturà ſuà ſunt actus indifferentes, qui poſſunt benè, vel malè fieri, ac regulantur à virtute Affabilitatis; quare licent ad oſtendendum amorem honeſtum, ubi viget conſuetudo, quòd paſſim uſurpentur; in quo tamen cautiſſimè procedendum eſt; quòd ſi debet adhiberi cautela maxima, in regionibus, in quibus exercentur ex conſuetudine, quia etiam ibi ſunt valdè periculoſi quantò cautius adhibendi ſunt, ubi nulla talis conſuetudo viget. Sanè quòad praxim, ubi non viget conſuetudo, ſunt damnandi ſaltèm ob periculum proximum, quod ſi non eſſet in uno, timeri ſufficientiſſimè poteſt in comparte: ſunt enim peccata, quotiès libido ſe ingerit, vel timeri poteſt, ut ſe ingerat: & id accidit, quotiès ex antiquà cõſuetudine non ſunt introducti, ut ſigna honeſti amoris.

3. D. Optimè dicis eſſe peccata, quotiès ſunt libidinoſi, ſed aſſignandum eſt, quando cenſendi ſint libidinoſi?

M. Hoc non poteſt explicari: cæterùm unuſquiſque in praxi agnoſcit optimè, quando moveatur ex amore libidinoſo; Natura id omnes docet, eſtò nequeat id explicari, & pœnitentes, ubi ſe accuſant de iſtis, jam agnoſcunt peccaſſe, ſaltèm exponendo ſe periculo.

4. D.

Digitized by Google

4. D. Hujusmodi actus extrà matrimonium, suntnè semper peccata?

M. Utique extrà matrimonium semper sunt peccata etenim amor libidinosus à naturà est institutus ad procreationem prolis, & cui prohibitus est ultimus actus, etiam prohibitæ sunt dispositiones ad ultimum actum: quia, & dispositio, & ultimus actus sunt in eodem genere, & quia natura tendit ad completum: quare cui natura prohibet complementum, simul prohibet inchoationem.

5. D. Suntnè omnes actus contrà Castitatem peccata: mortalia ex naturâ suâ?

M. Dictum est p. 1. c. 34. n. 6. quòd tùnc peccamus mortaliter, quando actus nequit stare cum charitate: dictum est c. 50. n. 2. quòd nequit simùl stare charitas cùm actu venereo præjudicante proli, quam naturà intendit nasci ex eo, præjudicanti, inquam, vel quòad esse, ut contingit in peccatis contrà naturam, vel quòad educationem, ut contingit in aliis Luxuriæ speciebus. Dictum est n. præcedenti naturam eodem præcepto prohibere ultimum actum, & dispositiones omnes prævias ad ultimum actum, inde sequitur omnes actus contrà Castitatem esse ex suo genere peccata mortalia.

6. D. Possuntnè excusari à peccato mortali ex parvitate materiæ?

M. Nùnc tenetur communiter nullum peccatum contrà Castitatem excusari à mortali ex parvitate materiæ, & inclita Societas Jesu sempèr amantissima Castitatis Angelicæ, tùm in suis Religio-

ligio-

ligiosis, tùm in suorum Religiosorum pœnitentibus, atque discipulis, sub pœnà excommunicationis prohibuit, ne quis doceret, vel admitteret parvitatem materiæ excusantem à mortali in peccatis contrà Castitatem; cujus doctrinæ, ut detur ratio, juxtà Doctoris Angelici, quem sequor in omnibus, principia, sic arguo. Tota Luxuriæ malitia consistit in eo, quòd præjudicetur, vel esse prolis, vel educationi ad instituendam totam vitam: quantuncumque ergo minimus sit actus, quia infert aliquod ex dictis damnis, quorum utrunque est gravissimum, erit semper peccatum mortale. Peccat mortaliter, qui minimam excitat scintillam, ordinatam ad incendendum campum, estò per accidens non sequatur incendium. Et ita est in nostro casu. Potest peccari venialiter, si aspectus, aut tactus essent occasio, & dispositio tantum remota ad accendendum amorem libidinosum, ut sunt verba scurrilia, de quibus cap. 48. n.4. & inordinati aspectus, non tamen libidinosi, sed qui disponunt remotè ad libidinem; si verò sint cum periculo proximo, tùnc erunt peccata mortalia.

7. D. Quia Luxuria est vitium capitale, enumerà mihi ejus filias, innuendo, quibus virtutibus opponantur?

M. Luxuriæ filiæ sunt octo: Prima: *Cæcitas mentis* opposita dono Intellectus. Vide c.4.n.13. Secunda: *Inconsideratio* Prudentiæ opposita. Vide c. 15. n.4. Tertia: *Præcipitatio*: Quarta: *Inconstantia*: Ambæ

bæ oppositæ eidem Prudentiæ. Vide c.15. n. 3. & 5. Quinta *Amor sui* per hoc, quòd inordinatè appetit propriam delectationem; quare est genus peccati, ex quo causantur omnia peccata: Sexta: est *Odium Dei*, oppositum charitati. Vide c.14. n. 1. Septima: est *affectus præsentis sæculi*. Est etiam genus peccati: Octava est *horror futuri sæculi*. S. Th. q.153.a.5. vocat *fastidium, & desperationem*, inchoativè saltem; unde reducitur ad speciē desperationis.

8. D. Adsuntnè Censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ contrà violantes Castitatem, aut Pudicitiam?

M. Adsunt rigorosæ pœnæ civiles, & etiam Ecclesiasticæ imponendæ in foro exteriori contrà Adulteros, Incestuosos, Virginum defloratores, Raptores, Sacrilegos, Concubinarios, & præcipuè contrà Clericos exercentes peccatum nefandum. Harum pœnarum notitia non est omninò necessaria Confessori, qui pœnitentem reum remittet ad Juristas; quòd si discutiendum sit, an aliqua illarum obliget in conscientiâ, non desunt Doctores, à quibus id haurire possit: Ubi autem careat libris, exquirat consilium; Circà pœnas in foro pœnitentiali, animadvertat, nonnullas hujusmodi peccatorum species solere ab Episcopis reservari; quare cujusque Diœcesis in particulari observet casus reservatos. In universali Tridentinum sess. 24. c. 6. de ref. matr. imposuit pœnam excommunicationis committentibus peccatum Raptus, vel operando, vel cooperando per consilium, auxilium, vel favorem P. 1. c. 10. n. 6. audisti adesse excommunicationem

Digitized by Google

tionem reservatam Summo Pontifici(à quà intrà Italiam, extrà Urbem neque possunt absolvere privilegiati regulares) contrà violantes clausuram Monialium ad malum finem, hoc est, ad finem offendendi earum Pudicitiam, aut Castitatem.

9. D. Quas Pœnitentias Confessor debebit imponere violantibus virtutem Castitatis, aut Pudicitiæ?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 23. tantùm in genere dicit imponenda esse *libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones.* In specie, si quæ determinãtur pœnitentiæ in particularibus Diœcesibus, ad unguem Confessor sequetur hujusmodi ordinationes. Meminerit, quę peccata habent annexam excommunicationem, sananda esse jnxtà regulas generales de excommunicatione traditas p. 1. c. 18. n. 22. ut, scilicèt, parti lesę satisfiat &c. Hujusmodi peccata si sint humana, hoc est, ex fragilitate, curanda sunt per Confessorem magnà charitate, juxtà dicta p. 1. c 22. n. 3. ita quòd animet Pœnitentem recurrere semper ad medicinam Sacramenti Pœnitentiæ ad hoc instituti, ut vi illius accedente cum debitâ pręparatione, à Deo impetrẽt per merita Christi applicata ex opere operato, *auxilia, maxima, quibus Christiani, dùm vivunt, conservare se integros ab omni graviore spiritus incommodo possint.* Sed si ab initio Christianus negligat recurrere, quantùm potest, pro hoc peccato ad lamenta pœnitentiæ, vertitur facillimè in consuetudinem, quam eradicare laboriosum est, & nisi Confessor

cautè

cautè procedat, nunquam eradicabit: Consuetudinarii promittunt maria, & montes, præsertim instante præcepto Paschali, vel aliâ simili occasione. Circà hujusmodi peccatores Confessor habet p. 1. c. 11. à n. 18. regulas à S. Carolo stabilitas, ad quarum amussim nisi procedat, aggravabit conscientiam propriam, nèc solvet coràm Deo pœnitentes. Porrò quæ inculcanda sunt, ut pœnitens concipiat maximum horrorem contrà hæc peccata, Confessor hauriat ex Catechismo p. 3. c. 7. à n. 6. Et quia frequentissimè peccatur cõtrà prædictas Virtutes peccato solùm interno concupiscentiæ, vel delectationis morosę, horum actuum internorum remedia, & pœnitentias accipere poterit ex eàdem p. 3. c. 10. præsertìm à n. 21.

CAPUT LIV.

De tribus Virtutibus annexis Temperantiæ, scilicèt, Continentiâ, Mansuetudine, Clementiâ, Vitiisque oppositis.

1. TEmperantia refrænat concupiscentias gustus, & Tactus, quę, sunt vehementiores. Porrò virtutes, quæ in refrænando passiones, non ita vehementes, imitantur Temperantiã, dicuntur partes potentiales ejusdem, sive annexæ eidem. In præsenti capite agemus de tribus, & in sequentibus de reliquis.

2. D. Quid est Continentia?

M. De Continentiâ S. Th. agit q. 155. & notat accipi aliquando in Scripturâ, & Patribus, pro ipsâ virtute Castitatis, etiam ut includit Virginitatem, & Pudicitiam. Scholasticè tamen loquendo Continentia distinguitur à castitate in hoc, quòd Castus, ordinariè non sentit stimulos carnis: Continens verò sentit stimulos carnis, & aliquando graves; nihilominùs per voluntatem resistit: quare Castus habet rectificatum utrunque appetitum, intellectivum, & sensitivum: Continens habet appetitum sensitivum adhùc deordinatum, per commotiones passionum, sed tenet intellectivum, seù voluntatē ordinatam in ultimum finem, ita, quòd concupiscentia non trahit illam ad peccatum mortale. Propterea Continentia non est perfectè Virtus; veruntamen hæc non sunt omninò necessaria Confessori ordinario. Propriè dicuntur Incontinentes, qui peccant ex infirmitate. Confessor ex generali notione Castitatis, & Pudicitiæ traditâ, habet etiam, quomodo curare debeat Incontinentes; nàm quòad praxim meliùs fuit omnia simùl examinare. Hìc solùm pro Confessariis adverto ex Angelici doctrinâ sequi, quòd diversum specie sit peccatum procedens ex passione, & peccatum procedens ex malitiâ. Peccatum procedens ex passione dicitur Incontinentia, & opponitur Continentiæ: peccatum procedens ex habitu, malitiâ, & consuetudine dicitur Intemperantia, & opponitur Castitati, quæ est species Temperantiæ. Porrò ex p. 1. c. 34. n. 7. peccata opposita diversis specie Virtuti-

tutibus diſtinguuntur ſpecie. Et id quidem legitimè ſequitur ex Angelici doctrinà; veruntamen adhùc non vidi, qui diſtinguerent ſpecie iſta peccata, cùm imò ante prohibitionem Innocentii XI. tenerent plurimi conſuetudinem non eſſe neceſſariò explicandam, eſtò de illà Confeſſor interrogaret. Qui legis, eſtò Judex, an id legitimè deducatur ex principiis Angelicis. Ego nolim firmare, quia nihil novi curo proponere, quin imò communi ſenſui me accomodans in hoc opere, nunquam memini conſuetudinem explicari debere, quia mutet ſpeciem, ſed potiùs, quia notabilitèr aggravat. Et hęc de Continentià in particulari ſufficiunt Confeſſori ordinario.

3. D. Quid eſt Manſuetudo virtus annexa Temperantiæ?

M. Manſuetudo eſt virtus habens refrænare paſſionem Iræ, ut ne quis iraſcatur plus, aut minùs, quàm decet. Hinc apparet ſubjectum receptivum iſtius virtutis eſſe appetitum ſenſitivum Iraſcibilem; nihilominùs annectitur Temperantiæ reſidenti in concupiſcibili, quia in modo refrænandi aſſimilatur Temperantiæ.

4. D. Obligatnè Manſuetudo ſub mortali ad ſuum actum?

M. Debemus eſſe parati, & diſpoſiti ad exercendos actus Manſuetudinis, quando ſine illorum exercitio non poſſet ſervari charitas, in quo caſu Manſuetudo ſub mortali obligaret, juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 6. ſed obligaret per accidens ex p. 1. c. 38. n. 16.

Cæterum quia possumus transigere totam vitam absque eo, quòd offerantur occasiones irascendi cum totali detrimento charitatis, ideò, per se loquendo, non obligat sub mortali Mansuetudo.

5. D. Quæ sunt Vitia contrariè oppositа Mansuetudini?

M. Peccatum contrariè oppositum per defectum est, dum, scilicèt, ubi, & quando quis debet, non irascitur; de quo S. Th. q. 158. a. 8. est innominatum. Ut intelligatur ejus essentia, ex S. Thomà q. 123. a. 10. fortis in suo actu debet uti irà, & quicunque ad modum fortis aggreditur aliquid difficile: nàm aggredimur hæc difficilia per Itascibilem, cujus in exequendo actus est Ira: Igitur quibus incumbit aggredi aliquid difficile, ut fortes in bello, & in pace habentes servare justitiam legalem, & commutativam, ubi hæc opprimitur à potentioribus, debent irasci, nè verificetur illud Is. 56. *Canes muti non valentes latrare*, præsertim pro Ecclesiasticà immunitate, & ad sublevandos pauperes. Plures quidem irascuntur contrà pauperes, & debiles, at sub capite potentium consuunt pulvillos. Confessor, ubi similes incidunt pœnitentes, inculcet grave peccatum, quo se implicant, & gravissimum, quod Ecclesiæ inferunt detrimentum. Si qui verò spiritualiores aggrediuntur ardua quæque sine irà; doceat Confessor id non esse humanum, & hujusmodi carere effectibus humanitatis. Nimia hæc lenitas pertingere posset ad peccatum mortale, quãdo ex ejus omissione prejudicium notabile inferretur

retur charitati, quia verò Confessor id nequit scire, nisi pœnitens explicet, ideò si se accusat de nimiâ lenitate, interroget prudentèr, ut possit agnoscere peccatum. Sciat nihilominùs, quòd hæc nimia lenitas est peccatum mortale per accidens, ideò si v. g. se accusat, quòd in tali materiâ v. g. præjudicaverit Ecclesiæ, non est necesse, quòd interroget, an fuerit iratus, ut illam defenderet.

6. D. Quomodò vocatur peccatum contrariè oppositum per excessum Mansuetudini?

M. Vocatur *Ira*, non ut est passio, sed ut est appetitus inordinatus vindictæ. Utpotè inordinatus appetitus est semper peccatum, sed non semper est mortale peccatum ex genere suo.

7. D. Omnis appetitus contrà justitiam ex genere suo est mortale peccatum: Justitia enim est tale medium, sine quo nequit servari charitas, & ira appetit vindictam injustam?

M. Lege S. Doctorem q. 158. a. 3. & videbis; quòd ira dicitur inordinata: primò, quatenùs tendit in objectum, in quod non debet tendere, scilicèt, in vindictam injustam: & in tali casu est utique peccatum mortale ex suo genere, solumque potest excusari ob parvitatem materiæ, vel si desit plena advertentia, quæ est necessaria: secundò: dicitur inordinata, quatenùs tendit quidem in vindictam justam; sed nimis ardentèr, vel plura, quam debet; Iræ signa profert. Quia utrunque modum complectitur Ira, mansuetudini opposita, ideò non dicitur ex suo genere peccatum mortale: dictum est

in *Instruct. pro ordinandis* c. 12. n. 18. peccari posse peccato Irę triplicitèr, sed omnes illi modi sunt de irà inordinatà ex parte objecti.

8. D. Eodem loco dictum est Iram esse Vitium Capitale, nùnc inquiro, quænàm sint ejus filiæ, & quibus virtutibus opponantur?

M. Apud S. Th. qu. 158. a. 5. invenies Iram distingui in tres species ex parte actus; quæ tamen quia non distinguunt iram, ut ex parte objecti est mortale peccatum, ideò illas relinquo, ut non necessarias omninò Confessori ordinario, qui principalitèr debet scire species peccatorum mortalium. Si lubet, lege S. Doctorem, qui a. 6. enumerat Iram inter peccata capitalia, & sex ei filias assignat a. 7. Prima: est *Rixa*, peccatum oppositum charitati, de quo c. 14. n. 12. sed universalius nomine Rixæ hìc veniunt peccata omnia, quæ factis inferunt nocumentum proximo. Secunda: est *Tumor mentis*, sive, ut explicat ad 3. audacia intentantis vindictam, de quo Tumore, ut oppositio fortitudini, dictum est c. 43. n. 16. Tertia: est *Contumelia*, peccatum oppositum Justitiæ, de quo c. 26. n. 2. Quarta: est *Clamor*, scilicèt, inordinata, & confusa locutio, peccatum Modestiæ oppositum, de quo dicetur c. 56. n. 23. Quinta: est *Indignatio*, seù tristitia de bono proximi, quatenùs est indignus: Iræ passio obnubilat intellectum: quare apprehendit, & judicat eum, qui offendit, indignum venià, dignumque solùm supplicìis, & vindictà: quare indignatur, quòd offendens habeat bona, utpotè creditus illorum indignus:

gnus: maximè indignatur, si quis petat pro offendente bonum veniæ. Hæc indignatio est Nemesis, de quà c. 14. n. 6. ubi explicatum est, quotuplicitèr tristari possimus de bono proximi, & dictum est Nemesim, seù indignationem de se esse peccatum veniale, quando agitur de bonis temporalibus: cæterùm si offendens verè non sit indignus, sed solùm à nobis ex irâ judicetur indignus, tùnc etiam poterit esse peccatum mortale. Sexta tandem Iræ filia est Blasphemia, de quà dictum est c. 4. n. 8. & quidem si sit plasphemia simplex, opponitur Religioni, & præcisè actui, quo laudamus Deum: si verò sit blasphemia hæreticalis, opponitur Fidei, & præcisè confessioni externæ fidei.

9. D. Quas pœnitentias Confessor imponet violantibus virtutem Mansuetudinis?

M. Qui violant per defectum, maximè sunt Superiores, & Principes; qui non zelant Dei honorem, & observantiam legum; Et quia hìc defectus habet maximam similitudinem cum ipsà Virtute, ut scias, quando est virtus Mansuetudinis, & quando peccatum Mansuetudini oppositum, videbis, quòd deficiens ordinariè loquendo, solùm tacet, & non irascitur, quando non adest injuria in seipsum, sed quando, vel leve delictum à paupere in se est commissum, in his casibus omnia sus deque mover. At verò silet, ubi agitur de offensis Dei commissis à potentioribus, quas offensas parum curat supprimere. Confessor excitabit hujusmodi delinquentes ad justam iram, gravitèr, & efficacitèr

ostendendo suas obligationes in vim officii, & ex justitiâ; Vide dicta c. 19. n. 14. Pro excedentibus in irascendo, si quidem excedant ex parte objecti appetendo vindictam majorem, quàm mereatur delictum, contrà quod irascuntur, hos Confessor monebit de obligatione charitatis, & justitiæ, quam habent ergà proximum, de quarum obligatione virtutum, pro quanto sufficit Confessori ordinario, dictum est suo loco: Si excedat ex parte actus in nimis irascendo, habet ex Evangelio, & Epistolis Apostolorum obvia loca, ut utramque iram refrænet: nec erit incongruum ostendere, quòd assignatæ sex filiæ Iræ nascuntur præcipuè ex Irà, ut excedit modum, maximè Clamor, Contumelia, Indignatio, & Blasphemia.

10. D. Quid est Clementia, Tertia Virtus annexa Temperantiæ?

M. Clementia distinguitur à Mansuetudine, per hoc, quòd ista moderatur, & refrænat Iram, quæ est causa pœnarum. Clementia verò mitigat, & moderatur pœnas, quæ sunt effectus Iræ: Princeps moderatus fuit Iram per Mansuetudinem, ita quòd in istâ passione non defecerit, neque excesserit: sed adhùc potest deficere, vel excedere in castigando, neque loquor nùnc de excessu in castigando contrà justitiam, sed justitia habet suam latitudinem, intrà quam semper pœna erit justa; Audisti c. 27. n. 6. quòd pretium morale rerum venalium est triplex, & unumquodque est justum; Etiam pœnæ possunt considerari justè cum hac

triplici

triplici latitudine, ut alię sint infimę, aliæ medię; aliæ rigorosæ; dummodò sint justæ, Superior potest eligere quamlibet ex his, & Clementia refrænat animum, ne inclinet ad eligendam pœnam intrà limites justitiæ rigorosam. Omnes experimur inclinari ad rigorem ergà alios, ad benignitatem ergà nos, & nostros: Id etiam pluriès in ipso Confessionali experietur ipse Confessor: inclinabitur ad dandas pœnitentias leves, ubi accedant amici, divites &c. ubi verò accedunt ignoti, pauperes &c. inclinabitur ad pœnitentias graviores. Igitur Clementia dirigit hominem, ut inclinet ad moderandas pœnas, non amicis tantùm, sed omnibus, semper tamen, ut decet, consideratà conditione personæ, loci, temporis &c.

11. D. Quam regulam servat Clementia, ut moderetur pœnas intrà Justitiæ limites?

M. Potuisses id addiscere ex verbis illis positis in fine numeri præcedentis, *consideratà conditione personæ* &c. ubi enim hæc veniunt consideranda, non potest assignari regula generalis, & determinata; sed omnia relinquuntur arbitrio prudentis. Cæterùm, quod insinuatum est de pretiis, & applicatum pœnis, debet inservire pro regulà generali, ad Clementiam, ut semper applicetur pœna infima ex iis, quæ sunt irrogandæ per justitiam. Aliam regulam Confessor explicabit pœnitentibus, ostendens, quòd illam sequentes, erunt similes Deo. Audisti c. 39. n. 5. quòd Gratitudo semper habet de bonis retribuere suprà condignum, hoc est, suprà quam valeat

leat beneficium nobis collatum ; Deus hoc modo procedit, ut Sanctis retribuat gloriam suprà condignum: peccatoribus verò, etiam damnatis in inferno, per Clementiam retribuit de pœnis infrà condignum. Et id exigit Clementia ab omnibus habentibus retribuere pœnas. Vide de hac virtute S. Thomam q. 157.

12. D. Quod dictum est Clementiam retribuere pœnas infrà condignum, debetnè verificari etiam de Confessore, ut iste debeat imponere pœnitentias infrà condignum?

M. Confessor est Minister Dei, & Minister non potest agere præter mandatum principalis; Deus per os Ecclesiæ suæ sponsæ in Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 22. determinavit quidem aliquam proportionem inter peccata, & pœnitentiam à Confessore imponendam pro peccatis; unde dicitur *Videat, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat*. Taxare verò præcisam pœnitentiæ quantitatem cuilibet peccato nec Deus voluit, nec Ecclesia, universaliter loquendo, licet, ut dictum est p. 1. c. 15. aliquotiès ostenderit pœnitentias, quę, ut in pluribus, erant imponendæ pro determinatis peccatis, nihilominus adhùc variandis, juxtà exigentiam, & conditionem pœnitentium: nec enim juxtà disciplinam Ecclesię antiquam, moribundis, aut infirmis, quando volebant reconciliari, imponebantur pœnitentiæ canonicæ, quæ sanis. Igitur taxare quantitatem pœnæ huic peccato in particulari hìc, & nùnc, remittitur à Deo, & Ecclesiâ, pruden-

denti judicio Confessoris; & tu quæris, an sicut in aliis causis Judex per leges Clementiæ, debet eligere pœnam minorem, imò infrà condignum castigare, ita etiam teneatur procedere Confessor: hæc, ni fallor, est vis tuæ interrogationis, & respondeo, quòd Confessor debet habere præ oculis duo principia: primò: quòd pœnitens non plenè satisfaciens pro peccatis in hoc mundo, satisfaciet in Purgatorio pœnis multò acerbioribus: secundò, quòd Christianus patiens suprà id, quòd debet pro hoc peccato, satisfacit pro aliis anteà commissis, & nondum plenè quòad pœnam remissis, meretur maximè, & magis assimilatur Christo; Ex his motivis non debet queri pœnitens, si Confessor sit aliquantò severior in imponendis pœnitentiis; tunc enim habet præ oculis bonũ pœnitentis: At quia temporũ cõditio, & infirmitas hominum non suffert graviores pœnitentias; Confessor eas moderabitur juxtà Charitatis, & Prudentiæ regulas, magis quam Clementiæ, quæ in hoc tribunali non potest habere locũ ex se solà, nisi annectatur prædictis virtutibus.

13. D. Obligatnè Clementia sub mortali ad suum actum?

M. Audisti explicatam Clementiæ rationem in applicandis pœnis, exemplo trium pretiorum moralium, de quibus dictum est c. 27. n. 6. de quibus additum est non peccare venditorem, si velit vendere pretio supremo, quia hoc est intrà latitudinem justitiæ: Applicando hanc doctrinam Clementiæ: habet hæc moderari pœnas justas, accipiendo infimam in-

intrà latitudinem pœnarum justarum; qui autem eligit aliquid justum hìc, & nùnc, numquam eligit aliquod medium incompossibile cum charitate, propterea nunquam peccat per se loquẽdo: Unusquisque tamen debet esse animo ita paratus, ut si hìc, & nùnc præjudicaret hæc pœna, (aliàs justa, sed rigorosa) charitati, illam dimitteret. Et verò ut magis aperiam intellectum Confessoris, volo hìc notare, quòd ita communiter procedunt Principes Christiani, etiam in casibus gravioribus, ut quotidie videmus: Habent reum morti adjudicatum pro tali die; justissimè pro tali die potest addici supplicio; quia tamen vident reum non se disponere ad sacramenta, per Clementiam diminuunt pœnam, protrahendo aliquem diem vitæ, ut faciliùs se disponat; quòd si perseverat impœnitens, dant Justitiæ locum, quia non esset ampliùs Clementia: etenim quilibet reus sciens se non addicendum morti, ostenderet impœnitentiæ signa.

14. D. Dic mihi: Obliganturnè in tali casu sub mortali Principes ad differendum per talem Clementiam Rei supplicium?

M. Ordinariè loquendo sub mortali tenentur Principes Reis concedere tempus ad recipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ad quorum susceptionẽ tenemur omnes jure divino in articulo mortis; At si Reus illa suscipere admonitus renuit, Princeps non tenetur sub mortali protrahere executionem sententiæ per talem Clementiam. Ut enim n. præcedenti est dictum, Clementia per

se

se non obligat sub mortali, sed solùm per accidens in casu, quo Charitas obligaret. Porrò in tali casu Charitas non obligat Principes sub mortali ex ratione traditâ p. 1. c. 14. n. 3. (& relegendâ, cum sit ratio universalis) nam sub mortali charitas obligat, quando proximus est in extremâ necessitate. Reus autem ex voluntate, non ex necessitate reperitur indispositus in dicto casu. Princeps obligaretur sub mortali ad exercendam Clementiam fœminæ gravidæ, differendo supplicium, quia fœtus existens in utero, & est innocens, & est in extremâ necessitate.

15. D. Quomodò vocatur peccatum contrariè oppositum Clementiæ per defectum?

M. Potest vocari *Nimia lenitas*, & committitur, quando Superior (præcipuè Confessor) irrogaret pœnam, quæ esset infrà limites pœnæ justæ. Ita esse animo inclinatum pertinet ad hoc vitium; si verò pœna infligatur minor justâ, tùnc etiam committitur injustitiæ peccatum contrà justitiam legalem, sicut est contrà charitatem habere animum inferendi malum proximo; at est contrà justitiam actu inferre malum proximo.

16. D. Igitur hoc erit ex suo genere peccatum mortale: nam habere animum violandi justitiam: est de se peccatum mortale: Aliàs dixisti p. 1. c. 34. n. 6. illa non esse de se peccata mortalia, quæ opponuntur virtutibus non obligantibus ad mortale. Et id statuisti ut regulam generalem; quare nùnc contràdicis tibi ipsi?

M. Tu

M. Tu certè opponis difficultates, quæ sunt suprà captum Confessoris ordinarii; & mihi necessaria est memoria, ut recorder, non dicere in uno loco contraria iis, quæ dixi in altero: vis enim me convenire: fateor nihilominùs, quòd tale debet esse tuum studium, ut semper metiaris particularia, juxtà regulas, & principia universalia: Ut autem tibi satisfaciam, notà quòd dixi n. præcedenti peccatum hoc *nimiæ lenitatis* imponere pœnam minorem justà, non dixi imponere pœnam injustam. Porrò imponere pœnam minorem justà, de se non est mortale, nisi sub mortali Superior obligetur ad imponendam hanc pœnam, & non minorem. Id apparet præsertìm in Religionibus, in quibus pro tali delicto in particulari imponitur aliqua pœna; & Superior illam non imponens, ubi verè habet locum, consideratà qualitate peccati, qualitate peccantis &c. peccat peccato nimiæ lenitatis, non tamen de se peccat mortalitèr, quia Constitutiones Religionis non obligât ad imponendam hujusmodi pœnam sub mortali, sed si sequeretur inde relaxatio boni communis, tùnc esset mortale peccatum, non quia opponitur Clementiæ, sed quia opponitur Charitati, præcipuè respicienti conservationem boni communis.

17. D. Quomodò vocatur peccatum contrariè oppositum Clementiæ per excessum?

M. Dicitur *Crudelitas*: Distinguenda sunt hæc tria, Severitas, Crudelitas, & Sævitia, sive feritas: Dicitur Severus, qui Reo semper imponit pœnam su-

ſupremam inter tres gradus pœnæ, infimę, medię, & rigoroſæ. Hìc quidem in caſtigando omittit actum Clementiæ, ſed non committit peccatum contrariè oppoſitum Clementiæ. Sævus, ſeù ferus dicitur, qui in caſtigando non reſpicit culpam Rei, ſed delectatur in hominum cruciatu, & pœnis: Crudelis verò dicitur, qui conſiderat culpam, ſed tali pœnæ irrogat pœnam juſto majorem; S. Th. q. 159. Sævus committit peccatum inhumanum, quia delectari in ſanguine, ſeù pœnis aliorum, eſt beſtiale, & contrà hominis naturam; propterea peccat contrà donum Pietatis, quę, juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 8. eſt virtus heroica, ſeù divina; & propterea illis opponuntur peccata beſtialia, ſeù inhumana. Crudelitas directè opponitur Clementiæ, & per accidens erit peccatum mortale, ſcilicèt, ratione juſtitiæ, quam lædit, juxtà dicta n. præcedenti de Nimià lenitate, cujus doctrina eſt applicanda Crudelitati.

18. D. Circà Continentiam, ſuprà jam dicta de Caſtitate, nihil ultrà notandum reſtat, quòad Cẽſuras, pœnas, & propoſitiones prohibitas: Et circà Manſuetudinem, atque Clementiam, hæ duæ virtutes conſideratæ ſecundum ſe, aut ratione peccatorum ſibi oppoſitorum, nullam habent cenſuram, aut reſervationem, de quibus hìc oporteat ſpecialitèr meminiſſe, quia non obligant de ſe ad mortale, niſi quatenùs etiam violatur Juſtitia. Circà pœnitentias imponendas Iracundis, dictum eſt n. 9. Circà pœnitentias imponendas Crudelibus,

aut

aut Nimium lenibus, jàm habes ex dictis suo loco de Justitiâ, quid Confessor debeat inculcare hujusmodi peccatoribus: estò enim Theologus consideret hæc peccata secundum se, & valdè sit utile Confessori scire, quid secundum se dicant hujusmodi peccata, tamen in praxi ut plurimum conjuncta sunt Injustitiæ, & Confessor efficacius urgebit pœnitentem, si ostendat periculum peccatorum mortalium, proveniens ex injustitiâ, quàm si ostendat peccatum veniale, quod est in Crudelitate, aut Nimiâ lenitate, ut considerantur hæc peccata per se, & abstracta à qualibet injustitiâ.

CAUPT LV.

De Humilitate; peccatisque eidem contrariè oppositis.

1. UT audisti hùc usque S. Th. considerans vim nominis Temperantiæ, quod sonat temperare, moderari, seù refrænare, posuit species ipsius Temperantiæ, quatuor virtutes, Abstinentiam, Sobrietatem, Pudicitiam, Castitatem, quæ habent refrenare concupiscentias tactus difficillimas, ut refrenentur: Successivè considerans hominem trahi (licet non ita potentèr) ab aliis etiam passionibus, assignavit, ut annexas Temperantiæ, virtutes, quæ refrænant hujusmodi passiones; & primò videns hominem trahi ad illicita sæpius ab Irâ, egit de mansuetudine moderati-

vâ

và Irarum; secundò considerauit hominem, ubi agitur de se ipso, aut de suis tendere in id, ut nolit pœnam: ubi verò agitur de extraneis contrà illos velle omnem rigorem pœnarum, juxtà exemplum Davidis consideratum in Appendice ad *Instruct. pro ordinandis* c. 7. n. 5. propterea Temperantiæ annexuit Clementiam, quæ nos refrænaret ab hujusmodi passione, inclinaretque ad medium tenendum ergà omnes, juxtà illa, quæ diximus de Clementiâ. Ulteriùs considerans alias etiam passiones esse moderandas, notavit nõnullos comprehendere virtutes omnes moderativas hujusmodi passionem sub uno Modestiæ generico nomine, quod notavit, nè parùm versati confunderentur; nàm de reliquo vitans ipse omnem vocis quæstionem, posuit tertio loco virtutem Humilitatis, quæ haberet moderari passionem Spei; de quâ virtute, vitiisque oppositis agit S. Doctor à q. 160. ad 166.

2. D. Quid est Humilitas, quarta virtus annexa Temperantiæ?

M. Si reliquisses me prosequi sermonem inceptum, eò jam certè deveneram, ut tibi plenè satisfacerem absque interrogatione. Igitur, ut dicebam, Humilitas habet moderari passionem Spei. Memento, quod Spes est boni arduí, quare duplex ratio consideratur in objecto Spei: primò: bonitas: secundò: arduitas, & difficultas illud consequendi: Bonitas considerata secundum se habet attrahere: Arduitas verò habet retrahere. Igitur duplex virtus est necessaria pro dirigendà passione Spei, alte-

ra, quæ dirigat hominem, dum considerat arduitatem, & hæc virtus habet impellere, ut, non obstante arduitate, curet homo consequi bonum illud: hæc virtus est Magnanimitas, de quà dictum est c.44. Altera, quæ dirigat hominem, dùm considerat bonitatem; & hæc virtus habet refrænare, ut homo plus, quàm decet, non feratur in objectum, utique bonum, sed & simul arduum. Porrò virtus hæc vocatur Humilitas. S. Th. q. 161. a. 1.

3. D. Quomodò possum per humilitatem me subiicere omnibus?

M. Cum Dei adjutorio consequi poteris id, si quoties non habes opus considerandi in te dona Dei, consideres quidquid habes ex te ipso; videbis enim te ex te habere solum defectum, & peccata; è contrà in proximo si consideres dona Dei, saltem aliquod; nemo enim quantumcunque peccator, est sine aliquo Dei dono: Porrò certè qui considerat in se ipso solos defectus, necessariò cognoscet se esse inferiorem altero, in quo considerat Dei dona. Hoc modo Sanctus Dominicus ingrediens aliquam civitatem, se subjiciebat semper omnibus ejusdem urbis incolis, dum genuflexus orabat Deum, ne ob sua peccata urbem subverteret. Considerabat suos defectus etiam minimos, ratione quorum, estò singulorum, Deus justissimè potest in hoc sæculo castigare civitatem integram, in quà moratur talis defectuosus. E contrà in habitatoribus considerabat misericordiam Dei, ratione cujus Deus expectat, & non punit peccatores. Hu-

jus-

juſmodi conſiderationes unuſquiſque poteſt habere; imò tenetur ex illo Philipp. 2. *In humilitate ſuperiores ſe invicem arbitrantes*. Aliud humilitatis univerſale motivum adduxi in Appendice ad *Inſtruct. pro ordinandis* c. 7. n. 1. quod hìc repeto: nec enim abundè poteſt inculcari. Luc. 17. præcepit Chriſtus Apoſtolis,& in Apoſtolis,unicuique fidelium: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis: dicite: Servi inutiles ſumus*. Quilibet igitur conſiderans ſe ipſum ſecundum ſe, ex mandato Chriſti, debet credere ſe ſimplicitèr inutilem: E contrà debet conſiderare proximum omnem,imò & dæmonem, ex Dei virtute illi collatà, dùm aſſumitur ut inſtrumentum alicujus operationis,eſſe utilem ad aliquid: nam de omni, etiam de dæmone verificatur illud Auguſtini in Pſ. 14. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deũ. Omnis malus, aut ideò vivit ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illũ bonus exerceatur*. A pertè fatemur omnes Chriſtiani,quòd damnati ſunt à Deo aſſumpti, ut inſtrumentum ad oſtendenda in Dei juſtitiam. Et ita ſunt utiles. Porrò clarum eſt, quòd inutilis debet ſe ſubjicere ei, qui eſt utilis.

4. D. S. Franciſcus reputabat ſe maximum totius mundi peccatorem: eſtnè neceſſarium ad perfectiſſimã humilitatẽ,quòd homo ita de ſe ſentiat?

M. S. Th. q. 161. a. 3. ait non eſſe neceſſarium quòd homo reputet ſe magis peccatorem quolibet alio,& quia ſemper ſtudet probare,quod aſſerit, id probat ex illo Gal. 2. *Nos naturâ Judæi, & non ex*

gentibus peccatores. S. Franciscus ex principio stabilito reputabat se maximum peccatorem: considerabat, quòd si alii recepissent dona sibi à Deo collata ex gratiâ Dei, magis correspondissent Deo, quàm ipse correspondit ex suo defectu.

5. D. Obligatnè sub mortali ad suum actum virtus Humilitatis?

M. Ex S. Th. q. 161. a. 1. ad 5. *Humilitas præcipuè respicit subjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam alii humiliando se subiicit*. Et q. 162. a. 5. illud adverbium *præcipuè* vertit *propriè*, nèc possumus servare charitatem Dei, quando positivè nolumus illi bonum nostræ subjectionis debitum; quare respectu proprii, & principalis objecti, dicenda est Humilitas obligare sub mortali ex genere suo, quia debemus subiicere nos Deo, ejusque legi nobis stabilitæ, adeò ut, licèt possimus agere præter legē (in quo casu peccabimus venialitèr juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 4.) nunquam tamen sine mortali possumus refugere hanc subjectionem, ut agamus contrà legem Dei. Particularis tamen materia actuum Humilitatis coincidit cum materiâ aliarum virtutum principalius præceptarum: v. g. lex divina nos obligat aliquotiès in anno, juxtà dicta c. 1. n. 19. subiicere nostrum intellectum divinæ revelationi factæ de tribus principalioribus mysteriis Ecclesiæ Catholicæ. Satisfacimus Deo præcipienti actum Humilitatis, unicè per actum fidei circà prædicta mysteria. Ille est actus imperfectus Humilitatis: Ad actum verò perfectum obligamur, quando obliga-

mur

mur ad actum perfectæ charitatis importantem, quòd subiiciamus voluntariè totam vitam nostram legi divinæ. Ubi obligamur ad actum imperfectum charitatis, paritèr obligamur ad actum imperfectũ Humilitatis, v. g. si obligamur ad actum eleemosinæ, obligamur ad actum imperfectum subiiciendi aliquid nostrum Deo in bonum proximi. Audisti ex Trid. p. 1. c. 4. n. 12. ad justificationem prærequiri Dei amorem initialem, sed imperfectum, quia nondum est cum proposito servandi omnia mandata, de hoc enim proposito Concilium loquitur subsequentèr. Justificandi obligati primò ad illum actũ imperfectum amoris initialis, obligãtur etiam ad actũ imperfectum Humilitatis: nàm illo amans Deum subiicit se Deo ut fini. Et sic loquendum de reliquis. Hinc vides Humilitatem minùs principalitèr tendere in proximum, & tùnc obligabimur subiicere nos proximo, cum obligamur subordinare nostra, vel nos proximo. Subditus tenetur esse subordinatus Superiori; Obligatus ad eleemosinam corporalem, tenetur subordinare sua bona pauperi &c.

6. D. Audio S. Benedictum in suà Regulà posuisse duodecim gradus Humilitatis, libentèr scirem illos, ut possim dirigere pœnitentes meos, quando ipsos videro amantes perfectionis: perfectio enim Christiana maximè consistit in Humilitate?

M. Non rectè procedit Confessor, qui scire cupit gradus Humilitatis, eo tantùm fine, ut alios doceat. Principalitèr curabit scire, ut ipse in illis se

exerceat quàm perfectè. Id enim est omninò necessarium; Ex Rituali adducto p.1.c.7.n.7. Confessor ad audiendas confessiones, *quantam maximam potest prudentiam* debet sibi comparare, Ex n. 10. *piis precibus* debet implorare *divinum auxilium ad hoc ministerium rectè, sanctèque obeundũ.* Ex n.18. debet *humanitèr* suggerere pœnitenti, ut integrè confiteatur. Ex n.21. debet *paternà charitate* adhibere opportunas correptiones. Porrò maxima prudentia, piæ preces, humanitas, & paterna charitas exigunt perfectam humilitatem, ut ex te videbis facilè, si reflectas ad dicta n. 5. Tibi ergo sunt addiscendi duodecim gradus humilitatis, à B. Benedicto positi, ut alios doceas, sed principalitèr, ut in illis te exerceas. Et sunt hi. Primò: *Corde, & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus.* Secundò: *Pauca verba, & rationabilia loqui, non clamosà voce.* Tertiò: *Non esse facilem, aut promptum ad risum.* Quartò: *Tacere usque ad interrogationem.* Quintò: *Tenere, quod habet communis Monasterii regula.* Sextò: *Credere, & pronunciare se omnibus viliorem.* Septimò: *Ad omnia indignum, & inutilem se confiteri.* Octavò: *Confiteri peccata sua.* Nonò: *Per obedientiam in duris, & asperis patientiam amplecti.* Decimò: *Cum obedientiâ subdere se majori;* Undecimò: *Non curare implere voluntatem propriam.* Duodecimò: *Deum timere, & recordari omnium, quæ præcipit.* Porrò graduum horum convenientiam Theologicam, vide apud S.Th. q.161.a.6.

7. D. Tu maximè commendas hos gradus Confessori,

fessori, & certè sunt maximè commendandi cuilibet Christiano, sed non videntur necessarii Confessori, ut tali?

M. Deciperis: Confessori ut tali, omnes hos duodecim gradus commendat Rituale: Primum, ubi vult confessiones audiri in Confessionali *crate perforatà inter pœnitentem, & Sacerdotem instructo*. Secundum in illis verbis: *Ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat*. Tertium illis: *Correptiones adhibebit, & ad contritionem efficacibus verbis excitare conabitur*. Quartum illis: *Cum sigillo, sub exacto, perpetuoque silentio*. Quintum illis: *Ecclesiæ constitutiones diligentèr observet*. Sextum, ubi vult peritorum exquiri consilium: septimum, ubi vult implorari divinum auxilium: quæ enim possumus, aut ad quæ sumus utiles ex nobis, non petimus ab alio. Octavum expressè quidem non meminit Rituale, quia nunquam Ecclesia sibi persuasit, Confessorem vivere in peccato mortali; sed supposuit notum jus divinum, ut volens administrare sacramentum Pœnitentiæ, si sit in peccato mortali, debeat confiteri, vel externè Sacerdoti, vel saltem internè Deo, per contritionem charitate perfectam. Nonum, ubi vult audiri Pœnitentē; Considerà, quibus id exprimit, verba, & videbis indicari patientiam invictam. Decimum illis verbis: *In hoc ministerio procedat, ut infrà præscribitur*. Undecimum, ubi commendat *honori divino, & animarum saluti* consulere, non sibi, adeò, ut neque sibi possit applicare pœnitentias pecuniarias. Duode-

cimum tandem, ubi ait Confessorem *divinæ justitiæ, & misericordiæ ministrum à Deo constitutum.* Minister enim debet timere suum principalem, & recordari omnium, quæ præcipit in exequendo ministerio. Restat, ut hisce gradibus humilitatis externę correspondeat vera, & par Humilitas interna.

8. D. Quæ sunt peccata contrariè oppositа Humilitati?

M. Peccatum contrariè oppositum per defectum est innominatum, nèc de illo agit S. Thom. Peccatum contrariè oppositum per excessum vocatur Superbia, cujus ut plenam notitiam tradat S. Th., quęrit insuper particularitèr de Superbià primi hominis, de pœnis propter illā incursis, quæ sunt effectus, & de causà, scilicèt, de Tentatione Diaboli, quà tentavit primum hominem. Quia hæc non sunt omnimodè necessaria Confessori ordinario, relinquentur videnda in textu, & solum dabimus, quę circà Superbiam pertinent ad Confessores.

9. D. Quid est Superbia?

M. Est *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut homo non vult subiici regulæ, seù legi divinæ* S Thom. q. 162. a. 5. & consequentèr est etiam Superbia, si non vult subiici Superiori creato sibi constituto à Deo, & tenenti vicem Dei in directione nostrà. Equidem in omnibus peccatis contemnitur regula, & lex divina; unde omne peccatum importat rationem superbiæ, sed tùnc est peccatum speciale superbiæ, quando directè, vel indirectè tendimus in

ali-

aliquid, quia nolumus subiici Superiori; Si quis furetur, ut ditescat de alieno, utique contemnit septimum Decalogi præceptum, sed non contemnit formaliter, committitque unicum furti peccatum; si verò furetur, quia non vult subiici Decalogo, tùnc duplex peccatum committit, alterum furti, alterum Superbiæ specialis.

10. D. Mihi videris confundere inobedientiam, & Superbiam?

M. Tangis optimam difficultatem. Porrò scias me oppositisse prædictum exemplum, quo clarius possem intelligi. Verum igitur est, quòd in allato exemplo concurrunt inobedientia, & Superbia; imò Inobedientia semper est conjuncta superbiæ specialiter sumptæ; Ex dictis c. 38. n. 16. inobedientia importat contemptum præcepti: *Contemptus* autem *pertinet ad superbiam*, ait S. Th. q. 162. a. 1. non tamen omne peccatum speciale Superbiæ semper est cum inobedientiâ formali, v. g. peccat peccato Superbiæ, qui gloriatur de scientiâ, quam habet, quasi eam habeat à se ipso, non à Deo, vel qui hìc, & nùnc existimaret se esse justificatum per opera naturalia, cum tamen formaliter in hoc non sit inobediens. Igitur Inobedientia est tantùm: quãdo formaliter nolumus nos subiicere in operando legi divinæ; in quo casu superbia, seù contemptus est causa peccati Inobedientiæ, seù causa, quòd non exequamur præceptum; & in hoc non exequi, proùt connotat pro suâ causa contemptum, stat ratio formalis Inobedientiæ. At ratio formalis

malis Superbiæ ſtat in ipſo contemptu, & Superbia magis latè patet, quia, ut oſtendit exemplum adductum, ſuperbio, etiam extrà casū Inobediētię.

11. D. Inobedientia, ſemper, ut dixiſti, conjungitur ſuperbię formali, ſeù contemptui, qui eſt de ſe peccatum mortale, etiam præſcindendo ab Inobedientià: quare Inobediens in confeſſione non ſufficientèr explicabit ſe fuiſſe Inobedientem, ſed debebit etiam diſtinctè explicare peccatum contemptus, & Superbiæ?

M. Audiſti p. 1. c. 31. n. 3. quòd explicans in confeſſione ultimum actum, eo ipſo etiam explicat præcedentes, non è contrà. In confeſſione dicens ſe fuiſſe delectatum contrà Caſtitatem, debet ulteriùs explicare, ſi per ſolam delectationem moroſam, deſiderium &c. E contrà ſe accuſans de peccato conſumato contrà Caſtitatem, eo ipſo explicat delectationem moroſam, deſiderium, intentionē, electionem &c. Cum ex num. præcedenti Superbia ſit ſemper cauſa Inobedientię, qui explicat Inobedientiam, ſimul explicat Superbiam, non è contrà.

12. D. Poteſtnè peccatum Superbiæ excuſari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Formale peccatum Superbiæ non poteſt excuſari à mortali ex parvitate materiæ: nam importat nolle ſubjici Deo; qui autem in minimo tollit dominium Dei, totaliter tollit omne dominium Dei. Optimè Scholaſtici concludunt, quòd ſi una formica tolleretur à dominio Dei, vel hoc,

quòd

quòd est semel erigere digitum, omnia eo ipso subducenda essent à dominio Dei; quod ut indivisibile, vel totum tollitur, vel nihil.

13. D. Quot sunt species Superbiæ?

M. Quatuor Superbiæ species ex S. Greg. assignat S. Th. q. 162. a. 4. Primò, cum homo æstimat habere aliquod bonum à se ipso; secundò, cum quidem æstimat se tale bonum habuisse à Deo, sed Deum sibi contulisse, quia id per se ipsum promeruit, adeò ut illi debeatur hoc præmium ex solà Justitià, non primariò ex purà Dei Misericordià: tertiò, cum jactat se habere bonum, quod verè non habet: quartò, cum vult videri, quòd ipse unicè habeat illud bonum.

14. D. Scio nullas extare propositiones prohibitas circà Humilitatem, uti neque censuras contrà formale peccatum Superbiæ directè: licet enim in 1. §. Bullæ Cœnæ excommunicentur hæretici, & schismatici, in quorum peccato importatur pertinacia, seù contemptus, & superbia, nihilominùs agnosco censuras infligi, non propter solam superbiam, sed ut contemptus internus conjungitur cũ effectu externo, qui est schisma, & hæresis; quare solum opto scire, quas pœnitentias debeat imponere Confessor pro peccato Superbiæ.

M. Confessor debet esse sollicitus, ut eradicet hoc peccatum è corde pœnitentium, quia est initium omnis peccati, & si debet peculiari studio attendere ad extirpandum quodlibet vitium capitale, quantò magis incumbat, ut extirpet superbiã,

quæ

quę dicitur Regina omniũ vitiorum, etiam capitaliũ. Nec loquor solùm de peccato formali Superbię secundùm quatuor species enumeratas numero præcedenti. Vix enim homo pertingit ad hoc formale peccatum extrà casus Inobedientiæ; sed eradicabit Confessor, quantùm poterit, omnem rationem Superbiæ. Quòusque vivimus, habemus semper in nobis fomitem peccati, quò ducimur ad superbiam, unde perfectè, dùm vivimus, non possumus esse subiecti Deo: nàm sine speciali privilegio soli B. Virgini ex puris creaturis concesso, non possumus diu vivere absque omni peccato, hoc est, non possumus diu vivere cum perfectissimà subjectione, & ordinatione ad Deum. Id igitur curabit Confessor, ut, quantum potest, abducat pœnitentes ab omni ratione Superbiæ. Specialiùs tamen curandi erunt, qui tendunt directè in ipsam formalem rationem superbiæ, juxtà aliquam ex quatuor speciebus assignatis n. 13. quamvis non pertingant ad mortale peccatum, ob imperfectionem actus, nec hujusmodi pœnitentibus, efficacior, aut salubrior pœnitentia poterit imponi, quàm ordinata per Rituale adductum part. 1. cap. 7. numer. 23. quòd injungãtur *superbis humilitatis* officia, in quibus exercendi erunt frequentissimè, desumptis motivis, tùm ex scripturà, tùm ex Patribus, quę obvia sunt cuilibet Confessori, ut non necesse sit hìc ulla repetere, sed tantùm meminisse, quòd efficacissimum motivum pro inducendis ad veram humilitatem pœnitentibus, erit ipsius Confessoris exem-

exemplum curantis in omnibus, at præſertim in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento, ſe ſubjicere perfectè omni regulę à Deo ſtatutæ circà hoc Sacramentum, & omni etiam ordinationi Eccleſię, tùm Romanæ, tùm ſuæ particularis, habendo ſemper ante oculos, & Rituale, & ſuæ Eccleſiæ conſtitutiones.

CAPUT LVI.

De reliquis Virtutibus annexis Temperantiæ.

1. EX huc uſque dictis Temperantiæ modum ſervat primò Continentia refrænans, aut moderans voluntatem, ne ſinat ſe trahi à concupiſcentiis guſtus, & tactus, quæ in appetitu ſenſitivo inſurrexerint: ſecundò Manſuetudo moderans paſſionem Iræ, ut non iraſcatur homo ſuprà quàm decet: tertiò Clementia refrænans deſiderium operandi juxtà rigorem legis in imponendis pœnis, vel prætermittendi ordinem legis: quartò Humilitas refrænans paſſionem Spei, ne audeat pluſquam oporteat, & ſuprà vires, quas homo habet in præſenti: quintò eſt Philotimia refrænans deſiderium honoris; De hac virtute ſolum per tranſennam egit S. Th., & nos cum eo tetigimus aliquid c. 44. n. 3. per occaſionem Magnanimitatis, cum quà in materià convenit. Ibi dicta ſufficiunt Confeſſori ordinario: *omnis homo*, ex Philoſopho, *natu-*

naturâ scire desiderat, hoc desiderium debet ita regulari, ut non excedamus, vel deficiamus in addiscendo; Et hinc ponitur Virtus Studiositatis.

2. D. Quid est Studiositas sexta virtus annexa Temperantiæ, quæ venit etiam sub nomine generico Modestiæ?

M. De Studiositate, vitioque Curiositatis opposito agit S. Th. q.166.& 167. Porrò Studiositas est virtus moralis, per quam homo amat studium, prout oportet, principalitèr moderans desiderium sciendi, ad quod ex naturâ ferimur, ne nimis amemus, vel nimis aplicemus ad studium: secundariò autem impellens ad studium, à quo nos retrahit labor improbus omninò necessarius, ut studeamus.

3. D. Quam regulam debemus adhibere in studendo?

M. Primò: scientia, seù cognitio, quam in hac vitâ intendimus acquirere, non debet expeti per se, & ut finis, sed ut medium in ordine ad aliud. Hoc apparet evidentèr: nàm per virtutes intellectuales dicimur boni secundum quid, non simplicitèr, sicuti simplicitèr boni dicimur per virtutes morales. Virgilius non dicitur *bonus* absolutè, sed secundum quid, seù cum addito, *Bonus Poeta*. E contrà ornatus virtute morali, etiam in communi locutione, dicitur absolutè *Vir ille est bonus*. Porrò quod est tale *secundum quid*, ordinatur ut medium ad *tale simpliciter*. Et ita nullus debet studere ad hoc præcisè, ut sit doctus, sed ut per doctrinam sit utilis ad alium finem. Quare qui leget hoc opus, caveat,

nè

nè legat merè, ut sciat: de hoc enim judicabitur à Deo; sed si quid in eo ex Angelico inveniet boni, ordinet primò, ut se ipsum dirigat, deindè ut ex superabundãtià dirigat alios. Videat autem primò finem suum. Respublica, etiam Ecclesiastica, indiget viris doctis in quolibet genere virtutum, etiã naturalium, ut Philosophis, Medicis, Mathematicis, Artificibus in quacunque arte. Confessor inculcabit suis pœnitentibus, ut unusquisque in suà professione curet fieri excellentissimus, ordinans hoc ad bonum Reipublicæ, cui, cæteris paribus, prodest magis unus excellentissimus, quàm multi ordinarii. Quia verò divites, ac nobiles incumbunt aliquibus artibus, vel scientiis, non ut illarum exercitio familiæ provideant, vel Reipublicæ inserviant in tali ministerio, Confessor etiam accendet illos ad studium, non tamen eò præcisè, ut sciant, sed ut se perficiant: quilibet enim pro fine proximo potest intendere sui perfectionem. Omnibus tamen commendet, ut studeant, attentà sanitate corporis, & instrumentis, quæ habent, scilicèt, Magistris, libris &c. Secundò studiosus addiscet magis, quę sunt magis necessaria; quare ut, juxtà virtutem Studiositatis, dicatur studere præparans se ad confessiones, priùs attentè videbit quid sit omninò necessarium pro suo triplici munere Judicis, Medici, & Doctoris, horumque studium præponet quasi fundamentum aliorum. Hujusmodi sunt doctrina Christiana, circà quam in examine Romano vidimus deficere nonnullos. Anteà quidem opponebatur,

tur id procedere non ex ignorantiâ rerum fidei, sed ex ignorantiâ terminorum, sub quibus Examinatores interrogant: Verùm hoc refugium non amplius habet locum. Edita est *Instruct. pro ordinandis*, in cujus c. 8. 9. 10. 11. & 12. collecta est doctrina Christiana sub terminis in examine usitatis; & crediderim, quòd multum Parochi proficerent, si sub eisdem instruerent non solùm Tonsurandos suæ Paræciæ, sed quoscunque pueros die Dominico. Post hæc Confessori ordinario necessarium est scire, quæ præcipit Rituale, sicut, & alia, quæ innuimus p. 1. c. 12. n. 12. In his addiscendis totus debet esse Confessor.

4. D. Virtus Studiositatis obligatnè sub mortali ad suum actum?

M. Ex stabilitis p. 1. c. 34. n. 6. de se non obligat, nisi quando scientia est medium necessarium ad charitatem. Quare sub mortali obligamur ad addiscendum necessaria ad salutem, juxtà dicta p. 1. c. 35. à n. 2. primò illa, sine quibus non possumus exercere actum fidei de mysteriis necessariis necessitate medii, & necessitate præcepti: secundò illa, sine quibus non possumus exercere actum Spei, ut est Oratio Dominica: tertiò illa, sine quibus non possumus exercere actum charitatis, ut est Decalogus, Ecclesiæ præcepta &c. Ad hæc tenentur universalitèr omnes Christiani, & in particulari tenetur quilibet, ut dictum est ibid. n. 7. quartò tenetur quilibet scire officium suum, & quidem sub mortali, ac negligendo illud, peccat mortalitèr; propterea

tereà sub mortali Confessor tenetur scire necessaria pro rectè exercendo triplici suo munere Judicis, Medici, & Doctoris, adeò ut in illo peccans ex defectu scientiæ, dupliciter peccet, v. g. Confessor non quærens in pœnitente dolorem supernaturalem ex ignorantiâ necessitatis hujus doloris, peccat primò faciens sacramentum invalidum: secundò: peccat ignorans necessitatem doloris supernaturalis, & maximè post decretum Innocentii XI. est veluti primum principium in Theologiâ, quòd attritio debeat esse supernaturalis; & prima principia sui officii tenetur quilibet scire. Hinc infertur, quòd, ut se certificet de dolore supernaturali pœnitentis, debet aliqualiter, saltem in confuso, scire, unde proveniat supernaturalitas. Quæ autem in particulari debeat necessariò scire Confessor, non possumus determinare, quia ex Confessoribus alii tenentur ad plura, & alii ad pauciora. Memento ex totiès dictis, quòd triplex munus exercet Judicis, Medici, & Doctoris. Porrò plura tenetur scire Judex causarum graviorum, quàm Judex leviorum. Medicus curans infirmos ordinarios non ita debet esse doctus, ut curans morbos periculosiores. Idem dic de Magistro, seù Doctore.

5. D. Quæ sunt vitia contrariè opposita Studiositati?

M. Peccatum contrariè oppositum per defectum est innominatum. Crediderim ego reduci posse ad hoc ignorantiam voluntariam: Peccatum contrariè oppositum Studiositati per excessum

vocatur Curiositas, de quà S.Th. q.167.

6. D. Equidem Curiositas communitèr damnatur ut peccatum; sed ego non video, quomodò possim peccare in desiderando scientiam, quæ est perfectio hominis?

M. Curiositas est peccatum; & possum multiplicitèr esse curiosus: primò: si per sensus quæram cognoscere objectum, quod mihi non licet: Quinque sunt sensus hominis; & per tres possumus cognoscere objecta, sub mortali nobis prohibita: Hi sunt Tactus, Visus, & Gustus. Tactus, quando fertur, ut cognoscat, seù tangat &c. quæ habent annexam delectationem veneream: Gustus, quando fertur in cibos prohibitos: Visus autem, quando videtur mulier ad concupiscendum. Circà hæc nihil addo, quia jam sufficientèr dictum est suo loco. In cæteris casibus nullum est objectum illicitum ex naturâ suâ sensui, quare secundò: peccabo curiositatis peccato, si ordinem hujusmodi cognitiones ad finem malum, vel ex se, vel ex intentione operantis. Circà illa, quæ ordinantur ex se. S.Th. a.2. ponit duo exempla: primum est. *Inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum illam*: secundum: *diligens inquisitio eorum, quæ ab aliis fiunt, ordinatur ad detrahendum*. Inspectio mulieris ordinatur remotè, & in hoc casu, qualitèr sit peccaminosa, dictum est c.52.n.6. Idem dic, dum aliorum facta curiosius inquiro, nisi actu, vel virtute, meà intentione ordinem hanc cognitionem, ut detraham, vel expono me periculo peccati. Porrò Confessor, dum

nimis

nimis scrupulosè vult exercere suum officium, *caveat*, ut loquitur Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 20. *nè curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat*. Si pœnitens accuset se curiositatis, non sit ipse suprà pœnitentem nimiùm curiosus investigandi, quæ curiosiùs scire voluerit pœnitens: nàm ordinariè ipsi explicant, ubi mortalitèr peccaverint, nisi aliud prudentèr judicet Confessor ex modo loquendi Pœnitentis, quem ego certè remitterem, velut omninò indispositum, si se curiositatis accusaret tantùm in genere, attendens, ut ego interrogem de curiositate peccaminosà mortalitèr, ut si curiosiùs inspexerit exercentes actum matrimonialem &c.

7. Secundò: peccatur in cognitione sensitivà, estò nullus habeatur finis malus, quando non ordinatur ad finem bonum. De cognitione sensitivà per gustum, Innocentius XI. prohibuit contrarium prop. 8. De cognitionibus aliorum sensuum mihi videtur deduci ex paritate gustus. Angelicus vult cognitiones sensitivas ordinandas ad intellectivam: sensus enim sunt medium, seù organum, & instrumentum intellectus.

8. Tertiò: Curiositas de cognitione intellectivà, si homo studeat scientiis malis, ut est Astrologia judiciaria &c. Nulla equidem scientia est in se mala, sed ob periculum imminens, ut eà quis abutatur, Ecclesia prohibuit Astrologiam judiciariam, & hùc spectant, qui legunt libros prohibitos. Circà quorum lectionem hæc reperio in Indice libro-

rum prohibitorum, Regulà 10. §. Ultimo: *Qui libros Hæreticorum, vel cujusvis Autboris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, aut habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.* Non memini curiositatem superstitiosam, de quà utpotè oppositâ Religioni, dictum est c. 35. à n. 3.

9. Quartò: est Curiositas, si cognitio intellectiva non ordinetur ad finem bonum ex dictis n. 3.

10. Quintò: est Curiositas, quando, relicto utiliori studio, attendimus ad minus utile fini, cui nos applicavimus. Ad hoc Angelicus a. 1. adducit verba Hieronymi. *Sacerdotes, dimissis Evangeliis, & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare.* Hùc referri posset ille Confessor, aut Parochus, qui principalitèr curaret scire redditus beneficii, modum illos augendi &c. Secundariò autem ad suum Cõfessoris, aut Parochi munus. Omnes utique Beneficiati, sive Sæculares, sive Regulares debent omni diligentiâ incũbere ad conservandũ, imò augendũ redditus Beneficii. Et multâ ex parte collapsus observãtiæ regularis tribui debet huic negligentiæ, sed tamen studium occonomicum temporalium reddituum debet esse secundo loco: primitùs incumbendum est studio proprii muneris.

11. Sextò: est Curiositas, quando quis studet altioribus

tioribus studiis, & suprà suum statum, aut capacitatem, ut si Sacerdos fingat se Confessorem Magni Regis,& ex se determinet; quid in tali casu consuleret, vel si fingat se Episcopum, & jam meditetur ordinationes pro bono gubernio Episcopatus. Huic sanè Confessori dicitur Eccl. 3. *Altiora te nè quæsieris*.

12. D. Estnè Curiositas ex suo genere peccatum mortale?

M. Sicuti nõ obligat sub mortali Studiositas, ita neque mortale peccatum est Curiositas. Ex naturà suà est mortale peccatum studere cognitionibus illis sensitivis, quæ sunt contrà Castitatem, & studere cognitionibus intellectivis, in quibus est periculum proximum gravis damni spiritualis. Ex præcepto Ecclesiæ peccatum est mortale studere libris prohibitis juxtà dicta n. 8. nàm Ecclesia, dum illos prohibet, ponit eorum lectionem sub hoc peccato.

13. D. In legendis libris prohibitis possumusnè excusari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Communitèr asserunt dari, nec esse peccatum mortale, si quis legat paucas lineas libri prohibiti. Tamen hìc applicâ regulam de furto positàm p. 1. c. 37. n. 6. Est peccatum mortale, si acum furer, ex quo furto grave damnum immineat possessori: & eodem modo erit mortale, si legam paucas lineas, ex quarum lectione gravis immineat mihi ruina spiritualis.

14. D. Adsunt ne Censuræ contrà peccatum Curiositatis?

M. Vide n.8.& §.primum Bullæ Cœnæ,in quo excommunicatur legens &c.librum Authoris Hæretici, quando vel contineat hæresim, vel si hæresim non continet, adhùc tractat de Religione, qualis esset liber Hæretici explicantis mysterium Trinitatis; etenim estò nullam misceat hæresim, sed inserat sanam doctrinam, intelligitur prohibitus in dicto §.Ecclesia enim à fonte malo non vult nos haurire aquam, estò aliàs in se bonam. Lege Catalogum Censurarum p.1.c.20.

15. D. Adsuntnè propositiones prohibitę circà studiositatem.

M. Vide 45. Alexandri VII. circà libros prohibitos. Ex 8 Innocentii XI. Theologicè deducitur omnem scientiam esse dirigendam ad alium finẽ.

16. D. Quas Pœnitentias imponet Confessor pro peccato Curiositatis?

M. Ubi pœnitens studuit libris prohibitis,ante omnia debebit ab se abdicare hujusmodi libros,ut potè quorum retentio est etiam prohibita.Sed circà alia Curiositatis peccata, nihil melius accidet Confessori, quàm si pœnitentem inducat, ut omnia agat ordinatè propter finem,prœponendo semper finem principaliorem.Super omnia Confessor præcedat exemplo suis pœnitentibus, ita quòd fugiat omne vitium curiositatis, in omni quidem circumstantià, sed maximè in loco, tempore &c. deputatis ad confessionem.

17. Enumeravi decem virtutes, ut spectantes ad Temperantiam; primò: *Abstinentiam:* secundò:

So-

Sobrietatem: tertiò: *Castitatem*: quartò: *Pudicitiam*: quintò: *Continentiam*: sextò: *Mansuetudinem*: septimò: *Clementiam*: octavò: *Humilitatem*: nonò: *Philotimiam*: decimò: *Studiositatem*. Hæ habent refrænare passiones omnes, quæ nos impellunt. P. 1. c. 32. n. 3. enumeravimus undecim passiones. Amor est passio generalis, & consequentèr quælibet virtus habens moderari passiones particulares, habet moderari amorem, qui causat talem passionem. Quæ verò moderatur Amorem, moderatur, & odium sibi oppositum: virtus enim moralis consistit in medio oppositorum: Philotimia moderatur desiderium & Abominationem: Humilitas moderatur Spem, & Desperationem. Castitas, Abstinentia &c. moderantur Gaudium, seù Delectationem. Iram moderatur Mansuetudo: Tristitiam moderatur Patientia, quæ tamen c. 8. n. 2. fuit annexa Fortitudini: Fortitudo moderatur minus principalitèr Audaciam, Timorem verò principalitèr; Et ita vides assignatas virtutes, quæ moderentur omnes passiones, sive refrænando hominem, ut fit per Temperātiam, sive impellendo, ut fit per Fortitudinem; Singulis passionibus non assignavimus singulas virtutes, quia plures passiones nos ferunt, vel retrahunt ab uno, & eodem objecto; quare virtus habens dirigere principales passiones dirigit etiam illi annexas.

18. Nihilominus ut homo sit perfectè virtuosus, ista non sufficiunt: non sufficit eum esse dispositū perfectè in ordine ad Deū per virtutes Theologi-

logicas, aut in ordine ad proximum per Justitiã, & Virtutes Justitiæ annexas, aut in ordine ad suũ appetitum internum, sive Irascibilem, per Fortitudinem, & virtutes Fortitudini annexas, sive Concupiscibilem, per Temperantiam, & virtutes illas decem enumeratas, ut Temperantiæ annexas: Ut sit perfectè virtuosus, requiritur insuper hominẽ, disponi perfectè circà suas actiones externas, & secundum id, per quòd apparet aliis hominibus: cumque virtus sit dispositio ad optimum, apparet, ut homo sit perfectè virtuosus, requiri virtutem, quà benè disponatur circà hæc exteriora. Porrò hæc virtus dicitur communitèr Modestia; eo quia ponit modum, seù moderatur; unde ex ipsâ æthymologia nominis annectitur Temperantiæ.

19. Modestia sic sumpta est genus, & dividitur in tres virtutes specie distinctas, quarum alia respicit actiones externas in seriis: Alia respicit actiones in ludicris, & jocosis. Homo virtuosus etiam in his tenet modum, sed diversimodè se gerit, ac in seriis, ideò per diversam virtutem disponitur, quæ à Philosopho vocatur *Eutrapelia*, nomine particulari. Tertiò tandem virtuosus tenet modum in ornatu sui corporis, vestiendo &c. Hæc autem ultima, sicut & prima, non habent nomen particulare, sed utraque dicitur Modestia, nomine generico. Confessoris ordinarii est scire aliquid, saltem in confuso, de tribus hisce virtutibus, ut possit earum amorem excitare in pœnitentibus, præsertìm quia deficientes in illis, maximo sunt scandalo in popu-

lo, &

lo, & Deus gravissimè punit multitudines peccantes contrà hujusmodi virtutes.

20. D. In quo consistit prima species hujus Modestiæ, & est undecima virtus annexa Tẽperantiæ?

M. Prima species dicitur Modestia morum, & habet pro materiâ extrinsecâ nostras actiones externas: pro materiâ verò intrinsecâ passiones appetitus concupiscibilis. Ratio per hanc virtutem moderatur primò istas passiones, & ultimò illas actiones, in quibus certè vel deficeret, vel excederet homo, si sineret illas ordinari per passionem, & non per virtutẽ. De hâc modestiâ S. Th. q. 168. a. 1.

21. D. Quam regulam proponit servandam hæc virtus Modestiæ?

M. Non potest determinari particulariter una Regula, quæ inserviat omnibus: etenim nostræ actiones externę, etiam in seriis, componendę sunt, juxtà sexum, ætatem, statum, conditionem, negotia &c. quę contingunt hìc, & nùnc, nihilominùs hæc in universali Confessor pœnitenti proponet, & commendabit, quæ à Patribus accepta tradit S. Th. a. 1. Eccl. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enunciant de illo*. Ambrosius 1. de offic. c. 18. *Habitus mentis in quodam corporis statu cernitur, & vox quædam animi est corporis motus*. Et *motum natura informat: si quid in naturâ vitii est, industria emendet*. Augustinus lib. 3. Regulæ: *In motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem*. In dicto libro de officiis totus est Ambrosius, ut explicet

par.

partes Modestiæ in voce, in habitu, in incessu, in motibus membrorum &c. Si Confessor possit sibi providere hoc opus Ambrosii, erit utilissimum, sæpiùs illud relegere, sententiasque memoriter accipere, ut illas datâ opportunitate Pœnitenti explicet: Ubi præ inopiâ sibi providere non possit, habet in Urbe patentes Bibliothecas, Angelicam in Conventu S. Augustini, & Casanatteam apud Patres Dominicanos omni librorum genere, Patrum præcipuè, instructas: inde scripto sibi ex Ambrosio colligat hujusmodi sententias; nèc enim in molem augeri convenit hoc opus: quòd si omnibus his destituatur, notet accuratè, quos gestus tanquã inciviles carpãt homines benè morati, eosque primum à se abdicet, deindè à pœnitentibus. Quoniam verò sanctissimum, & gravissimum est Confessoris officium, tantæ gravitati, & sanctitati correspondeant in confessionali actiones omnes Confessoris. Procùl absit impatientia, quælibet: cõfabulationes, quæ non faciunt ad directionem Pœnitentis, procùl omninò arceantur: Cautus sit, ne vel excidat verbum, aut nutus, quæ redoleant inhonestatem, aut amorem carnalem: In his enim duobus casibus Pœnitens tenebitur denunciare illum, estò ex levitate, aut imprudentiâ fuerint prolata, cujus levitatis, aut imprudentiæ Judex debet esse sanctum Tribunal: Hæc, & similia curet in Confessionali Confessor, si nolit præterire Modestiæ regulas.

22. D. Obligatnè virtus ista Modestię sub mortali?

M. Per

M. Per se loquendo non obligat, nisi ratione alterius virtutis, præsertim Charitatis: etenim fideles maximè scandalizantur, ubi vident actiones aliquas Modestiæ contrarias. Etiam aliæ plures de se sunt inductivæ ad peccata contrà Castitatem: Et quòad scandalum, nihil offenditur Sæcularis, aut vix, ex actionibus etiam plus quam levitèr immodestis alterius Sæcularis. At grande scandalum patitur videns in Ecclesiastico, præcipuè in Religioso, facilitatem alloquendi fœminas, motum inconstantem corporis, præsertim in Confessionali, continuas in Missà, vel Officio syncopes, elidendo verba, si officium recitet, ubi ludunt alii, loquēs modò cum Deo, modò cum hominibus: si Confessor in Confessionali erigat vocem, ut rusticos corrigat: si Sacerdos hortans ad pacem Sæculares, ipse semper contendat, si suffocet suos debitores, ut reddant paucos denarios, quandò aliàs cognoscuntur hìc, & nùnc impotentes &c. Sanè scandalum potest esse adeò grave, ut mortalitèr peccetur?

23. D. Quomodò vocantur peccata contrariè opposita huic virtuti Modestiæ Morum?

M. S. Th. de neutro agit, non de opposito per defectum, quia est innominatum; nèc de opposito per excessum, quod communitèr vocatur Immodestia, eo quia est per se notum, magisque constabit ex peccato per excessum opposito sequēti Virtuti.

24. D. In quo consistit secunda species Modestiæ, & est duodecima virtus annexa Tēperantiæ?

M. Secunda hæc Modestiæ species vocatur virtus

tus *Eutrapeliæ*, de quà S. Th. q. 168. a. 2. Sicut corpus, quia est virtutis finitę, fatigatur laborando per suas operationes, ita etiam Anima, utpotè virtutis finitę, fatigatur per suas operationes. Et ad hoc ostendendum S. Joannes, ut notat Angelicus, induxit exemplum arcus: Anima operatur per intellectum, habendo cognitionem, vel speculativam, vel practicam, & magis, ut conjuncta corpori, fatigatur per primam, quàm per secundam: sicut autem corpori post laborem datur quies, ita quies danda est Animæ: quies autem Animæ, ut conjũctæ corpori, est aliqua delectatio naturalis, & sensibilis, quæ habetur per ludicra, & jocosa: quare necessariũ est aliquando quiescere ab operationibus animæ per jocos. Dirigimur autem per Eutrapeliam, ut in istis nos benè habeamus, ut sumamus delectationis, quantùm decet. Porrò ex Philosopho S. Th. notat, quòd joci condiunt nostram conversationem, & cum eà parcitate, quà, sale utimur in condimentis, debemus uti jocis, quod præcipuè curabunt observare Ecclesiastici, præsertim Regulares, & Confessores.

25. D. Quas regulas observat Eutrapeliæ virtus.

M. Tres principaliter observat: primò, ne delectetur in operationibus, aut verbis turpibus, & nocivis, ut qui semper in recreatione detrahunt proximo, aut obscenè loquuntur: secundò, ne totaliter dissolvatur gravitas animi, & Confessor maximè cum pœnitentibus, semper se ostendet Judicem, Medicum, & Doctorem, è contrà semper illum

pœ-

Digitized by Google

pœnitentes venerabuntur ut talem: tertiò sicut in omni aliâ virtute servabuntur debitę circumstantiæ, temporis, loci, status, ætatis &c.

26. D. Obligatnè virtus hæc sub mortali?

M. Per se loquendo non obligat sub mortali, nisi ex alio capite quis præjudicaret charitati, committendo, quę sunt contrà Deum, vel proximum, aut si etiam sibi homo grave detrimentum afferret in sanitate &c.

27. D. Quomodò vocantur peccata contrariè opposita Eutrapeliæ?

M. Contrà hanc virtutem possumus peccare, sicut & contrà cęteras, per excessum, & defectum. Neutrum tamen ex his peccatis habet proprium nomen; nihilominùs de utroque agit S. Thomas a. 3. & 4. dicens vocari agrestes, & duros, qui deficiunt, peccare tamen minùs, quàm qui excedunt; quando autem hi peccent mortaliter, facilè agnoscet Confessor ex regulis datis n. 25. ad veram Eutrapeliam.

28. D. Si excessus in ludo esset peccatum, peccarent joculatores, & Histriones, necnon qui sustentat illos; cum tamen B. Paphnutio revelatum fuerit, quòd in gloriâ futurus sibi esset æqualis quidam joculator?

M. Appositi rationem, & exemplum adducti um à S. Thomà, ut meliùs percipi possit illius doctrinę vis. Igitur multi prætendunt peccare mortaliter Histriones, Comœdos, Tragœdos, & similes. Ac sanè si deficiant in primâ Regulâ Eutrapeliæ tra-

ditâ,

ditâ, peccabunt mortaliter ipsi, & qui sustentant, nec absolvi poterunt, nisi desistant. An autem deficiant, non possumus determinare, nisi videamus ipsas comœdias &c. Nec ego crediderim, quòd deficiant Comœdiæ, aut Histrionatus permissi à Principibus Catholicis, & piis, quando non recitât viri, & fœminę simul in theatro. Histriones virtuosè operantes sunt utiles Reipublicæ in hoc officio ludicro, & jocoso, & estò respectu Reipublicæ, nullum aliud habeant serium officium, tamen habēt in ordine ad se ipsos, & ad Deum, si suo tempore orent, si ut possunt, eleemosinas faciant &c. Porrò quòad ludricum officium, quia utile est Reipublicæ, possunt exigere debitam mercedem, sed moderatam. Inter deputatos ad delectandum, Musici videntur innocentissimi, quando non cantent cantiones obscænas, quod crediderim rarò contingere; propterea honestius isti frequentantur, & sustentantur, nisi periculum proximum immineat castitati ratione sexus. Horum tamen Męcęnates peccabūt, si largiùs, quàm par est, effundant in Musicos. Et sanè sustentantur fovētur, ac ditantur hi: quem verò videmus à naturâ dispositū ad vocem harmonicam, arte adhibitâ, reddimus aptiorem, curamusque perfici sub optimis Magistris; quòd tamen vix contingit in alio quopiam, estò utiliore officio: Nostris tēporibus inveniuntur vix Mœcęnates Theologorum, Medicorum &c. qui curent erudiri sub optimis Magistris à naturâ dispositos ad has virtutes; Et hinc extrà Regularium claustra, & extrà pu-

publicas Academias,quæ ſuſtentãt ingenia,vix invenias profundum Theologum;ſed & in clauſtris, floret utique Theologia|Scholaſtica,ſed non ęquè Polemica,Moralis, & Poſitiva, eo quòd honores, & gradus,qui ſunt virtutum ſuſtentacula, primæ ſint deſtinati,non cæteris.Quid dicam de Medicis: Hi ſanè fovendi eſſent,ut omni ex parte ſcientiam acquirerent aliquando nobis maximè profuturam:vix tamen invenias, qui ſuſtentet ad tale ſtudium diſpoſitos ad illud à naturâ;Hinc non poſſumus habere Medicos inſignesetenim vix laureati ob rei familiaris defectum, nec poſſunt ſibi providere libros, nec eorum accuratæ lectioni applicari,ſed unicè infirmos circuire; Confeſſor notabit, quòd viri omni ex parte docti,& inſignes tunc floruere, quando abundarunt Mœcænates; & hodiè in noſtris regionibus abundant excellentes Muſici, quia eorum abundant Mœcænates; propterea ſuæ erit prudentiæ ita pœnitentibus laudare horum ſuſtentationem, ut tamen oſtendant magis incumbendum ſuſtẽtationi aliarum ſcientiarum; præcipuè bonis Eccleſiaſticis; circà quos vide Tridentinum ſeſſ. 13. de ref. c. 18. & ſi es Confeſſor Epiſcopi, curà, ut obſervetur.

29. Sed hoc vitium contrariè oppoſitum Eutrapeliæ per exceſſum maximè abundat in ludendo. Sanè uti ludis, ut ſale in cibis,eſt Eutrapelia:ſed ludi,primò,non debent eſſe prohibiti à Principe: ſecundò, non debent eſſe cum periculo amittendi pecuniæ vim omninò improportionatam ſtatui

statui cujusque ludentis, considerata familia, negotiis, &c. tertiò, debent abesse fraudes &c.

30. D. In quo consistit tertia Modestiæ species, & quæ est decima tertia virtus annexa Tẽperantię?

M. Refrænatis ad veræ virtutis regulam passionibus internis, & actionibus externis, ultimò omnium remanet moderandus exterior ornatus nostræ personę, familię, domus &c. Respicit autem ad hoc virtus, quæ dici potest *Modestia ornatus*, & de quà S. Th. q. 169. a. 1. ubi simul explicat vitia huic virtuti contrariè opposita, & per excessum, & per defectum, nèc nobis erit necessarium de illis differere specialitèr, quia eorum inordinatio sufficientèr patebit ex ordinatione virtutis, & è contrà hujus ordinatio ex illorum inordinatione. Igitur homo in ornãdo se, primò, non debet excedere cõsuetudinem honestam virorum prudentium, quibus convivit, habitâ ratione suæ conditionis: secundò, in se ornando, non debet quærere gloriam humanam, sed solùm utiornatu, quia sic convenit viventibus in tali communitate. Gloriam humanã ex ornatu quærere, ut Confessor sciat, quàm sit grave peccatum, audiat S. Greg. hom. 40. in Evang. *Nonnulli cultum subtilium, pretiosarumque vestium putant non esse peccatum: sed si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tàm vigilantèr exprimeret, quòd dives, qui torquebatur apud inferos, byssо, & purpurà indutus fuisset*: tertiò, non debet quærere ornatum ad corporis deliciam: hujus enim sunt fomentum subtiles, & pretiosæ vestes: quartò, non debet nimium

miùm esse sollicitus de hoc ornatu.

31. D. Peccantnè fœminæ in vano ornatu?

M: Etiam fœminæ, ut non peccent, debent servare quatuor illas conditiones, & prætereà quintã, quòd non provocent viros ad lasciviam; quòd facilè contingit in ornatu muliebri de se provocativo; Et si quidem de se sit proximè provocativum, aut ornatus ad hoc intendatur, ut videntes provocentur ad concupiscendum, hoc est semper peccatum mortale; quòd si fiat ex vanitate, aut lenitate, aliàsque ornatus de se non sit valdè provocativus, erit veniale. Maritata poterit se ornare, tamen ut proprio viro, non ut aliis placeat; Unde his, ex Augustino Angelicus docet, quòd Confessores universalitèr non prohibeant portare aurum, aut vestes pretiosas (intellige semper juxtà cujusque statum) sed tamen etiam maritatis prohibeant nudare capillos, ut extendantur suprà humeros. More scholastico distinctiùs procedens S.Th addit permitti posse, si non ex vanitate, sed ex inductà consuetudine ita procederent fœminę, *quamvis talis consuetudo*, concludit, *non sit laudabilis:* quare multò minùs erit laudabilis consuetudo incedendi nudatis brachiis, & pectore. Si maritatæ fucis se pingant in facie, ut placeant maritis, non est mortale peccatum; si verò velint per hos fucos occultare aliquam deformitatem ex ægritudine provenientem, quia despicerentur, nisi occultarent, tùnc neque, erit veniale peccatum. Maximè verò caveant fœminæ uti veste virili, aut è converso, *præcipuè, quia*

potest esse causa lasciviæ; quod non erit peccatum, si fiat ex necessitate occultandi se hostibus, vel simili.

32. D. Possuntne absque peccato artifices præparare, aut vendere hujusmodi ornamenta?

M. Ad verbum hic adducam S. Th. textum; In eo enim est regula universalis, quam debebit memoriæ tenere Confessor pro his, & similibus casibus, nè vel nimis stringat, vel nimis laxet habenas circà hujusmodi artifices. Ait igitur q. 169 a. 2. ad 4. *Si est ars ad faciendum opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, artifices faciendo peccant, quia directè aliis præbent occasionem peccandi, ut qui fabricat idola.* Adde, qui docet artes magicas &c. *Si sit ars, cujus operibus homines possunt benè, & malè uti, sicut sagittæ, gladii, & hujusmodi, usus talium artium non est peccatum. Si tamen operibus alicujus artis, homines malè pluries uterentur, quamvis de se non sint illicitę, sunt extirpandæ à civitate officio Principis.* Hujusmodi fortè est Astrologia judiciaria prohibita per Romanos Pontifices. Ex hac regulà universali S. Th. deducit non peccare artifices præparantes, aut vendentes ornamenta fœminarum, quia licitè illis utuntur maritatæ, *nisi fortè inveniendo aliqua superflua, & curiosa.* Concludit verbis Chrysostomi: *Ab arte calceorum, & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt, necessitatem ejus corrumpentes, artem arti malè commiscentes.*

33. Ita Doctor Angelicus disseruit de virtutibus, quas alii fortè credent plures vel pauciores; ve-

Digitized by Google

veruntamen mihi sufficit S. Th. & fortè sufficiet etiam Confessori ordinario; qui optimè suum munus implebit, ubi doctrinam Angelici calleat, ab Apostolicà Sede sæpius approbatam, dictamque unà cum S. Aug. doctrinà *inconcussam, & tutissimam.*

CAPUT LVII.

Recapitulatio Virtutum Theologicarum, peccatorumque illis oppositorum.

1. OPus hoc ordinatur ad instructionem Confessoris, ut exerceat ritè suum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici: Et quia ex Trid. sess. 23. de ref. c. 15. Sacerdoti subeundum est examen, antequam ab Episcopis obtineat jurisdictionem, ut absolvat à peccatis; ideò quanquam sit unus finis, debui tamen etiam intendere in id, ut doctos Sacerdotes instruerem ad præfatum examen; etenim intendens finem, tendit simul in media pro consequendo fine. Porrò licet hoc examen sit dispositio tantùm, & medium, nihilominùs, in Urbe præsertim, pluris fit hoc examen, ipso Sacerdotis ministerio. Est pars Apostolatus, & hanc partem petere per se non erubescunt plurimi Sacerdotes, uti erubuerunt duo Boanerges, Jacobus, & Joannes, qui propterea per matrem petiere, ut sederent ad dexteram, & siniſtram Christi. Quòd si Episcopi tenentes in Ecclesiâ Christi locum, interrogent: *Potestis bibere*

calicem Matth.20.facili negotio respondent:*Possumus*, *Possumus:* Unicè terrentur ab examine subeundo. Quare Instructio bæc principalior est quoad finem,sed magis necessaria ob medium.

2. Equidem curavi opus restringere, sed quia vastum est mare Theologia Moralis,non ita potui restringere, ut ejus substantiam semper quilibet Sacerdos habere posset in promptu, sive quando examen subit, sive quando suum in Confessionali exercet officium. Id præcipuè provenit ob nimis labilem hominis memoriam,cui ut complures Casuistæ prospicerent,hanc Theologiam redegerunt in breve compendium, & sanè cum magno Confessorum fructu, sed verè ignoro, an cum totali fructu: etenim nequit esse Doctor, qui scit solas conclusiones absque suis fundamentis: Illud accedit, quòd absque fundamento rationis addiscens utique scit casum illum particularem,de quo liber loquitur;sed ignorat omninò cæteros in infinitum variabiles: Quia igitur in præcedentibus adductæ sunt rationes, & fundamenta, nùnc redigemus in compendium, quæ primò fusiùs fuere proposita; ut ea sibi faciliùs figere possit memoriæ Confessor; si quando rationes voluerit attentiùs examinare suo loco illas videbit.

3. Plura item precedentèr dicta sunt,sed tamen alia,communitèr loquendo, videntur magis, alia minùs necessaria. Hìc autem recapitulabimus ea, quæ videntur magis necessaria Confessori ordinario, & exposito multitudini fidelium, quos inter

quæ-

quædam utique peccata sunt frequentissima,& de his oportet instructum esse quemlibet Confessorem quotiès exponit se audiendis Confessionibus. De aliis autem sufficit, ut sciat dubitare ad consulendum peritiores.

4. Ultimò in hac recapitulatione non semper dabuntur exactæ definitiones, sed, & aliquando substituentur descriptiones,juxtà terminos,quibus communitèr pœnitentes consueverunt se explicare. Ita enim faciliùs ea memoriæ tradent Confessores, remediumq;adhibebunt in Cõfessionali.

5. D. Quid est fides Theologica?

M. Est credere mysteria à Deo revelata sub eà ratione,quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesia Catholica nobis proponit.Confessor,& alii docentes doctrinam Christianam, semper in praxi curabunt,ut pueri in eliciendo actu fidei exprimant hanc rationem formalem, nec sufficiat illis,ut dicant: *Credo mysterium hoc revelatum* &c,sed ut dicant: *Credo mysterium hoc, quia revelatum* &c.

6. D.Tenemurnè explicitè elicere aliquos actus fidei ex præcepto divino,seù necessitate medii?

M. Tenemur necessitate medii explicitè credere tria hæc mysteria, quòd Deus sit unus in essentià,& trinus in personis:secundò:quòd secunda persona Sanctissimæ Trinitatis carnem susceperit, & secundum carnem mortua, fuerit, ac secundum eã resurrexerit: tertiò: quòd Deus sit Remunerator operum bonorum per vitam æternam, & operum malorum per ignem æternum gehennæ.

7. D. Satisfacio nè huic præcepto, dùm dico: *Credo totum id, quod credit Sancta Mater Ecclesia?*

M. Non satisfacio, quia hoc est credere tria illa mysteria implicitè, non explicitè:

8. D. Quid intelligis, dum dicis tria illa mysteria esse credenda necessariò necessitate medii?

M. Intelligo, quòd nisi explicitè credantur, non possumus salvari, estò sine ullo peccato contingeret nos ea ignorare.

9. D. Faceretnè confessionem validam, qui aliquod ex illis ignoraret?

M. Faceret invalidam, quia si non potest glorificari, neque potest justificari: nam justificatio dat jus ad gloriam.

10. D. Igitur committeret sacrilegium, qui aliquod ex illis invincibilitèr ignorans, confiteatur?

M. Non justificaretur, sed neque peccaret, quia in ignorantià invicibili non adest culpa.

11. D. Hæc ignorantia excusat à peccato, cur non etiam facit validum sacramentum?

M. Non facit validum sacramentum, quia ad validitatẽ non sufficit materia, & dispositiones &c. æstimatæ, sed verè à Christo determinatæ.

12. D. Credendum estnè Pœnitenti, qui asserit se invincibilitèr ignorasse hæc mysteria?

M. Non statim est credendus, sed prudentèr examinabitur.

13. D. Quomodò examinabitur, ut videatur, an vincibilitèr, vel invincibilitèr ignoraverit?

M. Examinetur, an fecerit diligentias debitas,

an

an à parentibus admonitus, ut recitaret symbolum, illud didicerit, an adierit Parochum, præsertim pro doctrinà Christianà diebus Dominicis &c.

14. D. Tenemurne alia credere ex necessitate præcepti Ecclesiæ, præter tria illa mysteria?

M. Tenemur credere mysteria, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, & quidem hæc etiam explicitè.

15. D. Hæc sunt universalia respectu cujuscunque fidelis, tenenturne particulares alia explicitè credere suprà Symbolum?

M. Ultrà Symbolum quilibet Christianus explicitè tenetur credere, juxtà officium, quod habet in Ecclesiâ Dei.

16. D. Quomodò se geret Confessor cum Pœnitente, qui ignorat symbolum quoad substantiã?

M. Geret se, ut præcipit Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 17. & S. Carolus adductus ib. c. 11. n. 18. & 19.

17. D. Quando tenemur elicere hos actus fidei?

M. Per se loquendo tenemur elicere primò, dum pervenimus ad usum rationis: secundò in articulo mortis: tertiò: quinquies, vel sexies in anno. Per accidens autem sit hæc regula universalis: quando tenemur ad actus virtutum supernaturales, quia fides est principium supernaturalitatis.

18. D. Quot peccata commisit, qui per annum vincibiliter ignoravit hæc mysteria?

M. Primò commisit quinque vel sex peccata in omittendo actum fidei: secundò ferè totidem in non dispellendo à se hanc ignorantiam.

19. D. Si est ita ; tenebitur Confessor interrogare pœnitentem, quot ętatis annos habeat, ut possit habere numerum circum circà utriusque peccati, quod plerumque non quærunt Confessores?

M. Tenentur utique interrogare; quòd si non faciunt, ipsi consulant conscientiam suam.

20. D. Quę sunt peccata cõtrariè oppositа Fidei?

M. Sunt tria, Paganismus, Judaismus, & Hęresis.

21. D. Quid est Hæresis?

M. Est error intellectus circà aliquem articulum fidei, cum pertinacià in voluntate.

22. D. Per quid Hæresis distinguitur à Blasphemià hæreticali.

M. Distinguitur per hoc, quòd blasphemus hęreticalitèr affirmat quidem aliquid contrà articulum fidei, sed non credit, quod affirmat: Hæreticus verò, & affirmat, & credit pertinaciter.

23. D. Quæ differentia est inter hæreticum materialem, & hæreticum formalem?

M. Est hæc differentia, quòd hæreticus materialis habet errorem in intellectu, sine pertinacià: hæreticus formalis habet errorem in intellectu contrà articulũ fidei, cum pertinacià in voluntate.

24. D. Quid est Pertinacia requisita pro hęresi?

M. Est, quòd homo sciens definitionem Ecclesiæ Catholicæ in aliquo articulo, velit tenere contrarium.

25. D. Ut homo sit hæreticus formalitèr, quanto tempore debet perseverare in errore?

M. Sufficit unicum instans, quando verè scit con-

contrarium esse definitum ab Ecclesiâ Catholicâ

26. D. Quod peccatum committit voluntariè dubitans de aliquo articulo fidei?

M. Committit peccatum bæresis, quia dubius in fide est infidelis, seù Hæreticus.

27. D. Quotuplex est Hæresis.

M. Est duplex, alia interna, & alia externa.

28. D. Ad quid prodest hæc distinctio Confessori ordinario?

M. Prodest, ut sciat, an possit absolvere Pœnitentem: quilibet enim Confessor potest absolvere primam: sed secunda est cum excommunicatione reservata in Bullâ Cœnę.

29. D. Quid intelligis per Heresim internam?

M. Intelligo hęresim, quæ concepta solum est in mente, nec ullatenus manifestata signo aliquo exteriori vocis, vel scripti.

30. D. Estnè hæresis interna, quam ego protuli voce submissâ, ita quòd nemo potuerit audire?

M. Hæc erit quidem occulta, sed verè externa, & illam proferens incidit in Bullam Cœnæ.

31. D. Potestnè unquam simplex Confessor absolvere hæresim externam?

M. Potest illam absolvere in articulo mortis, dummodò si possit, pœnitens juret de stando mandatis Ecclesiæ, si convaluerit.

32. D. Pœnitens ab hęresi sic absolutus in articulo mortis, remanetnè verè, & directe absolutus?

M. Remanet verè, & directè absolutus; unde non indiget amplius confiteri sacramentaliter illam

lam hæresim, sed tenetur judicialitèr se sistere habenti authoritatem absolvendi, ut obediat Ecclesiæ; quòd si non se sistat, ob illud inobedientiæ peccatum reincidit in excommunicationem.

33. D. Quia innuisti de blasphemiâ hæreticali, vellem scire, quomodò distinguatur à simplici?

M. Simplex est *contumelia in Deum, vel Sanctos*: Hæreticalis est *Contumelia in Deum, vel Sanctos affirmans aliquid contrarium fidei*.

34. D. Dicere *Deus sit maledictus*, est ne blasphemia simplex, vel hæreticalis?

M. Dicere *Deus est maledictus* est blasphemia hæreticalis, quia affirmat contrarium fidei: dicere *Deus sit maledictus*, est blasphemia simplex, quia non affirmat, sed optat.

35. D. Quomodò cognoscam, an proferens, v. g., *Deus est injustus*, fuerit tantùm blasphemus, vel etiam hæreticus?

M. Interrogabis, an quando protulit ore, crediderit mente Deum esse injustum: si protulit, & credidit, fuit verus hæreticus externus: si protulit, sed non credidit, fuit tantùm blasphemus.

36. D. Differuntnè specie blaphemia in Deum, in Beatissimam Virginem, & in Sanctos?

M. Tibi nunc id recolere non est necessarium: vide suo loco, sed tamen curabit Confessor, ut pœnitens explicet, in quem illorum directa fuerit blasphemia.

37. D. Blasphemia hæreticalis estnè casus reservatus.

M. In

M. In Urbe non est casus reservatus: In aliis Diœcesibus consule tabellã casuũ Reservatorum.

38. D. Ad quid tenetur sciens aliquem hœreticalitèr blasphemasse?

M. Vide Edictum Sanctæ Inquisitionis, ex quo habebis, quòd sciens aliquem incidisse in peccata ibi expressa, tenetur hujusmodi peccatorem denunciare Sancto Tribunali.

39. D. Infrà quantũ tẽpus tenetur denunciare.

M. A die, quo habuit notitiam de tali edicto, currunt illi trigintà dies, intrà quos potest denunciare, esto anteà per annum non denunciasset, quia nesciebat edictum. Elapsis trigintà diebus, nisi denunciaverit, incidit in excommunicationem reservatam Sanctæ Inquisitioni.

40. D. Quid est Spes secunda virtus Theologica?

M. Est virtus, per quam speramus mediante gratiâ Dei, & bonis operibus, quæ proponimus facere, speramus, inquam, salvari, sub eâ ratione formali, *quia Deus est omnipotens, & misericors.* Hanc rationem formalem Confessor inculcabit pœnitentibus, ut explicent.

41. D. Tenemurnè ad actus Spei?

M. Tenemur eo modo, & tempore, quo dictum est n. 6. nos teneri ad actus fidei.

42. D. Quam orationem commendabo Pœnitenti, ut possit frequentare actus Spei?

M. Commendabis maximè duas, alteram à Christo institutam, nempè Orationem Dominicalem, & alteram ab Ecclesiâ compositam, nempè Sa-

pè, Salutationem Angelicam. Hæ si dicuntur ex corde, habent conjunctos actus Spei.

43. D. Quid est Charitas, tertia virtus Theologica?

M. Charitas tendit in duo obiecta, nempè, in Deum, & in proximum.

44. D. Ad quid nos obligat Charitas respectu Dei.

M. Obligat nos illum amare super omnia, *quia summè bonus est:* hanc paritèr rationem Confessor inculcabit pœnitenti.

45. D. Quid est Amare.

M. Est velle bonum, sive desiderando alteri bonum, quod non habet, sive gaudendo, aut complacendo de bono, quod habet. Deo possumus desiderare glorificationem externam, ut ab omnibus ametur, & gaudere de immensà ejus bonitate.

46. D. Tenemurnè unquam ad actus charitatis ergà Deum?

M. Tenemur ad actus charitatis modo, & tempore, quo dictum est nos teneri ad actus fidei.

47. D. Tenemurnè ad actum internum charitatis ergà proximum?

M. Tenemur, & contrarium damnavit Innocentius XI. propositione 10. & 11.

48. D. Tenemurnè ad faciendam eleemosinam proximo?

M. Tenemur primò: si sit in extremà necessitate, & tunc tenemur quoquo modo subvenire dùmodò nos & nostri non sint in æquè extremà necessi-

cessitate: secundò: tenemur in gravi necessitate, quando habemus de superfluis. Porrò in gravioribus necessitatibus tenemur etiam aliquid nobis diminuere de necessariis statui, ut subveniamus proximo, sed non potest assignari præcisa quantitas. Confessor inculcabit pœnitenti, ut abundet potiùs, quam deficiat in quolibet horum trium casuum, tamen sine gravi, & manifesto detrimento ipsius pœnitentis.

49. D. Quid intelligis dicendo *necessaria statui*?

M. Necessarium personæ dicitur id, sine quo non potest conservari persona, v. g., si non habet pauper, unde vivat hodiè; sed vel deberet mori, vel alitèr ægrotare gravitèr. Necessarium statui dicitur, quod est necessarium juxtà conditionem, & dignitatem personæ. Hìc memento, quòd septem sunt eleemosinæ corporales, distinctæ specie, & unaquæque nos obligat.

50. D. Tenemurnè ad eleemosinas spirituales?

M. Tenemur etiam ad istas, ubi saltem probabilis extat spes juvandi proximum.

51. D. Quid est Acidia?

M. Acidia, quæ opponitur charitati Dei, est tædium rerum spiritualium, seu divinarum.

52. D. Acidia estnè peccatum mortale ex suo genere?

M. Est utiq; nã destruit, seù opponitur charitati.

53. D. Estnè semper de se peccatum mortale?

M. Erit peccatum mortale, si fastidiat res divinas, ut tales, v. g., si non vult proferre nomen *Jesu* quia

quia diſplicet illi honorare Deum, ſed ſi faſtidiat, quia non vult ſubire incommodum, quod, v.g. ſentit in audiendo miſſam, tùnc non eſt mortale peccatum.

54. D. Dicis, quòd mortalitèr pecco, ſi omitto proferre *nomen Jeſu*, quia mihi diſplicēt res divinę?

M. Utique hoc dico; nàm ſub illâ formali ratione Acidia non admittit parvitatem materiæ.

55. D. Pecco nè mortalitèr, ſi omittam in die feſto audire ſacrum, non quia ſit res divina, ſed quia ſentio incommodum in audiendo?

M. In tali caſu committo duo peccata, alterum omiſſionis contrà Religionem, & Eccleſiæ præceptum: hoc eſt mortale: alterum commiſſionis Acidiæ contrà charitatem Dei: hoc eſt veniale.

56. D. Quomodò peccare poſſum odio in proximum?

M. Per tres actus ſpecie diſtinctos: primò: ſi diſpliceat mihi bonum proximi: ſecundò: ſi gaudeam de illius malo: tertiò: ſi deſiderem illi malum.

57. D. Si plures odio habeam, debeo nè explicare numerum eorum, quos odio habui?

M. Debes explicare, quia tot ſunt numero peccata, ſive formalitèr, ſive æquivalentèr, quot odio habiti: nàm injuria eſt in injuriato: quare tot numero ſunt injuriæ, quot numero injuriati.

58. D. Debeo nè explicare bonum, quod mihi diſplicet in proximo, vel malū, quod volo proximo?

M. Etiam hoc debeo explicare, ſicuti tenetur explicare, qui actu externo tollit bonum, vel infert

fert malum proximo.

59. D. Mater, quæ ex irâ, tamen ex animo pro uno instanti deprecatur malum filiis; & postea pœnitet, peccatnè mortaliter?

M. Mater committit plura peccata mortalia in uno actu: Ira enim non excusat, nisi tollat usum rationis; & quando hìc tollitur, malum non optatur ex animo; nàm ex animo significat, quòd etiam ex voluntate volumus hoc malum; & semper voluntas operatur dependentèr ab usu rationis. Igitur illa mater, primò: peccat contrà charitatem volens malum filiis: secundò: contrà pietatem, ut sunt filii; & tertiò: si addat juramentum, peccat contrà Religionem, violans justitiam juramenti, quia jurat de re illicità. Hæ suut tres species peccatorum; & in unàquaque specie, tot numero peccata committit, quot numero sunt filii.

60. D. Dixisti n. 56. quòd displicere, seù tristari de bono proximi est odium, mihi videtur, quòd sit Invidia?

M. Possum tristari de bono Petri, v. g. quia est bonum illius, & possum tristari, quia mihi displicet illum habere plus, quàm ego habeam. In primo casu est odium: in secundo est Invidia, quæ est tristitia de bono proximi, ut est diminutivum propriæ excellentiæ.

61. D. Mihi non displicet absoluhè, quòd Petrus habeat bona; imò vellem, quòd esset ditissimus; sed vellem ego habere plusquam ille, & solùm mihi displicet, quia in bonis excedit me?

M. Si

tendere ruinam spiritualem proximi?

M. Peccarem peccato scandali, estò non intenderem hanc ruinam, si facio actionem de se inductivam ad peccatum, quod est ruina spiritualis proximi.

67. D. Qui consulit vel jubet, v.g. furtum, peccatnè tantùm peccato scandali?

M. Causa sunt, non occasio tantùm, qui continentur illis duobus versibus.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non Obstans; non Manifestans:

quare hi peccant etiam contrà justitiam, dummodò ultimi tres teneantur ex justitiâ loqui: nàm si non tenentur ex justitiâ, peccabunt solùm contrà charitatem.

68. D. Qui suo exemplo inducit alium ad furandum, teneturnè restituere, quod abstulit alius suo malo exemplo inductus?

M. Non tenetur, quia peccans peccato scandali solùm violat charitatem; & Restitutio est actus, ad quem obligat sola Justitia.

69. Hæc, & si quæ alia ordinariè solent contingere circà virtutes Theologicas, ea omnia debet habere in promptu, qui optat se subiicere examini pro audiendis confessionibus.

Digitized by Google

CAPUT LVIII.

Recapitulatio eorum, quæ dicta sunt de Restitutione spectante ad Justitiam commutativam.

1. NOn recapitulo hìc dicta de Prudentià, uti neque dicta de speciebus Justitiæ, scilicèt Epichejà, Justitià legali, Justitià Distributivà, & Justitià Vindicativà: etenim peccata contrà Prudentiam non sunt ex suo genere mortalia: quæ verò sunt contrà prædictas Justitiæ species non sunt peccata communia vulgi, & multitudinis fidelium, & committuntur ab habentibus aliquam jurisdictionem. Quia verò violantes prædictas Justitiæ species ut plurimum tenentur ad restitutionem, obligatio illorum cognoscetur ex restitutionis regulis generalibus, quæ hìc recapitulantur.

9. D. Quæ sunt radices, ex quibus oritur obligatio restituendi?

M. S. Th. reducit ad duas, nèmpè, ex re acceptà, & ex injustà acceptione. Ex re acceptà obligatur possessor bonæ fidei: Ex injustà acceptione obligatur possessor malæ fidei; & dicitur obligatus ex acceptione injustà quicunque lædit proximum, etiamsi nihil pro se accipiat, dummodò damnificet, ut qui incendit domum alterius.

3. D. Quid tenetur restituere possessor bonæ fidei

fidei, & possessor malæ fidei?

M. Ambo tenentur restituere, sed cum hàc differentiâ. Possessor bonæ fidei, quando venit in malam fidem, seù quando cognoscit rem esse alterius, tenetur restituere rem, si extat: si nõ extat, tenetur restituere id, in quo factus est ditior: At possessor malæ fidei tenetur restituere rem, si extat: si non extat pretium rei cum fructibus perceptis, & damnis illatis.

4. D. Diciturnè possessor bonæ fidei, qui rem emit dubitans, an venditor sit dominus, & possit illam vendere?

M. Non est possessor bonæ fidei, quicunque peccat, dũ accipit rem alterius. Porrò hujusmodi emẽs peccat, quia se exponit periculo non benè emendi.

5. D. Quid faciet accipiens rem bonâ fide, posteà autem incipiens dubitare, an sibi potuerit dari talis res?

M. Debet facere debitas diligentias inveniendi veritatem; & si adhùc remaneat dubius, poterit retinere, quia *In dubiis melior est conditio possidentis*.

6. D. Ob hoc axioma poteritnè illam retinere factis debitis diligentiis, qui emit cum dubio; & adhùc remanet dubius?

M. Non potest: Regula enim illa verificatur de possessore bonæ fidei: At emens cum dubio ex n. 4. est possessor malæ fidei.

7. D. Suntnè restituendi fructus rei?

M. Fructus sunt in triplici genere. Alii sunt naturales, alii mixti, & alii industriales. Possessor

Digitized by Google

bonæ fidei, si factus est ditior, ex fructibus debet restituere primos: Tenetur etiam restituere secundos deductis expensis: Tertios nullus possessor, seù bonæ, seù malæ fidei tenetur restituere. Possessor verò malæ fidei primos tenetur restituere quòad pretium, si non extent, etiamsi non factus fuerit ditior: Ex secundis poterit sibi retinere solùm expensas, quæ feciſſet verus dominus.

8. D. Tenemurnè ad restitutionem quicunque lædit justitiam commutativam?

M. Tenetur: qui enim tollit jus alterius, debet illud semper reparare.

9. D. Homicida, & Mutilator non potest restituere vitam, & membrum, quod abstulit?

M. Qui non potest restituere idem numero, restituet idem specie: qui non potest restituere idem specie, restituet æquivalens, vel in pecuniâ, vel in honore, consideratâ conditione lædentis, & læsi, secundum arbitrium prudentis viri: Hæc applicanda sunt Mutilatori, & Homicidæ, in quibus considerandæ primò est injuria in mutilatum, & occisum: secundò damnum inde proveniens: nàm uxor, & familia occisi, uti mutilatus, reparandi sunt de damno sibi proveniente ex eo, quòd mutilatus, & occisus non possunt ampliùs laborare, ut sibi, vel familiæ victum lucrentur; Hoc damnum debēt reparare in pecuniâ, nisi remittatur, sicut expensas in medendo vulneratum, nisi recipiatur in Hospitali, cui tamen expensæ erunt reparandæ, si vulnerans esset dives, & talis, qui deberet solvere expen-

Digitized by Google

pensas hospitali, si in ipso reciperetur. Damnum primum ex injuriâ proveniens debet reparari ad arbitrium viri prudentis per humiliationes, aut alias satisfactiones, ut plurimum tamen remittitur, & id debet consulere Confessor.

10. D. Cum viri prudentes sint legislatores, teneturnè homicida, vel mutilans in satisfactionem læsi subire pœnas à lege contrà se statutas.

M. Tenetur subire, sed post sententiam judicis: quando verè sint pœnæ, & lex non determinet ipso facto pœnas incurri; nam si imponatur v.g. excommunicatio incurrenda ipso facto, statim est excommunicatus, ante declaratoriam Judicis, licèt ante hanc non sit vitandus.

11. D. Teneturnè ad restitutionem Adulter, qui violavit uxorem alterius?

M. Quia læsit justitiam commutativam, tenetur; & primò ad damna: si enim nascatur filius, tenetur illum alere; ac procurare, ne in toto, vel in parte accipiat hæreditatem debitam filiis legitimis mariti: secundò tenetur reparare injuriam illatam marito, & è contrà, arbitrio viri prudentis, nisi remittatur injuria.

12. D. Quomodò maritus intelligitur remittere injuriam uxoris, quæ thorum violavit?

M. Multiplicitèr; sed præcipuè, si sciens adulterium uxoris, petat ab ipsâ debitum.

13. D. Teneturnè ad restitutionem, qui temerariè judicat de proximo in corde suo nihil exteriùs proferens?

M. Et hic lædit justitiam commutativam: quare tenetur: & reparabit injuriam, si desistat à judicando malum de proximo; & prætereà judicans benè de ipso.

14. D. Quomodò restituet, qui læsit famam alterius, imponendo falsum crimen?

M. Restituet se retractando coràm illis, apud quos malè locutus fuit de proximo, etiam dicendo se fuisse mentitum.

15. D. Respondent hi non credere se huic retractationi, quã facit solùm de ordine Confessoris?

M. Ut sibi credatur in tali casu, adhibebit juramentum, quod est medium ultimum, & efficax, ut nobis credatur: hoc posito satisfecit propriæ obligationi.

16. D. Suntnè peccata specie diversa imponere falsum crimen, & revelare crimen occultum?

M. Utrumque est contrà justitiam, sed tamen sunt specie diversa: multùm enim primum excedit secundum.

17. D. Quomodò restituet, qui revelavit crimen occultum proximi?

M. Nunquam mentietur, sed coram illis, quibus revelavit, dicet se malè, aut injustè, vel ex passione locutum fuisse, vel laudabit illum, ita quòd iterum audientes possint efformare debitam existimationem de tali diffamato per revelationem criminis occulti.

18. D. Teneturnè ad restitutionem, qui revelat crimen verum, & publicum de proximo?

M. Pu-

Digitized by Google

M. Publicè diffamatus non habet jus ad famam in eo, in quo est diffamatus: quare revelans crimen publicum peccat solùm contrà charitatem; & ita non tenetur ad restitutionem.

19. D. Incendens viridem agri segetem, quid tenetur restituere vero domino?

M. Non tenetur restituere totum fructum, quia potest hoc multiplicitèr impediri per grandines, &c. sed si, v. g., incendat mense Januarii, videbit quanti tunc æstimaretur seges, si dominus illam vellet vendere; & ita si incendat mense Martii, Maii &c. nam debet restituere, quanti valet hodie, quando incenditur.

20. D. Quid tenetur restituere, qui obligatus hodie reddere mutuum, non reddit; quare mutuans ex pecuniâ sibi hodie restituendâ non potest lucrari, quod lucraretur, si haberet?

M. Si mutuans habet aliam pecuniam, ex quâ possit acquirere prædictum lucrum, ad nihil tenetur: si verò aliam non habet, & Mutuatarius ex culpâ nõ restituat, videndum est arbitrio viri prudentis, quanti æstimetur spes talis lucri, detractis laboribus, & expensis, quas Mutuans deberet facere, consideratis etiam fortuitis eventibus, qui multiplicitèr possunt impedire lucrum, & hoc debebit restituere.

21. D. Teneturnè ad damnum emergens?

M. Lucrum cessans, & damnum emergens differunt. Lucrum cessans est, ut in præcedenti casu, in quo, si pecuniam mihi reddendam implicabo,

per contractus, inde lucrabor; At damnum cessans est: si, v.g., Mutuatarius differat solvere, teneor accipere illa centum ad cambium, per quod obligabor annuatim solvere quatuor. Ex dilatione mihi emergit damnum horum quatuor, quæ propterea Mutuatarius tenetur mihi restituere; quia nemo debet mihi esse damno, præcipuè, quando ex me reportavit commodum.

22. D. Teneturnè restituere, qui habet aliquod lucrum ex actione illicità, v.g., ex meretricio)

M. Illicitum est meretricium, sed non est illicitum solvere pro meretricio, quia nulla lex prohibet solvere, seù dare pro illo.

23. D. Qui accepit, ut occideret inimicum, postquam occidit, teneturnè restituere?

M. Etiam postquam occidit, tenetur restituere, quia non solùm est prohibitum occcidere, sed etiã est prohibitum dare aliquid pro occidẽdo inimicũ.

24. D. Qui mandavit occidi, reportabit commodum, quia & habebit inimicum occisum, & recuperabit suam pecuniam.

M. Qui occidit, debet restituere, non tamen mandanti, sed pauperibus, quibus etiam debet dare mandans occidere, cum pacto dandi tantam pecuniam Sicario. Eodem modo differendum est de Simoniaco.

25. D. Cui teneor restituere, si mortuus sit ille, cui debeo?

M. Teneor restituere hæredi: nam hìc repræsentat in hoc personam ejus, cui debeo.

26. D.

Digitized by Google

26. D. Cui teneor restituere, si ignoro verum rei dominum?

M. Si factis debitis diligentiis adhùc ignoro dominum, teneor facere eleemosinas in beneficium veri domini.

27. D. Possumnè retinere mihi verè pauperi, si rem deperditam inveni, cujus verum dominum, factis debitis diligentiis, adhùc ignoro?

M. Si es verè pauper, de consilio prudentis Confessarii, poteris retinere tibi aliquam partem juxtà indigentiam.

28. D. Cui tenetur restituere, qui vendens defraudavit concurrentes ad suam publicam officinam; dans minùs, quam debeat, & ignorans nunc particulares, quos defraudavit?

M. Tenetur restituere, dando plus, quàm debeat, concurrentibus in posterum ad eandem officinam, quòusq; circumcircà, quod primò abstulerat concurrentibus, integrè restituerit si sint iidem, qui damnificati.

29. D. Quid debet facere fur volens restituere, sed cognoscens dominum rei transmigrasse in longinqua?

M. Suis expensis, quia est in culpâ, tenetur remittere rem proprio domino, vel si cum periculo transmitteretur, significare, & se offerre ad expensas necessarias.

30. D. Curritnè idem de habente rem alienam bonâ fide?

M. Hìc, quia non est in culpà, non tenetur ad expen-

expensas pro transportatione, sed significabit vero domino, ut suis expensis possit illam transportare.

31. D. Teneturnè restituere, qui vendit rem pretio supremo?

M. Pretium aliud est legale, aliud morale: Illud est statutum à lege, hoc à consuetudine: Primum non licet excedere in minimo, & excedens tenetur restituere: Morale est triplex, infimum, medium, & supremum: quodlibet horum est justum: quare dum stat intrà limites supremi, non tenetur restituere.

32. D. Tenebiturnè restituere, qui vendit supremo pretio, credens se non posse vendere tali pretio?

M. Hic ex conscientiâ erroneâ peccabit contrà justitiam, sed non tenebitur restituere, quia in veritate non læsit justitiam.

33. D. Qui tenentur restituere?

M. Cõprehensi illis versibus adductis c. 56. n. 67.

34. D. Teneturnè semper ad restitutionem qui tacet, seù *Mutus*.

M. Tenetur tantùm, quando ex justitiâ tenetur clamare. Idem dic de duobus sequentibus.

35. D. Quo ordine tenemur restituere?

M. Primò omnium debet restituere habens rẽ alterius, etiamsi bonâ fide habuerit, hoc non restituente jubens, tertiò exequens; & sic de reliquis, ita ut, qui magis influxit in furtũ, teneatur ante alios.

36. D. Si omnes hi tenentur, qui, v. g. furto perdidit decẽ, poterit aliquando recuperare centũ?

M. Si

M. Si consulens, v. g. reddidit integra decem, jubens, & exequens non tenentur amplius vero domino, sed consulenti, pro parte, quam solvit, & ipsi debebant solvere.

37. D. Si quis suâ jussione sit causa furti, & ipse solvat vero domino, tenenturnè exequentes restituere vero domino?

M. Non tenentur, quando jubens est causa talis, cujus jussioni non possit resisti, ut potest contingere in Principe jubente rapinam militibus. Hi, quando Princeps restituit, non tenentur restituere Principi.

38. D. Qui tenentur restituere in solidum, & qui pro parte?

M. In solidum tenentur omnes, qui concurrunt ad actionem furti, aliquo ex modis contentis in versibus: pro parte tenentur omnes, qui non concurrerunt ad actionem furti, sed habuerunt partem de re furto ablatà.

39. D. Quid significant illi duo termini *obligari in solidum, & obligari pro parte?*

M. *Obligari in solidum* significat, quòd singuli concurrentium ad actionem furti tenētur reddere integrè rem furto ablatã, estò non totam unus possideat, potestque aliquando contingere, quòd nihil rei alter habuerit. Ubi tamen ipse restituit, poterit repetere à sociis, juxtà dicta n. 35. *Obligari pro parte* significat, quòd non concurrens ad actionem furti, si participavit de re furto ablatà, debet restituere tantùm, quantum venit in suas manus.

40. D.

Digitized by Google

40. D. Quantū differre possumus restitutionē?

M. Statim tenemur restituere, quia nec uno instanti possumus voluntariè aliena retinere invitis dominis.

41. Examinandus ad confessiones circà Restitutionem, hæc, & similia debebit habere omninò promptus, ad manus. Imò si quis benè consideret, videbit habenda etiam esse ad manus Confessori, dum in confessionali exercet suum triplex officiū etenim, circà jam notata, frequentissimè peccatur; nec sunt de iis, quæ Confessor potest petere tempus à pœnitente, ut consulantur doctiores, quia necessarium est eos admonere statim suæ obligationis, ut se liberent à peccato. Uterque tàm examinandus, quàm audiens actu confessiones, debet etiam habere ad manus propositiones prohibitas circà hujusmodi materiam, quæ sunt plures: nec eas hìc memoravi: nàm opto, ut quilibet sacerdos eas frequentèr suo loco relegat; Imò laudandi sunt valdè Sacerdotes, quos scio didicisse, vel discere memoritèr propositiones omnes in materià morū prohibitas ab Alexandro VII. Innocentio XI., & Alexandro VIII. Hi etiam in eo sibi consulunt, quòd sperare possunt approbationem ad Parochiales. In harum concursu Examinatores Apostolici sæpissimè tangunt propositiones damnatas, & ut plurimùm eas involvunt aliis terminis, qui non continentur in damnatis. Exemplo sit casus novissimè propositus, in quodam concursu: *An teneatur ad restitutionem, qui alium movet, inducit, aut*

suo

Digitized by Google

suo exemplo est occasio, ut inferatur grave damnum proximo. In propositione 39. Innocentii XI. exprimuntur movens,& inducens,qui obligantur, utpotè peccantes contrà justitiam: non exprimitur dans occasionem; qui non obligatur, quia peccat solùm contrà charitatem peccato scandali. In dicto concursu,qui solùm recordabantur imperfectè propositionis prohibitæ, non distinxerunt, sed absolutè damnarunt ad restitutionem omnes in casu expressos,pro ratione assignantes,quòd propositio esset damnata: Nonnulli autem memorià callentes singulas propositiones damnatas,optimè distinguentes meruerunt approbari; Adeò potest prodesse memorialis hæc notitia propositionum damnatarum; quare illam pluris faciat examinandus.

CAPUT LIX.

Recapitulatio peccatorum contrà Justitiam commutativam.

1 D. SE ipsum occidens peccatnè contrà hanc virtutem?

M. Utique peccat,quia lædit Rempublicam, seù communitatem, cujus ipse est pars.

2. D. Potestnè quis occidere se ipsum, cognoscens se in gratià, ut acquirat Paradisum?

M. Non potest,sed inordinatè agit (per consequens peccat) hoc enim est ordinatum, ut Deus ipse det paradisum, & homo illum sibi acquirat

per

per opera meritoria, non physicè se occidendo.

3. D. Potestnè occidere se ipsum, ut evadat miserias vitæ præsentis?

M. Non potest, quia ad vitandum minus malũ, eligeret majus: etenim mors est ultimũ terribiliũ.

4. D. Potestnè occidere seipsum, ut puniat ita peccatum, quod commisit.

M. Non potest, quia occidere aliquem non licet nisi ex authoritate publicà; quare assumeret pœnitentiam sibi prohibitam. Ideò neque potest mutilare membrum, quo peccavit, quia est pœna prohibita particulari; & solum potest mutilari membrum, quando est nocivum toti corpori.

5. D. Carnifex cognoscit occidendum esse innocentem, potestnè licitè illum occidere?

M. Si cognoscit per scientiam privatam illum esse innocentem, sed cognoscit illum ex scientiâ publicâ per testes juridicos esse reum, faciat quantum potest pro suâ parte, ne interficiat; & si non potest liberare, non peccat interficiens: si constet carnifici occidendum non apparere reum in judicio, peccat occidens: At si non constet sibi de injustitiâ sententiæ, debet supponere justam, nec discutere ordinem Superioris.

6. D. Quæ dicitur materia gravis ad constituendum mortale peccatum furti?

M. Acceptum est, quod materia gravis est valor unius testonis circumcircà.

7. D. Creditor quando poterit occultè sibi compensare?

M. Ut

M. Ut liceat mihi occulta compensatio requiritur primò: quòd sine gravi incommodo non possim implorare authoritatem superioris: secundò: quòd meum creditum sit omninò liquidum: tertiò: quòd mihi grave damnum immineat, si peto à debitore: quartò: quòd alteri non possit imputari occulta surreptio: quintò: caveat, ne bis recipiat suum creditum.

8. D. Committuntnè peccatum mortale, qui ex irà imprecantur malum grave proximo?

M. Si ira non tollit usum rationis, & ex animo imprecentur, etiamsi pro illo tantum instanti, quo sunt irati, utique peccant mortaliter.

9. D. Peccatnè, qui petenti pannum Hollandicum, offert pannum Romanum, ut Hollandicum, sed pretio panni Romani?

M. Si sciat emptorem omninò velle pannum Hollandicum, utique peccat, nec facit justum contractum: Ut enim sit justum, debet intervenire voluntas utriusque. In nostro autem casu deest voluntas ementis.

10. D. Possuntnè Caupones vendere vinum aquà dilutum, ut reddatur suavius bibenti, quando Caupones vendunt pretio minori pro aquà?

M. Dummodò bibens non sit invitus, utique poterunt vendere illo minori pretio.

11. D. Quomodò cognoscetur emptor esse invitus?

M. Considerabit Caupo, an emptor velit vinum ad conservandum, in tali casu certum est empto-

Emptorem esse invitum, quia nemo vult vinum, quod postea marcescat, vel acescat. Alia etiam considerabit, quæ facilè subvenient Confessori prudenti, nàm in his requiritur prudentia magis, quàm scientia.

12. D. Quid est Usura?

M. Est lucrum proveniens ex mutuo immediatè, seù ratione mutui.

13. D. Quare addis illã particulã *immediatè* &c.

M. Quia si mutuans ex mutuo sentiat lucrum cessans, vel damnum emergens, potest exigere, ut sibi reparetur; in quo casu accipit ultrà sortem, non ratione mutui, sed ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sempertamen cum restrictionibus prædictis c. 58. à n. 20.

14. D. Quomodò probas mutuantem posse accipere aliquid ultrà sortem, ratione lucri cessantis, aut damni emergentis?

M. Quia nemo tenetur subvenire proximo cum sui detrimento: quare possum exigere, ut mihi reparetur damnum proveniens, eo quòd alteri sum beneficus.

15. D. Quæ differentia est inter mutuum, & commodatum?

M. Ea est differentia, quòd mutuans transfert dominium in mutuantem; at commodans non transfert, sed retinet sibi dominiũ rei commodatę.

16. D. Ad quid inservit hæc differentia Confessori?

M. Ad multum inservit: nàm si accepi centum mutuò,

mutuò, & equum commodatò: pereatque utrumque sine ullà meà culpà, Confessarius obligabit me ad reddendum mutuum, quia perit mihi domino, & non commodatũ, quia periit domino suo.

17. D. Quæ res esse possunt materia mutui?

M. Quæ ipso usu consumuntur, ut pecunia, vinum, oleum, triticum, & similia.

18. D. Possumnè hodie mutuare decem choros tritici cum hoc, quòd totidem reddantur tempore, quo valebit pluris?

M. Si sum certus, quòd valebit pluris, non possum: in hoc enim casu do plus, quàm accipiam: si sum incertus, tùnc licitè possum, quia me expono periculo, quòd valeat minoris.

19. D. Possumnè in mutuo apponere pœnam, v.g. quòd si non reddat centum infrà mensem, posteà reddat centum, & duo?

M. Possum, si verè sit pœna, quæ non infligitur, nisi culpę, & propterea solùm exigere potero, quãdo sciam mutuatarium ex culpà non reddidisse intrà mensem.

20. D. Possumnè mutuare cũ spe internà, quòd mutuatarius aliquid mihi reddat ex gratitudine?

M. Si motivum principale mutuandi sit hæc spes, erit usura mentalis, contrà illud Christi *Mutuum date, nihil inde sperantes:* At si principale motivum sit facere illum actum charitatis, & minus principale sit spes, non erit usura.

21. D. Possumnè promittere usuras ei, qui non vult mihi mutuare, si nõ promittã solvere usuras?

M. Distinguo: si sum in necessitate, non pecco, quia possum uti malo alterius in bonum meum, ut facit Deus, qui etiam nostris jam commissis peccatis utitur ad sui gloriam: si peto pecuniam mutuò ad ludendum, vel absque necessitate, pecco, quia cooperor malo alterius.

22. D. Quãdo promisi, teneorne solvere usuras?

M. Ex justitiâ non teneor; usuræ enim utpotè injustæ, non possunt esse materia justitiæ.

D. 23. Quid si juravissem solvere?

M. Tunc teneor, non ex justitiâ, sed ex religione propter juramentum, quod semper est servandum, nisi sit vinculum iniquitatis. Porrò peccatum est exigere usuras; & non est peccatum solvere.

24. D. Quid faciat, qui juravit solvere usuras; at nùnc nollet solvere?

M. Hic juxtà Canones debet se promptum ostendere ad solvendum: quare deponet pecuniam juratam: deindè accedet ad superiorem legitimum petens absolvi à juramento, & absolutus repetet suam pecuniam.

25. D. Mutuans exegi, quòd mutuatarius veniret ad meam officinam, quando indigeret pannis, peccavinè?

M. Peccasti, quia exegisti aliquid ultrà sortẽ mutuatam: Mutuasti decem, & exegisti decem, ac præterea, quòd veniret ad tuã officinam, ubi indigeret.

26. D. Exegi, quòd Mutuatarius mihi remutuaret, si indigerem. In hoc, ut puto, non peccavi; nàm, & ex gratitudine, & ex charitate tenetur proximus

ximus mihi remutuare, si indigeo?

M. Peccasti: etenim obligare voluisti, quantum est pro tuà parte, Mutuatarium ex justitià ad remutuandum, quando hæc remutuatio non potest esse materia justitiæ in tuo mutuo, sed solùm potest esse materia gratitudinis, & charitatis, quos actus tu nõ potes exigere cũ exactio dicat justitiã.

27. D. Possumnè exigere, ut Mutuatarius me laudet?

M. Neque potes exigere laudes, quia ex justitiâ Mutuatarius non potest obligari, nisi ad reddendam sortem à te acceptam; quidquid sit, an ex gratitudine teneatur te laudare.

28. D. Possumnè mutuans aliquid exigere, quia tue obligo ad non repetendũ mutuũ infrà annũ?

M. Est 24. propositio damnata ab Alex. VII. & tene generalitèr, quòd pro tempore nihil potest expeti, quia petis pro re, quæ est communis.

29. D. Hæc regula videtur falsa: nam vendens pecunià numeratà ordinariè minoris vendit, quàm pecunià creditâ?

M. Possum pluris vendere pecunià creditâ: primò: si ex dilatione solutionis emergat mihi damnum: secundò: si cesset mihi lucrum juxtà dicta c. 57. n. 21. & tertiò: quia ordinariè vendens pecunià creditâ, vendit pretio supremo; vendens verò pecuniâ numeratà vendit infimo; sed tempus nullo modo potest vendi, quia est commune.

CAPUT LX.

Recapitulatio dictorum de actibus Religionis.

1. D. QUuid est Oratio?

M. Oratio duplicitèr accipitur: primò: pro elevatione mentis in Deũ: secundò: pro petitione rerum convenientium à Deo.

2. D. Tenemurnè orare?

M. Tenemur utique; nàm primò: aliquoties tenemur elevare mentem in Deum: secundò: tenemur petere à Deo, quæ per nos ipsos habere non possumus.

3. D. Quando tenemur orare?

M. Elevare mentem in Deum tenemur, quando tenemur elicere actus fidei, spei, & charitatis, qui sunt ipsa elevatio mentis in Deum, & eodem tempore saltem virtualitèr tenemur petere, quia petere virtualitèr est conservare desideriũ charitatis; hoc autẽ conservamus eliciẽdo actus charitatis.

4. D. Possumusnè temporalia petere à Deo?

M. Possumus, ubi cognoscamus, vel supponamus illa prodesse nobis ad salutem, ita quòd desistamus à petendo, si è contrà cognoscamus obesse; Ubi autem non cognoscimus, virtualitèr saltem subiiciamus nos divinæ voluntati, quando Deus cognosceret nobis obesse.

5. D. Estnè certũ, quòd oratio nostra exaudietur?

M. Est

M. Eſt certum ex promiſſioue Chriſti in Evangelio, quòd exaudiemur orantes pro nobis: At non eſt ita certum, quòd exaudiemur orantes pro aliis.

6. D. Exaudiunturnè peccatores?

M. Ex eodem Evangelio eſt certum, quòd etiam peccatores exaudiuntur, ſi orent pro ſe cum debitis conditionibus.

7. D. Quæ ſunt iſtæ conditiones?

M. Sunt quatuor: primò: quòd homo petat pro ſe: ſecundò: quòd petat piè: tertiò: quòd petat perſeverantèr: quartò: quòd petat neceſſaria ad ſalutẽ.

8. D. Quid ſignificat *petere piè*?

M. Siguificat petere cum humilitate tali, quæ decet creaturam reſpectu Dei?

9. D. Quantum debeo perſeverare in oratione?

M. Quòad uſque conſequaris effectum: Deus enim eſt perfectus Medicus, qui novit congruentem ſuis temporibus exhibere medicinã, Infirmus quòad uſque Medicus non det medicinam omninò ſanativam, debet ſe diſponere: Chriſtiani autem diſpoſitio eſt oratio.

10. D. Cum oratio debeat eſſe attenta, quid intelligis nomine Attentionis?

M. Intelligo, quòd orans debeat habere mentem elevatam in Deum, ita ut non diſtrahatur voluntariè, & ſi advertit in ſe diſtractiones, curet, quantùm poteſt, repellere.

11. D. Quid eſt Votum?

M. Eſt promiſſio facta Deo de meliori bono.

12. D. Poteſtnè matrimonium, vel alia res in-

diffetens cadere ſub voto?

M. Neque res indifferentes, neque matrimonium (aliàs in ſe bonum) poſſunt per ſe cadere ſub voto, quia non ſunt melius bonum.

13. D. Quare addis illam particulam *per ſe*?

M. Quia per accidens poſſunt eſſe melius bonum, & ita cadere ſub voto: v. g. qui patitur tentationes contrà caſtitatem, poteſt vovere matrimonium, quia *Melius eſt nubere, quàm uri.* Non poſſum vovere, quòd non tranſibo per talem viam, quia eſt aliquid indifferens; at ſi adſit ibi occaſio proxima peccandi, poſſum vovere, quia tùnc non tranſire eſt majus bonum, quam tranſire.

14. D. Quotuplex eſt votum?

M. Eſt duplex, aliud ſimplex, aliud ſolemne. Solemne eſt votum factum in Religione approbatà, vel in ſuſceptione ſacri ordinis: Cætera ſunt vota ſimplicia.

15. D. Quæ differentia eſt inter irritationem, diſpenſationem, & commutationem voti?

M. Dicitur commutari votum, quando, loco materiæ promiſſæ, alia ſubſtituitur: dicitur diſpenſari, quando relaxatur quis à tali voto: dicitur irritari, quando alicui tollitur obligatio.

16. D. Requiriturnè aliqua poteſtas, ut irritentur, diſpenſentur, vel commutentur vota?

M. Utique requiritur, ſed ad irritandum ſufficit poteſtas Oeconomica. Ad reliqua requiritur poteſtas Eccleſiaſtica.

17. D. Eccleſia obligatnè ad ullũ actũ Religionis?

M. In

M. In primo præcepto Ecclesia obligat universalitèr omnes Christianos, ut in die festo audiant sacrum, & vacent ab operibus servilibus. In tertio ut confiteantur semèl in anno: in quarto ut communicent in Paschate: in quinto ut solvant decimas juxtà consuetudinem: in sexto denique, ut à nuptiis abstineant temporibus prohibitis.

18. D. Sumere sacramẽta estnè actus Religionis?

M. Quodcunque sacramentum sumatur, id spectat ad virtutem Religionis.

19. D. Quid requiritur ad faciendum validum sacramentum?

M. Requiruntur materia, & forma determinatæ à Christo, nèc non intentio actualis, vel virtualis conficiendi sacramentum.

20. D. Quid requiritur, ut quis licitè recipiat sacramentum?

M. Requiritur, quòd sit in gratiâ.

21. D. Quid faciet æxistens in peccato mortali, & volens recipere sacramentum?

M. Si tenetur communicare, sub mortali debet prius confiteri, dummodò possit sine scandalo, & habeat copiam Confessoris. Ad extremam unctionem recipiendam prærequiritur confessio, ex multis capitibus, & præsertim, quia confessio obligat jure divino in articulo mortis. Ad reliqua sacramenta vivorum non requiritur quidem sub mortali confessio: sufficit enim contritio charitate perfecta, sed omninò consulenda est confessio, quia nunquã possumus esse certi de perfectà cõtritione.

22. D. Possuntnè sacramenta confici sub aliquâ conditione?

M. Si dum conficitur, apponatur ex causâ conditio de præterito, vel de præsenti, validè, & licitè conficietur: si absque causâ validè, sed illicitè conficietur: si apponatur conditio de futuro, nèc validè, nèc licitè conficietur, quia sacramentum non potest manere in suspenso.

23. D. Qui nam est effectus sacramenti?

M. Effectus communis omni sacramento est gratia sanctificans, quam primò producunt Baptismus, & Pœnitentia (& propterea dicuntur sacramenta mortuorum) cætera verò augent; & propterea dicuntur sacramenta vivorum. Baptismus, Confirmatio, & Ordo habent alium effectum, scilicèt, Characterem. Effectus proprius cujusque sacramenti est gratia sacramentalis.

24. D. Quid intelligis nomine gratię sacramẽtalis?

M. Intelligo auxilia quædam actualia; quæ Deus intuitu sacramenti olim suscepti suo tempore confert, ut homo possit consequi finem, ob quem est institutum tale sacramentum.

25. Circà Religionis actus, hæc, & similia debebit habere præ manibus examinandus ad confessiones, uti, & Confessor, ubi actu exercet suum triplex officium. Porrò circà sacramenta non repeto hìc alia universaliora, quæ communitèr explicantur in doctrinà Christianà; Indignissimum esset, si quis eorum ignarus non modò audiret confessiones, verum vel si se exponeret examini. Debet illa

scire

scire vel initiandus ad Clericalem Tonsuram; propterea luculenter tradita sunt in *Instruct. pro ordinandis* c. 11. Qui cum fundamentis in illa Instructione præjactis gradatim ascendit ad ordines, illa omnia plenè callebit: ibi enim pluribus ostendi Examinatores Urbis ad omnem ordinem inquirere super doctrinà Christianà, quò singuli ordinandi cognoscerent necessitatem callendi rudimenta fidei: quòd si opus hoc incidat in manus examinandi ad confessiones, qui adhùc prædictæ Instructionis notitiam non habuerit, sciat sibi maximè necessariam fore; cum ego fabricem super fundamentis ibi præjactis; nèc repetenda sint inibi dicta. Propterea, cum etiam peccent plurimum Ecclesiastici addicti divino officio, cujus recitatio est actus Religionis; Confessor ordinarius maximè debet esse instructus de peccatis; quæ circà officium possunt committi. At nihil de illo differui, quia omnia sufficienter tradita sunt in prædictà *Instruct. pro ordinandis* c. 14. & c. 30. à n. 7. ad 13. Ibi relegantur: Unicus restat actus Religionis, nempè, Juramentum, cujus utique doctrinam recapitulari necesse est, tùm examinando, quia ferè semper Urbis Examinatores interrogant super illo, tùm Cõfessori in actuali exercitio sui triplicis officii, quia frequentissimè fidelium vulgus peccat in jurando; veruntamen quæ debet uterque præ manibus habere, aptiùs dabuntur, cum recapitulabitur doctrinà de peccatis religioni oppositis per defectum.

CA-

CAPUT LXI.

Recapitulatur doctrina de peccatis per excessum Religioni oppositis.

1. D. QUid est Superstitio?

M. Est vana Religio tribuens creaturis cultum debitum Deo, vel tribuens Deo cultum indebitum.

2. D. Cum Deo non possimus reddere ad æqualitatem, omnis cultus videtur debitus Deo?

M. Ille cultus dicitur indebitus Deo, qui est prohibitus ab Ecclesiâ, ut si nùnc vellem servare legem Moysi &c.

3. D. Peccone, si ad ligandos, v. g. canes, utor aliquo Psalmo, præmissâ protestatione, quòd ego nullam volo communicationem cum dœmone?

M. Pecco, & illa est protestatio contrà factum: A primo enim, qui secum fecit pactum, operatur dæmon in tali Psalmo; & experientia ostendit, quòd non desinit operari ex meâ protestatione.

4. D. Astrologia judiciaria estne licita?

M. Est omninò illicita, & gravissimè prohibitum legere libros, qui de illâ tractant.

5. D. Ex consideratione stellarum possumus nè cognoscere fortuitos eventus, v.g. quòd talis occidetur tali tempore &c.

M. Non possumus, quia eventus hujusmodi non subjacent motui stellarum, sed soli divinæ voluntati.

6. D.

6. D. Sed legimus à multis prædictos fuisse hujusmodi eventus, ut quòd legitur in exercitu Henrici III. rumorem increbuisse, quòd esset occidendus à Religioso?

M. Quando hujusmodi eventus prædicuntur, dicendum est à dæmone futura prævidente (ubi homo prodit suos actus extrà intellectum; & voluntatem) instinctu quodam moveri ad hæc promulganda.

7. D. Quomodò potest dæmon se ingerere, quando illum nemo advocat per pactum?

M. Etiamsi nemo illum advocet, dæmon tantà flagrat malitià, ut perdat hominem, quòd ultrò se ingerit. Habes exemplum in viris Sanctis; Talitèr se ingerunt conversioni animarum, etiam non rogati, ut quoquo modo possunt, curent proiicere semina, unde lucrentur peccatores. Contrario modo se ingerit dæmon.

8. D. Sed nemo cogitat dæmonem se ingerere hujusmodi prædictionibus?

M. Hoc provenit ex subtiliori malitià dæmonis optimè scientis, quòd non crederetur, si se detegeret; & ita decipitur vulgus; nàm docti sciunt alitèr id non posse contingere.

8. D. Possumusnè credere somniis?

M. Medici possunt credere somniis quibusdam, ubi agitur de judicando, quibus humoribus abundet corpus.

10. D. Possumusnè fidere aliis somniis?

M. Regula generalis debet esse, quòd homo neque

neque credat, neque discredat somniis, quę contingunt circà proprias operationes; nàm de aliis omninò sunt vana, & futilia.

11. D. Qui somniavit se sibi fregisse crus, dum exiret domo, potestnè sibi pręcavere, non exeũdo?

M. Potest, dummodò aliàs non teneatur; nàm si v. g. teneretur audire sacrum, præcaveret sibi plus, quàm oportet.

12. D. Sed sunt plura exempla, quòd contigerunt eventus in somniis prævisi?

M. Non per hoc potest relinquere illa, ad quæ aliàs tenetur, quia, etiam in somniis ingerit se dæmon, ut hominem decipiat, & saltem abducat ab illis operibus, ad quæ aliàs tenetur.

13. D. Quomodò ostendis non licere uti quibusdam Psalmis ad certos effectus sanitatum &c. aut etiam nominibus Angelorum, adhibendo tot numero cruces, aliquod numisma argenteum, non aureum, aut alterius metalli &c.

M. Id probo, quia Psalmi, nomina, numismata, cruces &c. non habent virtutem naturalem depellendi tales morbos &c. ut constat; sed neque supernaturalem; de hâc enim constare deberet ex Ecclesiâ, sed neque ab Ecclesiâ sunt injunctæ contrà tales morbos.

14. D. Licetnè appendere ad collum Evangelium S. Joannis &c.

M. Quidquid ab Ecclesiâ receptum est, ut sanctum, potes appendere ad collum, si appendas ex devotione, non superstitione, non quòd confi-

das

Digitized by Google

das in tali actione, scripturà, talibus reliquiis materialibus &c. sed quòd confidas in virtute Evangelii, seù verborum à Christo prolatorum, in intercessione Sancti, cujus reliquiam gestas, & teneas, quòd præservaberis à malo, non quia gestas, sed quia studes obedire Evangelio, & imitari Sanctos.

CAPUT LXII.

Recapitulatio peccatorum per defectum Religioni oppositorum.

1. OMne peccatum per defectum Religioni oppositum est sacrilegium; & accipiendo sacrilegium in totà sua ratione generica, notitiam illius habere necessarium est, tùm Confessori, tùm examinando ad confessiones: nàm frequentissimum est hoc peccati genus in multitudine fidelium; quàpropter sæpissimè super illo interrogant Examinatores Urbis, in eo constantissimi, ut experiantur approbandos, circà populi communiora peccata, veruntamen benè considerando quaslibet sacrilegiorũ species; videbimus in multitudine fidelium illa duo maximè timeri, posse, quæ contingunt in suscipiendis duobus sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Utinam nunquam contigisset, quòd adolescentuli præ verecundià omittentes in cõfessione peccatũ aliquod ex fragilitate commissum, frequentaverint ambo hæc sacramenta per annos, & per lustra. Idem dic

de

de Religiosis junioribus utriusque sexus, qui longo tempore viventes immaculati, & puri, dum crescit ætas, incalescente paritèr sanguine, fragilitèr labuntur; sentiunt verò dolores mortis, in detegẽdo lapsum Confessori ordinario, qui olim de illis omnem optimam habebat existimationem, præsertim si Confessor sit indiscretus, & apprehendatur (inanitèr tamen) usurus notitiâ Confessionis in gubernio regulari; Aliàs ex Constitutionibus debent frequentare sacramenra pluries in mense, vel etiam in hebdomadà. Non memini Sacerdotes, qui quotidiè celebrent ex malitiâ, non ex verecundia, cum fascibus peccatorum contrà Castitatem, Simoniarum &c. nèc enim dari crediderim Sacerdotes adeò scelestos. Cum igitur hæc sacrilegia possint esse frequentia, per consequens Confessor debeat maximè pro illis medendis esse instructus, nihil tamen circà illa hìc recapitulo, quia quæ ad id spectant, Parochi docent pueros in doctrinà Christianà, & sufficientèr tradita sunt c. 11. *Instruct. pro ordinandis*.

2. Duo solũ reminiscenda sunt; primò: quòd sacrilegè accipientes hæc sacramenta in Paschate, duo peccata committunt, alterum commissionis, & est sacrilegium, irreverentèr accipiendo sacramenta; & alterum omissionis contrà præceptum Ecclesiæ: propterea Confessor, ubi non se pœnitens explicat, interrogabit, an sacrilegè susceperit sacramenta, tempore statuto ab Ecclesiâ: secundò: in his casibus unicum esse remedium hortari pœniten-

nitentes ad claram, & distinctam confessionem generalem, in quà pœnitens admoneatur, ut se accuset de sacrilegiis quoad speciem, ac numerum, nèc non de omissionibus præcepti Ecclesiæ. His prælibatis circà hæc sacrilegia, duo remanent specialitèr, circà quæ, utpotè non infrequentia, debet instructus comparere examinandus ad confessiones: alterum est Simonia, & alterum est perjurium, cujus occasione, juxtà promissa c. 59. n. 25. de Juramento etiam est recapitulandum.

3. D. Quid est Juramentum?

M. Est invocatio divini nominis in testimonium alicujus dicti, vel facti.

4. D. Juramentum estnè actus licitus?

M. Utique est actus licitus, & actus Religionis, exercitus ab ipso Deo; nàm Ps. 109. dicitur *Juravit Dominus* &c.

5. D. Quos comites habere debet juramentum, ut sit actus licitus; seù quas conditiones?

M. Debet habere tres conditiones, veritatem, justitiam, & judicium.

6. D. In quo consistit judicium juramenti?

M. Consistit in eo, quòd homo juret cum prudentià, seù cum aliquà necessitate.

7. D. Eritnè peccatum mortale, si juramento desit judicium.

M. Quando hæc sola conditio desit, juramentum ex suo genere non erit peccatum mortale.

8. D. Quid importat justitia juramenti?

M. Importat, ut non juremus de re illicità; &

prop-

propterea hæc conditio, non ingreditur juramentum assertorium.

9. D. Quid est veritas Juramenti?

M. Juramenti veritas in eo consistit, ut res sit talis in mente nostrà, qualis affirmatur.

10. D. Estnè perjurium, si ego credens omninò ut certum, quòd Petrus transit per viam, juro Petrum transire, dum transit Paulus?

M. Non est perjurium: licèt enim materialitèr sit falsum, quòd Petrus transeat, formalitèr tamen est verum, quia id ita est in mẽte meà, & ita sentio.

11. D. Quid si è contrà jurem, quòd Petrus transit, qui verè transit; ego tamen credo, quòd transeat Paulus?

M. In hoc casu est verè perjurium, & sacrilegium: quia estò materialitèr sit verum transire Petrum, tamen formalitèr est mendacium; affirmo enim contrà id, quod in mente sentio.

12. D. Quid si dubitans, an transeat Petrus, juro transire Petrum; & post juramentum, certè cognosco, quòd sit Petrus?

M. Etiam in hoc casu est Perjurium; quia affirmo contrarium ei, quod habeo in mente, dum juro. In mente habeo Petrum sub dubio, & affirmo ut certum.

13. D. Consuetudo jurandi, de se estnè peccatum mortale?

M. Consuetudo est circumstantia actus; nèc erit peccatum mortale de se, nisi actus de se sit peccaminosus mortalitèr. Igitur consuetudo jurandi,

quan-

Digitized by Google

quando quis advertat se semper jurare cum veritate, & justitiâ, non erit peccatum mortale, sed solum, quando ex consuetudine homo se exponit periculo jurandi, etiam inadvertentèr, falsum.

14. D. Estnè peccatum mortale inadvertentèr jurare falsum?

M. Possum nunc inadvertentèr jurare falsum, sed advertisse, seù debuisse advertere, quòd habeo consuetudinem inadvertentèr jurandi; & in hoc casu pecco mortalitèr, (nisi utar debitis diligentiis ad tollendam hanc consuetudinem) quotiès juro: At si factis debitis diligentiis inadvertentèr exeo in juramentum, tunc non peccabo mortalitèr, quia in hoc casu neque advertò ad consuetudinem, quæ propterea non est voluntaria, cùm adhibui debitas diligentias operandi contrà illam.

15. D. Ex consuetudine juravi quadragesiès: in examinando conscientiam reperio mè vigesies jurasse verũ, vigesiès falsum; quot peccata cõmissi?

M. Peccasti quadragesiès, quia peccasti jurando verum, utpotè exponens te periculo jurandi falsũ.

16. D. Quotuplex est juramentum?

M. Est quadruplex: Assertorium, Promissorium, Comminatorium, & Execratorium.

17. D. Dà exemplum in singulis?

M. Assertorium est istud: *Per Deum nunc pluit, vel: Per Deum heri pluit.* Promissorium est: *Per Deum cràs tibi dabo centum:* Comminatorium est: *Per Deum volo te occidere, nisi haurias aquam.* Execratorium: *Deus te possit occidere, nisi haurias aquã.*

18. D. In quo consistit veritas ultimorũ trium?

M. Prima veritas consistit in intentione, adeò ut verè intendas, quod sonant verba juramenti. Quòad primam hanc veritatem, tria hęc juramenta æquivalent assertorio, adeò ut neque ex levitate materiæ excusentur à mortali; quare si jures te daturum mihi vel unum Milii granum, absque intentione dandi, peccas mortalitèr. Secunda veritas juramenti promissorii, & comminatorii est executio: debes enim exequi, quod jurasti; sed in hâc ex parvitate materiæ juramentum excusatur à mortali; quare si absque intentione jurasti te daturum milii granum, peccasti mortalitèr, & si cum intentione dandi, cum jurasti, nunc nolis amplius dare, peccas venialitèr.

19. D. Ubi conditio justitiæ deficit, excusabiturnè à mortali juramentũ ex parvitate materiæ?

M. Juro, v.g., me furto ablaturum acum; si non habes intentionem furandi, est mortale, quia deficit prima veritas. At si habeas intentionem furandi, deficit justitia; & erit veniale; quia in conditione justitiæ levitas materiæ excusat à mortali.

20. D. Meus pater juravit se daturum quinque Petro: Patre mortuo teneornè ego reddere?

M. Ratione juramenti non teneris, ita quòd negando illa quinque, committas sacrilegium, quia juramentum est actio personalis non transiens in successorem: sed teneberis ratione virtutis justitię, aut veracitatis, juxtà obligationem, quam pater tibi potuit imponere.

21. D. Ju-

21. D. Juravi latronibus me missurum quinquagintà, dum rediero patriã, teneornè mittere?

M. Teneris, quia mittere quinquagintà non est peccatum, & juramentum est servandum, nisi sit vinculum iniquitatis.

22. D. Juravi paritèr dictis latronibus, me non denunciaturum illos Principi, teneornè servare hoc juramentum?

M. Non teneris, quia est contrà bonos mores, præsertim, ubi Principes lege obligant revelare delicta hujusmodi.

23. D. Vellem scire, an sicut non obligat votum de re indifferenti, ita paritèr nullam vim habeat juramentum de re indifferenti?

M. Votum debet esse de meliori bono, & ideò non obligat votum de re indifferenti. At juramentum, ut obliget, sufficit, quòd non sit de re illicità, ideò juramentum de re indifferenti obligat.

24. D. Peccaretnè, qui juraret se non intraturum Religionẽ, vel non professurum castitatem?

M. Peccaret contrà justitiam juramenti: nàm esto malum non sit vivere in sæculo, & nubere, tamen, (nisi fiat ob alium meliorem finem, ut dictum est de voto) malum est se firmare in proposito non eligendi bonum melius, ut etiam peccaret, qui jurando promitteret, se non facturum magnam eleemosinam, licèt possit eam non facere.

25. D. Juravi per verba æquivoca, v.g:, me daturum Petro mancipium, satisfacionè, si dem Petro figuram pictam mei mancipii?

M. Distingue: si jurasti cum dolo ex tuâ parte, teneris reddere mancipium verum, ut Petrus intellexit: si jurasti simpliciter, & dolus fuit ex parte Petri, teneris tantùm ad mancipium pictum.

26. D. Possumnè juramentum exigere ab eo, quem scio juraturum esse falsum?

M. Si est paratus; & ego id exigo ex meo officio, vel ex aliquâ necessitate, possum, quia utor jure meo: si absque ullâ necessitate exigo, tùnc pecco, quia cooperor peccato illius.

27. D. Quid est Simonia?

M. Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, seù spirituali annexum.

28. D. Estnè Simonia, si ego dicam, *dabo tibi centũ ex gratitudine, ubi obtinueris mihi tale beneficiũ?*

M. Est simonia palliata: nam verè do, ut des, licet palliem hãc dationem sub titulo gratitudinis, quę ut habeat locum, debet abesse quodlibet pactũ.

29. D. Possuntnè duo invicem permutare suum beneficium?

M. Non potest hoc fieri absque periculo simoniæ ab ipsis Beneficiatis. At Superior Ecclesiasticus, qui habet conferre talia beneficia, poterit ex causâ Ecclesiæ utili, aut necessariâ, facere talem permutationem.

30. D. Possumnè absque periculo simoniæ permutare, v.g. quosdã Agnus cùm aliquâ Reliquiâ &c.

M. Hoc potest fieri, quia nulli Canones prohibent hujusmodi permutationem, dummodò absit alius quicunque pravus contractus.

31. D.

31. D. Parochus petit pecuniam, ut baptizet meum infantem morti proximũ, possumnè dare?

M. Non possum, & esset simonia, sed in tali casu, pro infantis baptismo, debeo me gerere, ac si non esset Parochus. Est enim regula generalis, quòd pro eodem reputantur non habere ministrum, & non posse illum habere absque peccato.

32. D. Quid si esset adultus moribundus, & qui adsistit, nollet eum sine pecunià baptizare?

M. Sine simonià non potest dare pecuniam, sed talis moribundus reputet se, ac si nemo adesset curetque suã salutẽ baptismo flaminis, & desiderii.

33. D. Quid si Parochus vellet vendere aquam pro baptismo, possemnè tùnc emere?

M. Possem emere aquam, quia est purum elementum corporale, sed nullatenùs possum emere sacramentum, consistens in actione baptizandi.

34. D. Sacerdos accipit eleemosinam pro missà, in quà conficitur sacramentum Eucharistiæ?

M. Accipit utique, non tamen ut pretium sacrificii, aut sacramenti, sed ut stipendium suæ sustentationis.

35. D. Aliquando excommunicatis, dùm absolvuntur, imponitur pœna pecuniaria?

M. Eo ipso, quòd nominas pœnam, apparet non exigi, ut absolutionis pretium; sed ut pœna peccati, pro quo fuerat excommunicatus.

36. D. Pro matrimonio estnè licitũ accipere dotẽ?

M. Est licitum accipere dotem pro matrimonio, ut est officium naturæ, non ut est sacramentũ.

37. D. Possumnè meo inimico solvere pecuniam, nè impediat me à consecutione beneficii?

M. Si jam à legitimo Superiore beneficium mihi fuit collatum, pecuniâ possum redimere vexationem, & solvere inimico, ut non impediat me à consecutione; At si nondum per collationem Superioris habeo jus, absque simoniâ non possum solvere.

38. D. Quomodò sine simoniâ possum erogare eleemosinam pauperi, ut pro me oret?

M. Hoc faciunt divites communitèr, non ut emant suffragia pauperum, quia hoc esset simonia, sed per eleemosinam intendunt excitare pauperes, ut pro se orent ex charitate.

39. D. Cum Advocati &c. possint locare operas suas in defensionem Clientum, cur etiam id facere non potest Superior?

M. Quia Superior ex officio tenetur exhibere suas operas, non Advocatus; At si Advocatus, cui ex officio incumbit defendere pauperes, exigeret aliquid à Clientibus, tùnc etiam ipse peccaret.

40. D. Peccaretnè Parochus, qui vellet pecuniam, ut vices sui officii committeret alteri, v.g. qui vellet pecuniam, ut alteri Sacerdoti committeret vices adsistendi matrimonio?

M. Peccaret, quia hujusmodi actus, & prædicta adsistentia sunt aliquid spirituale.

41. D. Peccaretnè Superior, qui vellet pecuniam, ut corrigeret subditum delinquentem?

M. Peccaret ob eandem rationem.

42. D.

42. D. Peccantnè Superiores desistentes à correctione subditorum, qui deferunt illis munera?

M. Peccant peccato simoniæ, ac ulteriùs, quia fovent prædictum subditum in suis peccatis.

43. D. Peccantnè Superiores, qui pecuniam exigunt à subditis, ut eos visitent?

M. Et hi peccant, si eo fine velint pecuniam, hospitium, vel munera; pro visitando tamen possunt exigere sustentationem, & expensas necessarias itineris &c.

44. D. Peccantnè prædicatores exigentes stipendium suæ sustentationis, dum prædicant?

M. Peccant, si exigant, ut pretium prædicationis; At non peccant, si exigant pro suâ sustentatione, quod illis dari solet ex consuetudine approbatâ.

45. D. Episcopus volens ipse prædicare poteritnè exigere, quod communitas taxavit pro sustentatione Prædicatorum.

M. Prædicatores ad hoc vocati possunt exigere, sed non Episcopi, quando ipsi prædicant: disparitas est, quia Episcopi tenentur ex officio; quare nihil possunt exigere pro eo, ad quod sunt obligati, estò dicant se petere titulo sustentationis: At reliqui Prædicatores, ut potè non obligati possunt exigere sustentationem.

46. D. Licetnè recipere aliquid ab eo, qui ingressurus est Monasterium?

M. Potest recipi, quando liberalitèr dat Novitius. Etiam quando non suppetunt opes Monasterii, potest exigi pretium victus pro Religioso,

vel Moniali; Alitèr nihil potest exigi.

47. D. Possûtnè absque simoniâ vendi vasa sacra?

M. Pro utilitate Ecclesiæ possunt vendi, dummodò prius frangantnr, per quod tollitur illis consecratio.

48. D. Cui Simoniæ annexa est excommunicatio reservata Papæ?

M. Triplici Simoniæ, scilicèt, pro receptione Ordinum, pro susceptione beneficiorum, & pro ingressu Ordinis.

49. D. Regulares privilegiati possuntnè absolvere ab hàc excommunicatione.

M. Nullibi possunt absolvere à Simoniâ in Ordine, sed neque intrà Italiam, & extrà Urbem à Simoniâ reali scientèr contractà, vel Confidentiâ Beneficiali.

50. D. Simoniacè provisus de beneficio facitnè illud suum.

M. Nullatenùs: Ex Regulis Cancellariæ, estò per trigintà annos pacificè possedisset, sed statìm tenetur resignare; Imò neque suos facit fructus.

51. D. Quid si commissa esset simonia ab aliis, ignorante id proviso.

M. In hoc casu provisus non peccaret, sed nullum acquirit jus in beneficium, nisi casu, quo aliquis, ex odio in provisum, daret pecuniam, eo fine, ut provisus non acquireret jus. In hoc casu ignorans facit beneficium suum.

52. Ex virtutibus annexis Justitiæ, adhùc sub mortali de se obligant Pietas, Observantia, & Obedien-

bedientia, sed nihil de illis extat hìc specialitèr re, capitulandum, quod facili negotio scire non possit, aut debeat Confessor, & examinandus ad confessiones. Idem dic de ipsà Fortitudine, Virtutibusque annexis; propterea, quòd solum sub gravi obligent in casibus, qui non sunt communes; & propterea non est omninò necessarium, ut illarum doctrina recapituletur approbando ad confessiones ordinarias.

CAPUT LXIII.

Recapitulatio dictorum de Temperantiâ.

1. FRequentèr peccatur contrà tres Temperantiæ species, nempè, contrà Castitatem, Abstinentiam, & Sobrietatem: quare tùm Confessor, tùm examinandus ad confessiones apprimè debent callere, quæ peccata ordinariè circà illa contingant.

2. D. Peccata Castitati excusanturnè à mortali ob parvitatem materiæ?

M. Nullatenùs excusantur: Rationem conclusionis paulò subtiliorem vide suo loco; nùnc tibi sufficiat, quòd inclyta Societas Jesu sub excommunicatione prohibuerit doceri contrarium.

3. D. In morosà delectatione contrà Castitatem, quid teneris explicare?

M. Certum est explicandam esse circumstantiam ejus, qui delectatur, ut si est religiosus, maritatus

tatus &c. Variant Authores in asserendo, an teneamur explicare circumstantiam objecti, de quo delectatur, ut si sit virgo, nupta &c. Examinatores Urbis juxtà praxim constantissimè servatam in examine, neminem adigunt ad particularem opinionem, ubi res hinc inde probabilitèr controvertitur; Et ita poteris respondere, quod tibi videbitur probabilius. At certè faciunt optimè, qui suadent pœnitentes, ut etiã explicent circumstantiã objecti.

4. D. Estnè explicandum in confessione, si virgo voluntariè consentiat?

M. Utique est explicandum, quia fit injuria parentibus, & tutoribus habentibus sub custodiâ particulari Virginitatem fœminæ.

5. D. Quare si duo maritati simul peccent, explicandum est in confessione, quòd ambo sint maritati, nèc sufficit cuilibet dicere *Commisi adulterii*?

M. Utique: quia sunt duo numero peccata adulterii, cum duæ sint injustitiæ. Idem dic de sacrilegio, si ambo peccantes sint personæ Deo sacræ.

6. D. Quid est Jejunium?

M. Jejunium est duplex naturale, & Ecclesiasticum: naturale est abstinentia cujuslibet cibi, & potus à mediâ nocte usque ad communionem Eucharistiæ, in cujus unicè reverentiam Ecclesia præcepit hoc jejunium; propterea ejus observantia est actus Religionis, & ejus violatio est sacrilegium. Ecclesiasticum verò jejunium est abstinentia à carnibus cum unicâ comestione.

7. D. Jejunium ab Ecclesiâ præceptum ad quam

quam virtutem pertinet?

M. Secundum hoc jejunium de se pertinet ad virtutem Abstinentiæ; & ideò peccatum violationis illi oppositum est peccatum Gulæ.

8. D. Quot peccata committit pluriès comedens in die jejunii?

M. Distingue: si pluriès comedat carnes, totiès peccat, quotiès comedit. At utens cibis quadragesimalibus, unum peccatum committit, estò vigesiès comederet.

9. D. Cur hoc?

M. Quia carnes nobis prohibentur præcepto negativo obligante semper, & ad semper: Unica comestio præcipitur præcepto affirmativo obligante semper, non ad semper.

10. D. Si unica comestio præcipitur præcepto affirmativo, peccaret, qui nihil toto die comederet?

M. Non peccat: Ecclesia enim solum præcipit, quòd si velimus comedere, comedamus unicà vice.

11. D. In jejunio excusamurnè à mortali ob parvitatem materiæ?

M. Circà præceptum affirmativum semel comedendi excusat materiæ parvitas.

12. D. Quod dicitur de carne, valetnè etiam de lacticiniis?

M. Valet etiam de his, quia, & ova, & lacticinia, ubi extat hæc consuetudo, prohibentur præcepto negativo.

13. D. Accedens ad locum, ubi non jejunatur, teneturnè ad jejunium?

M. Te-

M. Tenetur, si accedat in fraudem, hoc est, si eo tantùm fine discedat à loco jejunii, ut non jejunet: fraus enim nemini suffragatur: At si non accedat in fraudem, non tenetur.

14. D. Discedens à loco non jejunii, & accedens ad locum jejunii, teneturnè ad jejunium?

M. Si jejunus accedit, tenetur: si accedit non jejunus, tenebitur in tali loco abstinere à carnibus, estò alibi carnes comederit, sed potest pluries comedere.

15. D. Cur hoc?

M. Quia carnium abstinentia est ex præcepto negativo obligante semper, & ad semper: quare tenetur ad illam, quòusque est in loco jejunii, à quo si discedat, accessurus in vesperi ad locum non jejunii, poterit in vesperi comedere carnes: Unica comestio cadit sub præcepto affirmativo; quare si in loco jejunii factus est impotens pro totà illà die, non amplius tenetur, quocunque vadat.

16. D. Quid si summo manè semel tantum comedisset in loco non jejunii, tenebiturnè abstinere omninò, dùm est in loco jejunii?

M. Non tenetur, quia in unicà comestione præcipitur etiam hora comedendi circà meridiem; quare ubi factus est impotens, ut dicatur comedisse circà meridiem unicà vice, non amplius tenetur.

17. D. Quid est Ebrietas?

M. Est inordinatus potus voluntariè assumptus, & privans perfectè usu rationis.

18. D. Estnè peccatum mortale ex suo genere?

M. Si

M. Si voluntariè fiat, de ſuà naturà eſt peccatum mortale, quia privat uſu rationis, quod eſt maximum bonum.

19. D. Etiam primà vice ſe inebrians peccat mortaliter?

M. Etiam hic mortaliter peccat, dummodò prævideat talẽ eſſe potum, quòd privabit uſu rationis.

20. D. Peccatnè mortaliter, qui ſe inebriat ex hauſtu minimo?

M. Quantumcunque minimus ſit potus, ſi prævidet ſe privandum uſu rationis perfectè, peccat mortaliter ex dictà ratione.

21. D. Peccatnè peccato Ebrietatis, qui prævideret ex calore vini immoderati, accendendam ſibi eſſe febrim.

M. Hic non peccat peccato Ebrietatis contrà Sobrietatem, quia Ebrietas reſpicit carentiam uſus rationis; ſed peccabit peccato Gulæ, contrà abſtinentiam.

22. D. Peccatnè mortaliter, qui bibit vinum perfectè inebrians, ex conſilio Medici, ut procuret vomitum pro recuperandà ſanitate?

M. S. Th. reprobat ut illicitum hoc medicamentum, quia vomitus poteſt procurari potu aquæ tepidæ: quare non eſt neceſſarius iſte vini exceſſus, ut carentia uſus rationis in tali caſu dici poſſit omninò per accidens.

23. Hæc circà Temperantiam ſunt principaliſſima, de quibus omninò eſſe debet inſtructus quilibet Confeſſor, & examinandus ad cõfeſſiones

CA-

CAPUT LXIV.

Recapitulatio doctrina de Sacramento Pœnitentiæ, juxtà examen S. Caroli.

1. PRæparans se ad confessiones plurimum fortè stupebit, quòd, in gratiam examinandorum, recapitulatâ doctrinâ magis necessariâ virtutum, peccatorumque oppositorũ, altè silverim de ipso Pœnitentiæ sacramento; verumtamen sciat me datâ operâ siluisse. Pluries notavi monita S. Caroli circà regimen animarum, suscepta fuisse à pluribus, iisque Augustissimis Ecclesiis; quà propter in id incubui, quantum potui, ut juxtà optimam S. Archiepiscopi idæam efformarem in hoc opere Confessarium. Et ratio dictat ad regulam optimæ ideæ, curandum esse, ut præ cæteris extruantur ædificii partes magis necessariæ. Ut id mihi contingeret, cogitavi proponere primò verbis S. Caroli singula capita, super quorum aliqua indiscriminatim in suis Synodis Provincialibus, decrevit examinandos esse Confessarios; quæ maximè versantur circà sacramentum Pœnitentiæ, & subjungere singulis responsionem Theologicam brevem, quæ, scilicèt, conveniat subdito interrogato.

2. *Præter cætera* inquit S. Carolus de Confessarii examine, *quæ cum Sacerdotis, & Parochi officio, munereve, conjuncta ipsi sunt, hæc etiam sigillatim, atque*

que exploratiori ratione perquirantur.

3. Duo in hoc articulo S. Carolus præscribit circà Confessores, primò: ut investigetur, an examinandus ad confessiones sciat proprium munus Sacerdotis: secundò: an sciat, quæ Confessor habet communia cum Parocho. Et quòad Sacerdotis munus nihil repeto: dicta enim omnia sunt abundè in *Instructione pro ordinandis*, ubi c. 13. compendio redacta sunt, quæ sæpius ipse S. Carolus præscripsit *de vitâ, & honestate Clericorum*; & c. 38. ex eodem inserta est Inctructio Sacerdotum, & Canones antiqui Pœnitentiales pro eorundem peccatis. Cæterùm, inspectam habere vitam Sacerdotis approbandi ad confessiones, non est munus Examinatorum Synodalium; & honestæ vitæ supponuntur jàm probati per antecedentes informationes, ubi comparent coram his Examinatoribus. Confessor cum Parocho id solum habet commune, quòd cum illo sacramentum Pœnitentiæ administrat; quare ubi sufficienter sit instructus de illis, quæ in hoc opere dicta sunt, dicetur intelligere sufficienter, quæ habet cõmunia cum Parocho.

4. *Quare institutum hoc sacramentum, & à quo institutum?*

Christus Dominus instituit hoc sacramentum, quando Jo. 20. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. Instituitque ad reconciliandos peccatores fideles cum Deo.

5. *Quæ hujus sacramenti materia?*

Materia sacramenti duplex est: alia remota, &

alia

alia proxima: Remota est peccatum, & subdistinguitur: Materia necessaria sufficiens est peccatum mortale certum, ab homine Christiano post baptisma commissum, & nondum ritè confessum: Materia sufficiens non necessaria, sunt venialia, vel etiam mortalia semel ritè confessa. Peccatum mortale dubium est materia necessaria non sufficiens, quia debemus illud confiteri, sed de illo tantum non possumus absolvi, nisi adjungatur peccato certo, vel in casu necessitatis, & tunc sub conditione: Materia proxima sunt tres actus Pœnitentis, nempè, Contritio, Confessio, & satisfactio.

6. *Quæ forma?*

Forma essentialis sacramenti sunt illa verba *Ego absolvo à peccatis tuis.* Nihilominus juxtà Rituale adjunguntur alia verba, & preces, quas Trident. sess. 14. c. 3. ait laudabilitèr adjungi *ex consuetudine Sanctæ Ecclesiæ.*

7. *Qui illius effectus?*

Ex Trid. ib. sacramenti hujus effectus est reconciliatio hominis cum Deo, quam interdum consequi solet conscientiæ pax, ac serenitas, nèc non vehemens consolatio spiritus. Igitur primò tollit omnia peccata mortalia quòad reatum culpæ: secundò: quòad eundem culpæ reatum venialia, de quibus sufficientèr dolemus: tertiò: dat primam gratiam sanctificantem, quam auget, si homo illam ante habuerit: quartò: reatum pœnæ æternæ mutat in temporalem: quintò: gratia sacramentalis propria hujus sacramenti sunt auxilia quædam actualia

actualia nobis à Deo collata suo tempore, ut possimus evitare peccata.

8. *Qui minister?*

Est Sacerdos novæ legis, ordinatus à vero Episcopo per manuum impositionem, virtute cujus accipit potestatem in corpus Christi mysticum, ubi priùs receperit potestatem in corpus verum.

9. *Quæ conditiones in eo requirantur?*

Aliæ requiruntur, ut validè absolvat, & aliæ ulteriùs, ut licitè absolvat. Ut validè absolvat, præter characterem sacerdotalem jam dictum, requiritur jurisdictio, intentio, & quòd proferat formam. Ut licitè absolvat, quòd sit in gratiâ.

10. *Quæ regulæ ad dignoscendum, & distinguendum peccatum mortale à veniali?*

Peccatum mortale est dictum, factum, vel concupitum contrà legem Dei: peccatum veniale, est dictum, factum, vel concupitum præter legem Dei: Peccata invicem specie distinguuntur, si opponantur diversis virtutibus vel eidem virtuti per excessum, & defectum. Peccata numero distinguuntur, quando sunt diversæ moralitèr actiones, vel eadem actio tendit in diversa objecta materialia, ut si uno ictu occido quatuor, sunt quatuor numero peccata.

11. *Quæ sunt Pœnitentiæ partes?*

Partes materiales hujus sacramenti sunt tres jam dictæ n. 5. nempè, *Contritio*, *Confessio*, & *Satisfactio*.

12. *Quæ earum partium ratio?*

Nihil hìc in generali reponitur, quia deſcendit Sanctus Archiepiſc. ad inquirendam in particulari cujuſque partis rationem.

13. *Quid Contritio?*

Eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

14. *Quæ ad veram contritionem ſint neceſſaria?*

Ad contritione eſt neceſſarium ceſſare à peccato, proponere, & inchoare novam vitam, nec non odio habere veterem.

15. *Qui Contritionis fructus, & utilitas?*

Si ſit charitate perfecta, ſtatim reconciliat hominem cum Deo, ante actualem ſacramenti ſuſceptionem, virtute tamen ſacramenti voto concepit: At ſi non ſit charitate perfecta, ſed voluntatem peccandi excludat cum ſpe venię, præparat hominem ad impetrandam in ſacramento Pœnitentiæ gratiam.

15. *Quà quiſquam ratione ſe ad contritionem exercere poſſit?*

Sequentibus modis ex Catechiſmo part. 2. cap. 5. num. 36. ſi diſcutientes noſtram conſcientiam per diligens examen, ubi noverimus nos reos, primò doleamus: ſecundò veniam petamus: tertiò tempus confitendi, & ſatisfaciendi poſcamus: quartò auxilium Dei ad non amplius peccandum imploremus.

16. *Quæ ſigna veræ Contritionis?*

Ex eodem Catechiſmo n. 33. & 34. primò: ſi reſtituamus malè ablata; ſecundò: ſi remittamus in-

ju-

jurias nobis illatas: tertiò: si tollamus consuetudinem, & omne periculum imminens relabendi.

17. *Perquiratur item, quæ confessionis, quæ secunda pars Pœnitentiæ est, natura sit, atque substantia?*

Ex eodem Catechismo n. 39. est accusatio nostrorum peccatorum eò suscepta, ut Clavium virtute veniam impetremus.

18. *An diligenter inquirere sciat, & Peccatoris circumstantias, & peccati item?*

19. *Quæ mutent speciem peccati, & quæ in confessione explicandæ sint.*

Circūstantię peccatorū cōtinentur illo carmine. *Quis, quid ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quādo;* in quarum primà continetur etiam circumstantia peccatoris, seù quis peccet. Porrò circumstantiæ tunc mutant speciem peccati, quando illa circumstantia opponitur alteri virtuti, vel eidem virtuti per excessum, & defectum, vel alteram addit injuriam; Illæ autem circumstantiæ sunt particularitèr explicandæ in confessione, quę mutant speciem, vel quæ notabilitèr variant judicium Confessoris.

20. *Quæ restitutionem expostulent; quæ radices, causęve restitutionis?*

De his, quæ sibi compendiosè debeat memoriæ figere Confessor, & examinandus ad confessiones, posita sunt c. 57. nihil ulterius repetendum.

21. *An dubios suspectosve contractus norint, aut saltem de iis dubitationes, & quęstiones instituere, inireve sciant?*

Prudens Confessor, qui memoriæ habeat compendiosè dicta de Justitiâ c. 8. & de peccatis Justitiæ oppositis in genere c. 58. cum parvâ reflexione, ubi proponantur casus particulares, poterit ita dubitare, quòd à Pœnitente petet tempus, vel studendi dicta c. 21. vel legendi Classicos Authores, qui de talibus contractibus fusiùs in specie sunt locuti, vel saltem consulendi peritiores.

22. *Quibus criminibus annexæ sint censuræ?*

Ut de hoc saltem dubitare sciat Confessor videat p. 1. c. 19. & 20.

23. *An item illarum peritiam, & vim teneant.*

Hanc facillimè quilibet obtinebit ex solâ, sed attentâ lectione prædicti Alphabeti, seù Catalogi.

24. *An casus, in quibus Irregularitatis macula contrahitur?*

Omnes paritèr casus, in quibus irregularitas contrahitur, habes in eodem Alphabeto.

25. *An saltem in iis omnibus, & aliis, quæ ad verum, perfectumve hujus Sacramenti Pœnitentiæ Ministrum pertinent, sciant dubitare, & noverint consulere peritos; quomodo agendum sit id, de quo in dubitationem adducunt.*

De hoc dari nequeunt regulæ generales, quia pertinent ad praxim. Ut juxtà hoc S. Caroli monitũ procedant Examinatores Urbis, in examine proponunt casus particulares, quò cognoscant, an examinandus ad confessiones, ubi casus exegerit, sciat exequi monitũ Sancti Pastoris; & ad hoc in sequentibus, instruemus etiam Sacerdotes in praxi.

26. *Qui*

26. *Qui item Ritus, & Sacræ Cæremoniæ Confessionis?*

Ritus à Pœnitente servandos, ubi ad hoc sacramentum accedit, habes p. 1. c. 11. inter monita S. Caroli, §. 12. & c. 7. ex Rituali n. 14. & 18. Illa sæpius relege.

27. *Quæ conditiones ad confessionem verè pœnitentis necessariæ?*

Quinque conditiones omninò sunt necessariæ ad confessionem verè pœnitentis: primò: diligens examen conscientiæ: secundò: dolor super omnia de peccatis commissis: tertiò: propositum non ampliùs peccandi: quartò: nuda confessio peccatorum: quintò: propositum satisfaciendi pœnitentiæ, quam Confessor, ut Judex, injunget.

28. *Qui ordo confitendi, quando quis statim confiteri debeat, quando item confessionem iterare?*

Quoad ordinem confitendi Rituale satis apertè loquitur; Nihil est ulterius addendum: sed frequenter Confessori legenda, quæ ibi præscribuntur; quoad tempus confitendi, non debemus differre confessionem ultrà annum; quòd si quis ultimo anni die peccet, ex præcepto Ecclesiæ tenebitur eodem die confiteri. Consuetudo autem Ecclesiæ interpretata est, ut currat hoc præceptum à Paschate ad Pascha. Debet itē homo cōfiteri statim ac infirmatur; Ubi verò sit homo constitutus in articulo mortis, tenetur ad statim confitendum ex jure divino. Quòad iterandam confessionem, fieri debet, ubi unum defecerit ex illis quinque positis n. 27.

29. *De Satisfactione, quæ tertia pars Pœnitentiæ est, quæratur?*

30. *Quę Satisfactionis partes?*

Sũt tres, nempè, Jejunium, Eleemosina, & Oratio: nomine Jejunii venit omnis mortificatio carnis voluntariè assumpta, vel etiam à Deo immissa, & patientèr tolerata propter Deum: Sub eleemosinà veniunt quatuordecim opera Misericordiæ: Sub Oratione venit omnis elevatio mẽtis in Deũ.

31. *Quis satisfactionis finis?*

Ex Tridentino sess 14.c.8. finis satisfactionis est remedium novæ vitæ, medicamentum infirmitatis humanę, nec non castigatio prœteritorũ peccatorũ.

32. *Qui fructus, quæve utilitates Satisfactionis?*

Ex eodem, Satisfactionis utilitas est revocare à peccato, pœnitentem efficere cautiorem in futurum, mederi reliquiis peccatorum, tollere vitiosos habitus, & præcipuè Deo satisfacere pro pœnà temporali, quam deberemus luere in Purgatorio.

33. *Quæ in Satisfactione requirantur?*

Ex Catechismo p.2.c.5.n.74. requiruntur duo, ut opus habeat veram vim satisfaciendi: primò: quòd in gratià sit, qui satisfacit: secundò: quòd actio suscepta ad satisfaciendum sit de se aliqualitèr molesta. Porrò ne in his duobus requisitis erret præparans se ad confessiones, circà primum, sciat existentem in peccato mortali, si faciat pœnitentiam à Confessore injunctam, non satisfacere Deo pro pœnâ temporali peccatorum, quæ præcedenter fuerat cõfessus. At satisfacit suę obligationi, quam con-

contraxerat ergà Confeſſorem, qui, ut Judex, impoſuerat talem pœnitentiam: quare non eſt reus omiſſæ pœnitentiæ, nec peccat mortaliter, ſed imò facit opus meritorium de congruo, licet non de condigno, & per conſequens neque ſatisfactorium. Circà ſecundam, ſciat opera ſatisfactoria dici moleſta de ſe corpori, licèt aliàs in eorum exercitio poſſit ſentire maximam delectationem in animà; Et ità Sancti maximè ſatisfaciunt Deo per orationem mentalem, imò & per actus internos amoris heroici, licèt actus iſti poſſint eſſe fructus Spiritus Sancti, hoc eſt, eliciti cum ſuavitate; imò & Beatitudines; nihilominus & fructus, & Beatitudines de ſe ſunt maximè moleſti corpori; & ideò ſatisfit Deo etiam per illos.

34. *Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat?*

Ex Tridentino ſeſs. 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs, cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Ita Tridentinum.

35. *An ſalutares, & convenientes ſatisfactiones, pro gravitate criminum, & pœnitentium facultate ſciant injungere?*

36. *An item ex Innocentii Tertii præſcripto, more periti Medici, ſciant infundere vinum, & oleum vulne-*

ribus sauciati, ac quale debeant præbere remedium, aut consilium?

Super his duobus articulis nihil in generali potest notari pro examinando ad confessiones, quia remedium, consilium, & satisfactio conveniens debent considerari particularitèr.

37. *An præterea à Canones pœnitentiales rectè teneãt?*

Lugendum est, quòd nostris temporibus, Canonum pœnitentialium antiquorum omnis pœnè memoria est obsoleta, non modò apud Confessores ordinarios, verùm & apud primos Casuũ Scriptores. At S. Carolus eorũ in suis Synodis epitomẽ colligit & zelum Sancti Pastoris imitatus Canonicus Nicolaus Antonius Cuggiò, pro Confessoribus Urbis reimprimi curavit in novissimâ editione an. 1702. operis totiès laudati, & inscripti *Avvertimenti di S. Carlo.* Canones Pœnitentiales dati sunt p. 1. c. 15.

38. *Quæ differentia sit satisfactionum, pœnitentiarum &c.?*

Ex Catechismo p. 2. c. 5. n. 63. 64. & 65. nomine satisfactionis venit omne opus, quo satisfacimus Deo, pro pœnâ peccatis nostris debitâ. Nunc verò ex communi, & vulgari sermone, intelligimus nomine Pœnitentiæ satisfactionem illam, quę in actu sacramentalis cõfessionis à Confessore injungitur pro peccatis confessis.

39. *De absolutione indagetur?*

De hàc dictum est sufficientèr n. 6. ubi proposita est forma sacramenti, quæ consistit in absolutione Sacerdotis.

40. *Quæ*

Digitized by Google

40. *Quæ verborum formula requiratur?*

41. *Quæ preces, orationesve præterea adhibeantur?*

42. *Qui ordo servandus in absolvendo tàm à peccatis, quàm ab excommunicatione, suspensioneve?*

Hæc omnia facilè habentur ex solâ Ritualis Romani lectione, cui semper ad unguem se conformabit Sacerdos. Porrò examinandus ad confessiones, curet ante hujus sacrosancti ministerii exercitium, memoriæ habere tùm formam, tùm ordinem absolvendi, tùm preces ab Ecclesiâ laudabilitèr adjunctas, ut promptè respondeat, si quando super illis Examinatores interrogent.

43. *De sigillo item confessionis plura quærantur, ac præsertim, quæ vis, & quanta sigilli?*

Sigillum confessionis tale est, ut ex vi illius, jure naturali, divino, & Ecclesiastico nihil unquam possimus revelare illorum, quæ cadunt sub hoc sigillo, quanquam ageretur de salute totius mundi, quia majus bonum est bonum hujus sacramenti, quàm cætera omnia.

44. *Quæ sub illud cadunt?*

Sit regula generalis, quòd sigillum nos obligat cælare, quidquid auditur in confessione; quòd si sciretur posse revelari, redderet odiosam confessionem: quare sub illud cadunt omnia peccata, & defectus etiam naturales; & vide super hoc sigillo duas propositiones prohibitas à S. Inquisitione.

45. *Ex Sanctionibus Ecclesiasticis, Concilio Tridentino, Synodis tùm Provincialibus, tùm etiam Diœcesanis indagetur, quæ in illis constituta, ad Pœnitentiæ Sa-*

Sacramentum pertinent; quæque de Cleri, & populi disciplinâ, & moribus constituta sunt?

Et verò principaliora, & magis necessaria sanctionum Ecclesiasticarum circà sacramentum Pœnitentiæ collecta sunt in p. 1. hujus operis per diversa capita; quæ firmavit Trid. habentur c.4.& 5. Quæ pro Diœcesibus particularibus decreverunt Synodi Provinciales, & Diœcesanę, hìc non possunt colligi, sed in singulis Diœcesibus curabit Confessor servare præscriptum Ritualis adducti c.7. n.8. In Urbe si quæ prodibunt particulares ordinationes à Romanis Pontificibus, vel eorum Eminentissimis Vicariis, circà rectam sacramẽti hujus administrationem, erunt habendæ semper ante oculos; & quia ad id prodiit liber ille *Avvertimenti di S.Carlo* &c. assiduè illum evolvent Confessores; Ut autem videant, quantum commendetur hujusmodi lectio, notent inter regulas exercitiorum pro Parochis, & Confessoribus esse debere materiam collationis, seù conferentiæ vespertinæ.

46. In eodem articulo commendat S. Carolus, ut examinandorum ad confessiones experimentũ sumatur de constitutis in eisdem sanctionibus circà Cleri, & populi disciplinam. Quæ ad Clerum spectant, tradita sunt sufficientèr in *Instruct. pro ordinandis* hausta ex Trid.; Catechismo, & Pontificali Romanis, nèc non ex ordinationibus nostri Sancti Pastoris. Ad populi disciplinam ex Trid. sess. 11. c. 7. maximè spectat reservatio casuum: Igitur approbandi ad confessiones in Urbe, &

Con-

Confessores ipsi habebunt saltem in confuso, unde sciant casus reservatos Papæ. In Diœcesibus verò etiam, quos Episcopi sibi reservant in Synodis, notantes, quòd Bullam Cœnæ quilibet Confessor debet habere *penes se, easque diligentèr legere, & percipere*. Ad eandem populi disciplinam respiciunt propositiones prohibitæ, edicta, quibus Christiani præcipiuntur Sanctę Inquisitioni revelare quędam atrociora crimina. In Urbe etiam Bulla, quæ dicitur de *Datis, & acceptis* &c. sed maximè conferet nova declaratio Sanctissimi D. N. Clem. XI. circà jejunium: quòd enim huc usque scripserint ferè omnes Casuistæ deobligatos in quadragesimà ab abstinentià carnium, posse indifferentèr comedere quamcumque carnem, Sua Sanctitas declaravit hujusmodi licentiam suffragari solùm pro carnibus salubribus: quare nisi hanc declarationem præ oculis habeat Confessor, facili negotio errabit. Porrò illa extat c. 47. à n. 16.

47. Maximè super prædictis articulis, ex præscripto S. Caroli, debet indifferentèr versari examen approbandorum ad confessiones; & propterea quilibet examinandus curabit se instruere specialitèr super prædictis, quæ competunt cuilibet etiam ordinario Confessori.

C A.

CAPUT LXV.

Eadem, quæ præcedenti capite, proponuntur magis in particulari.

1. ARticuli à S. Carolo propositi circà examen approbandorum ad confessiones, ut quilibet notare poterit, sunt satis generales; & Sancti Pastoris mens certè fuit, ut super illorum singulis Examinatores interrogarent approbandos, si quid magis in particulari necessarium esset pro directione conscientiarum, maximè, quia plurium est habere principia generaliora, sed non omnes æquè sciunt contenta sub regulis generalibus enodare particularitèr; Et in hoc requiritur prudentia Examinatoris, sed, & Sacerdotis ipsius, qui vult audire confessiones: etenim Examinator non potest interrogare de omnibus, quæ sunt magis necessaria, sed modò tangit unam, modò aliam materiam, arguens examinandi sufficientiam ad omnia ex paucis. At verò Sacerdos ipse, nisi cognoscat se sufficientem ad omnia, quæ ordinariè possunt contingere in actuali exercitio, cum maximo suæ conscientiæ detrimẽto se exponit audiendis confessionibus, peccans contrà illud Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris*. Igitur estò in examine super paucis interrogetur, scire tamen debet articulos à S. Carolo propositos, non solùm generalitèr, sed etiam quòad casus particulares

lares in iis contentos, & magis necessarios. Porrò ut eos facilè redigat memoriæ, de sacramento Pœnitentiæ recapitulo sequentia.

2. Ut vidisti, totum S. Caroli examen restringitur ad sacramentum Pœnitentię, primò in seipso, & secundò in suis partibus. Non habeo, quid addam circà Sacramentum Pœnitentiæ in se ipso, sed solùm circà partes, Ministrum, & effectus.

3. D. N. 7. petenti S. Carolo dedisti effectum hujus sacramenti, quæro, an consequatur hujusmodi effectus, qui bonà fide putans se habere dolorem, sed re verà non habens, accederet ad hoc sacramentum?

M. Iste non peccaret, utpotè qui accedit bonà fide, sed tamen neque reciperet effectum. Ratio est, quia effectus consequitur ad ipsum sacramentum, quod nunquam fit, nisi adsint partes institutæ à Christo Domino. Nec bona fides facit, ut sit institutum à Christo, quod re verà non est institutum. Hìc Scholastici quærunt, an dari possit sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, sed hęc quæstio nihil prodest Confessori ordinario.

4. D. N. 8. dixisti de Ministro; & pro praxi quæro, an Confessor excõmunicatus validè absolvat?

M. Distingue: si est excommunicatus denuntiatus, aut publicus Clerici percussor, qui soli sunt vitandi, invalidè absolvit, estò ignorem invincibilitèr censuram, quæ tollit jurisdictionem, quam mea ignorantia non confert, sed superioris authoritas. Si non sit vitandus, subdistingue; si cum necessitate,

te, vel ex officio, tenetur mihi subministrare sacramentum, in hoc casu validè absolvit in necessitate: si absque ullà necessitate, tùnc invalidè absolvit, non quidem ex defectu jurisdictionis, quam habet, quòusque non sit vitandus, sed ex defectu dispositionis in pœnitente, qui peccat, ut cooperans peccato, quod committit Confessor absolvens in peccato mortali, & sub gravi ab Ecclesiâ prohibitus administrare sacramenta.

5. D.N.13. dixisti de contritione, quæro an debeat esse dolor super omnia?

M. Debet esse dolor super omnia appretiativè, non intensivè. Fœmina plorans, & ejulans de morte viri, non ejulans, neque plorans de peccato mortali à se commisso, ostendit majorem dolorem de amissione viri, quàm de offensà Dei, sed est dolor major intensivè; nam appretiativè magis appretiat, & æstimat Deum, quàm virum; quia Deum respicit, ut finem ultimum; At virum ad summum respicit ut finem proximum; propterà respicit subordinatè ad Deum; ideòque si constitueretur ita, quòd vel Deum deberet offendere, vel perdere virum, eligeret potius perdere quinquagintà viros, quàm peccare mortalitèr.

6. D. Quotuplex est dolor sufficiens ad confessionem?

M. Dolor peccatorum, qui debet præcedere confessionem, ut est secunda pars materialis sacramenti Pœnitentiæ, est duplex, scilicèt, Contritio, & Attritio: Contritio est dolor de offensà Dei, ut est

sum-

summum bonum: Attritio autem est dolor de offensâ Dei, ortus ex timore pœnarum gehennæ, vel omissionis gloriæ, vel turpitudinis peccati. Porrò nostris temporibus accerrimè disputatur, an hæc Attritio præcedens confessionem, debeat esse conjuncta cum initiali amore Dei, propter se dilecti, & ex benevolentiâ. Hìc ego nolim decidere quæstionem, quam neque decidunt Examinatores Urbis, obedientes decreto super hoc emanato ab Alex. VII. Tamen exigunt, quòd Attritio habeat respectum ad Deum; & omninò reiiceretur, qui responderet sufficere Attritionem absque isto respectu. An hic respectus importet amorem benevolentię, viderint alii. Juxtà intelligentiam hanc Examinatorum respondeant examinandi. Quid ego sentiam erui potest tùm ex hoc, tùm ex aliis meis operibus. In *Instruct. pro ordinandis* c. 8. n. 19. habes utrumque actum, & curabis habere memoritèr, quia sæpius illum exigunt Examinatores Urbis, etiam ab approbandis pro confessione. In eo loco nominavi Attritionem, uti dolorem imperfectum cõsueverunt appellare Scholastici antiquiores; nèc proposui, nèc verò debui proponere initiandis primà Tonsurà, utrum includeret amorem benevolentiæ, sicuti nèc expresserunt apertè Scholastici.

7. D. Si Pœnitens diceret: *Doleo, quia promerui infernum, sed si non esset infernus, utique peccarem*, iste dolor præpararetnè ad sacramentum Pœnitentiæ.

M. Non præpararet, quia ex Trid. sess. 14. c. 4. timor præparans ad impetrandum in sacramento

Pœ-

Pœnitentiæ gratiam, cum spe veniæ debet excludere voluntatem peccandi; Talis verò Pœnitens cum tali dolore conjungit propositum peccandi.

8. D. Dolor uterque, ut necessarius ad confessionem debetnè esse supernaturalis?

M. Tàm Attritio, quàm Contritio ad sacramentum debent esse supernaturales. Contrarium damnavit Innocentius XI. prop. 57.

9. D. Quomodò cognoscere poterit Confessor, an dolor in pœnitente sit supernaturalis?

M. Cognoscere poterit id, quia ut sit supernaturalis, debet esse regulatus lumine fidei: nàm hoc lumen est principium supernaturalitatis.

10. D. Sufficitnè; si doleam me offendisse Deum, quia timeo puniri ab ipso malis temporalibus?

M. Non sufficit, quia iste dolor non est regulatus lumine fidei: nèc enim fides docet peccanti imminere mala temporalia, sed æterna.

11. D. Optimè dixisti n. 6 ex Trid. Attritionem posse oriri ex turpitudine peccati; At hanc naturalitèr cognoscimus?

M. Id utique dixi, sed tùnc debet oriri ex consideratione turpitudinis peccati revelatæ à Deo.

12. D. A n. 17. S. Carolus vult interrogari approbandum, circà confessionem, quæ est secunda pars materialis Pœnitentiæ sacramenti, præexigens examen conscientiæ; super hoc peto, ad quid requiratur examen?

M. Requiritur ad hoc, nè quis exponat se periculo tacendi aliquod peccatum in confessione.

13. D.

13. D. Qui paulò antè confessus, esset certus moralitèr, se non habere, nisi unum peccatum, teneretur nè ad examen?

M. Non teneretur, quia non se exponit periculo alia omittendi: cæterum nemo est, qui ante confessionem, omittat considerare suã conscientiam.

14. D. Qui omissâ per annum confessione, postea sine ullo examine, diceret omnia peccata, eò quia casu omnia memoriæ obvenerunt, confiteturnè valide?

M. Invalidè confitetur, imò sacrilegium committit: verè enim se periculo exponit: de rebus enim judicamus, non ut casu contingunt; sed ut per se sequuntur.

15. D. Quantum temporis homo debet insumere in examinandâ conscientiâ?

M. Quantum temporis insumunt prudentes in considerando gravi aliquo negotio; quale est salus animæ. Porrò alii plus, alii minus temporis insumunt, juxtà cujusque capacitatem.

16. D Confessio debetnè esse integra?

M. Utique debet esse integra; & quidem homo debet curare, quantùm potest, ut sit integra materialitèr; sed si ex aliis causis sufficientibus non possit id contingere, debebit esse integra saltem formalitèr.

17. D. In quo consistit confessionis integritas materialis, & formalis?

M. Confessio dicitur integra materialitèr, quando pœnitens confitetur omnia peccata; quæ verè

commisit, explicans speciem, numerum, & circumstantias necessarias: Dicitur verò integrà formaliter confessio, quando dicit omnia peccata, quę potest physicè, aut saltem moraliter, cum animo dicendi cætera suo tempore, & cum dolore universali: Utramque integritatem debet habere confessio, sed si prima nõ potest esse, saltem sit secũda.

18. D. Potestnè invalida esse confessio materialiter integra?

M. Utique potest esse invalida, si deficiat aliquod ex requisitis essentialibus ad validam confessionem, v.g. dolor &c.

19. D. Estnè invalida omnis confessio deficiens in examine debito?

M. Si debeat fieri, & possit fieri, certè invalida est confessio; sed si non possit fieri, ut accidit oppresso subitâ apoplexiâ, tùnc, si faciat, quantum potest, erit valida. Ratio est, quia ut peccemus in omittendo nostrum debitum, requiritur, quòd non solùm debeamus, sed etiam possimus solvere.

20. D. Estnè integra confessio, in quâ feci examen conscientiæ, sed non quantũ debui, & potui?

M. Non est integra, quia pecco, si omitto, quod debeo, & possum facere?

21. D. Potestnè invalida esse confessio formaliter integra?

M. Non potest esse invalida, quia recipio sacramentum, ubi dico peccata, quæ possum, habeo animum dicendi cætera suo tempore, & dolorem universalem omnium sufficientem, quæ constituunt

tuunt confessionem formaliter integram.

22. D. Quid excusat nos à faciendâ confessione materialiter integrà?

M. Impedimentum aliquod, vel physicum, vel morale: physicum est in eo, qui, facto examine debito, invincibiliter obliviscitur, vel qui non potest loqui &c. Morale in eo, qui recordans peccati teneretur revelare complicem, v.g., si cognatus Parochi abusus fuisset suâ uxore, Parochus autem audiens hoc veniret in cognitionem, quòd sua soror peccasset hoc grande peccatũ: In hoc casu Cognatus tenetur adire aliũ Confessorem; sed si non cõmodè potest, dicitur habere impedimentum morale ad faciendam confessionem materialitèr integrã. Casus alios similes facilè tibi potes efformare.

23. D. Potestnè dimidiare confessionem, qui timet, ne Parochus perdat existimationem, quam priùs habebat de se ipso?

M. Hoc non est sufficiens motivum, quia Christus imò instituit hoc sacramentum, ut nos detegeremur peccatores coram Confessore, qui tenet locum Dei.

24. Estnè sufficiens motivum, si timerem, quòd Confessor aliis revelaret mea peccata; unde apud alios perderem existimationem?

M. Hoc est sufficiens motivum: quia Christus Dominus præcipiendo confessionem, voluit solùm nos cedere juri famæ in ordine ad ipsum Confessorem; at in reliquis voluit servari jus naturale ad propriam famam.

25. D. Quia dixisti n. 17. ad integritatem formalem confessionis requiri dolorem universalem, propono sequentem casum: *Petrus, facto examine debito conscientiæ, ex duodecim peccatis invincibilitèr obliviscitur duo, & de illis decem habet dolorem particularem*: peto, à quibus absolvatur?

M. A nullis absolvitur, non à duobus invincibilitèr oblitis, quia de illis nullum habet dolorem, nec potest absolvi à peccatis, quæ non retractat: sed nec à decem confessis, quia nemo sperare potest à Deo dimidiatam veniam; sed mortalia, vel omnia remittuntur, vel nulla.

26. D. Cur non potest dici, quòd decem remittantur directè, & indirectè illa duo?

M. Quia, ut peccata remittantur indirectè, debemus de illis dolere saltem in universali.

27. D. Igitur invalida esset confessio, si Petrus illa decem confitens diceret: *Doleo de his decem, quia per hæc decem offendi Deum summè bonum, vel quia per illa decem promerui gehennam?*

M. In hoc casu validè confiteretur, quia dolor est universalis: etenim estò designet materialitèr illa decem in particulari, tamen formalitèr dolor est universalis, quia ratio formalis, sub quâ doleo, se extendit ad omnia peccata mortalia.

28. D. Quid si illa decem, quæ Petrus confitetur, essent contrà justitiam, & duo, quæ invincibilitèr obliviscitur, essent contrà Castitatem; diceretque. *Doleo de peccatis confessis, quia sunt contrà pulchritudinem justitiæ revelatam à Deo?*

M. In

M. In hoc casu invalidè confitetur, quia dolor etiam in suo motivo est particularis, nõ destruens omnia mortalia, sed tantum mortalia, quæ sunt contrà justitiam. Porrò ut hæc omnia evitentur. Confessor curabit semper inducere pœnitentem, ut doleat de omnibus peccatis vitę suæ, specificando, quòd etiam dolet de oblitis, & curabit, quòd doleat ex motivo universali sufficiente ex se destruere omne peccatum, ut quòd offendit Deum quia summè bonum &c.

29. Mendacium in confessione redditnè illam invalidam, & sacrilegam?

M. Si in ordine ad confessionem, grave sit mendacium, erit utique sacrilega, & invalida: si sit leve, in se, sed materia totalis, erit etiam sacrilega, & invalida, eò quia est grave peccatum apponere pro materià remotà confessionis, quod non potest esse: At si non sit materia totalis, non erit sacrilega, neque invalida.

30. D. S. Carolus præcipit n. 29. approbandos ad confessiones interrogari super tertià materiali parte hujus sacramenti; quare peto an sub mortali Pœnitens teneatur adimplere pœnitentiam sibi à Confessore injunctam?

M. Sub mortali tenebitur, si pœnitentia sit gravis; At sub veniali tantùm, si pœnitentia sit levis.

31. D. Quanto tempore potest sine mortali peccato differri adimplementum Pœnitentiæ?

M. Non est determinatum tempus, in quo sub mortali teneamur adimplere pœnitentiam; cer-

tum est quòd tenetur adimplere opportuno tempore, ubi commodè fieri potest. Ex Rituali adducto p.1.c.7. n.15. Confessor ante omnia debet interrogare pœnitētē, *an impositam pœnitentiam adimpleverit*, & ubi videt elapsum fuisse congruum tempus, in quo commodè poterat adimplere, nisi aliud suadeat urgens uecessitas, non audiat, nisi priùs adimpleat: Adimpletà autem, inducat, quòd se accuset illam distulisse per tantum tempus; nam ita se accusans, confitebitur, si peccavit mortalitèr in omittendo.

32. D. Confessor imposuit mihi jejunium in vigiliâ S. Antonii, non jejunavi, teneornè jejunare aliâ die?

M. Teneris, quia principalitèr imposuit tibi jejunium ad satisfaciendum pro peccatis, & huic satisfactioni (sed minùs principaliter) voluit adjungi actum Religionis, referendo in honorem Sancti: quare peccasti mortalitèr non ponendo hunc actum Religionis, & quia remoto minus principali, adhùc remanet magis principale, teneris substituere aliam diem.

33. D. Teneturnè Pœnitens acceptare pœnitentiam à Confessore injunctam; an potest recusare, dicendo, quòd vult agere pœnitentiam in Purgatorio?

M. Ita docuerunt aliqui, sed tu cave ab istâ doctrinâ, ob motiva, quæ hìc non convenit proponere. Tridentinum sess.14. c.8. ait, quòd Sacerdotes *debent injungere satisfactiones*, & quòd claves cõcessæ

cessæ sunt *ad ligandum etiam* per impositionem pœnitentiæ: Confessor est Judex, & nemo potest recusare pœnam sibi à Judice inflictam.

34. D. N. 3. præcipit S. Carolus approbandum examinari super sigillo confessionis; quare peto, an violetur, si Petro interroganti me, quid confessus fuerit Paulus, respondeam, *Paulus confessus fuit sua peccata?*

M. Si Petrus vidit Paulum confitentem, & quærat, quid confessus fuerit, non violas sigillum dicendo, *Confessus est peccata*: etenim omnes sciunt, quòd materia confessionis sunt peccata, quare nihil revelas, eo ipso, quòd non dicis peccatum particulare: Si verò Petrus nesciat Paulum fuisse confessum, requiritur tunc magna prudentia: etenim aliquando ex causis justissimis homo vult nesciri, quòd confessus fuerit, & tunc malè agis dicendo, *Talis vir accessit, ut illum audirem in confessione.* Aliquando non solùm est necessarium dicere, sed etiã in scriptis testari, ut in Urbe contingit respectu infirmorum ex p. 1. c. 10. n. 8. & plures viri nobiles, volunt quolibet mense fidem in scriptis, quòd familia accesserit ad hoc sacramentum: Confessor videat circumstantias, & curet prudenter operari.

35. D. Quomodò dignoscam, quòd Pœnitens nolit detegi se fuisse confessum?

M. De hoc non possunt produci regulæ generales, quia pendet ex mille circumstantiis; attamen si videas pœnitentem venire ad te in occulto, de nocte, habitu ementito &c. tunc certò judica-

bis, quòd non vult detegi.

36. D. Violonè ſigillum, ſi dico: *Petrus eſt adeò purus, ut in confeſſione cõfeſſus fuerit tale verbũ otioſũ.*

M. Nunc certè violas: quod alii ex naturâ ſacramenti ſcire nequeunt, tu jam in particulari publicas, ſolũ habens ex confeſſione ſacramentali.

37. D. Quid facere debeo, cum à me fidem confeſſionis petit, qui non fuit abſolutus ob ſuam indiſpoſitionem?

M. Non potes dicere, quòd abſolviſti, quia mentireris: ergo teſtaberis, quòd ille apud te fuit confeſſus, quia hoc eſt verum.

38. D. Sed jam ſuſpicabitur me non abſolviſſe, qui comparabit meam hanc fidem cum aliis pluribus, in quibus teſtatus ſui me cæteros abſolviſſe?

M. Hoc eſt veriſſimum: quare nunquam facies fidem, quòd abſolveris, ſed ſemper ſcribes, quòd audieris confeſſionem talis, vel talis &c.

39. D. Parochus in confeſſione ſcit impedimentum dirimens, cum quo tamen, finitâ confeſſione, volunt contrahere, poteſtnè aſſiſtere matrimonio?

M. Non ſolùm poteſt, ſed tenetur aſſiſtere: nam extrà confeſſionem debet ita ſe gerere, ac ſi nunquam ſciviſſet: neque enim ſcivit, ut homo, ſed ut Deus.

40. D. Ex confeſſione ſcio Petrum eſſe indiſpoſitum ad ſacramentum Euchariſtiæ, quòd tamen poſteà petit inter me, & ipſum ſolum, teneornè adminiſtrare?

M. Te-

M. Teneris, quia non potes uti scientiâ ex confessione acquisitâ, etiam cum ipso pœnitente extrà confessionem; imò neque in sequenti confessione potes loqui de præcedenti, nisi pœnitens ipse concedat formaliter, vel virtualiter, ut in casu, quòd ipse memoraret aliquid, ut dictum in præcedenti.

41. D. Sed quid si non obligavi Petrum ad restituendum, & finitâ confessione, recordor obligationis?

M. In hoc casu debes petere priùs licentiam à Pœnitente, quem admonebis, ubi concedat; si verò neget, satisfeciſti tu sufficienter muneri tuo.

42. D. Quid faciam, ubi ad me accedit Hebræus, qui simulat se Christianum, & in confessione fatetur se Hæbræum, & etiam aliqua furta: deprecatur autem, ut saltem illum benedicam, quò possit accedere ad Eucharistiam in Paschate, ne detegatur Hæbræus, & cum totâ familiâ comburatur?

M. Hæbræus duo in hoc casu exponit: primò furtum, quod est contrà bonum privatum: secundò simulationem Religionis Christianæ: quod est contrà bonum publicum: primum teneris cælare ex sigillo naturali: neutrum teneris cælare ex confessione: quia sigillum ejus obligat, quando est animus confitendi, licèt aliàs sacrilega sit confessio: At si non adsit confessio, sed sola simulatio confessionis, tunc non teneris ex sigillo; sed imò statim denunciare teneris Sanctæ Inquisitioni, & generaliter, ubi accedit infidelis absque Baptismo

non

non est confessio, quia baptismus est janua sacramentorum?

43. D. Dicendumnè est idem, si confessionem simulans accedat ad me, ut hàc viâ me inducat ad rebellionem contrà Principem.

M. In hoc casu non valet secunda ratio, quia est Christianus; sed valet prima: nàm sigillũ obligat, quãdo est confessio, nõ simulatio confessionis.

44. D. In capitulo sumus octo, & divisi; nàm quatuor inclinant in Paulum, & ego cum aliis tribus inclinamus in Petrum, quem ex confessione agnosco esse Hæreticum, & ambire Episcopatum, ut inficiat totam Diœcesim, possumnè ex auditis in confessione, Petro denegare meum suffragium, præsertim quòd hęc suffragia, & vota dantur secreta, ita quòd nunquam scietur me denegasse?

M. Non potest hoc fieri, & id prohibuit Sancta Inquisitio. Vide p. 1. c. 13. n. 5. ratio est, quia de auditis in confessione debeo ita me gerere, ac si nullatenùs unquam scivissem.

45. D. Hæc circà articulos, super quibus S. Carolus vult interrogari, approbandus ad confessiones, habebit in promptu, & ut dici solet ad manus, strictè, & ad propositum, respondens interrogationi factæ: in quo plurimum erratur: nàm alii divertunt ad casum nullatenùs petitum juxtà illid: *Quo vadis*; *Servio Fratribus*; nèc enim peto, cui inservias, sed quò vadas; Alii respondere semper volunt conditionatè. Alii proponunt adesse Authores, qui casum talitèr, aut talitèr decidant; Examinandi

no-

notent hæc omnia, sciantque prudentem virum se accomodare consuetudini regionis, in quà vivit, præsertim si consuetudo sit rationabilis.

45. Vidisti S. Carolum nihil insinuasse quærendum circà Indulgentias, per quas Deo curamus satisfacere pro pœnis; quæ nobis solvendæ supersunt in Purgatorio. Earum sanè intelligentia non est omnimodè necessaria Confessori ordinario, nihilominùs Examinatores Urbis, præsertim in solemnioribus Indulgentiis, consueverunt interrogare approbandum ad confessiones super generali notitia Indulgentiarum; propterea tacta sunt p. 1 c. 23. quædam universaliora circà illas; nèc erit ingratum Lectori, si nostram methodum sequentes, aliquid compendio repetamus. Igitur.

46. D. Quid est Indulgentia?

M. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccatis, quorum reatum diluimus jàm, saltem per sufficientem dolorem, facta vi clavium, juxtà conditiones impositas ab habente potestatem concedendi Indulgentias.

47. D. Quid applicatur nobis per Indulgentias?

M. Nobis applicantur satisfactiones Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum. Quia opus omne meritorium, est etiam satisfactorium, nèc Christus, & B. Virgo habuerunt satisfacere pro peccatis propriis, & Sancti complures, magis passi sunt, quàm mererentur eorum peccata, horum omnium satisfactiones repositæ sunt in thesauro Ecclesiæ indeficienti; & sicuti reliqui Reipublicæ

thesauri distribuuntur civibus ab habente potestatem, ita hic satisfactionum thesaurus.

48. D. Quæ differentia est inter Indulgentiam plenariam, & Jubilæum?

M. Utrumque remittit omnem pœnam; sed in Jubilæo conceditur amplior facultas absolvendi?

49. D. Quæ facultas absolvendi conceditur in Jubilæis?

M. Non potest hic particularitèr assignari, quia hoc dependet à voluntate Papæ: in facti contingentia prudens Confessor prius legat formam Jubilei, & ad illius amussim curabit, ut pœnitētes exequantur opera injuncta, quò securiùs lucrari possint Jubilæum.

50. D. Poteritnè Confessor absolvere ab hæresi, quando forma Jubilæi dicit posse Confessorem absolvere ab omnibus casibus, etiam contentis in Bullà Cœnæ?

M. Nisi specialitèr concedatur facultas absolvendi ab hæresi, non intelligitur concessa in illà formulà, quamvis amplissimâ; nàm ita declaravit Alexander VII.

51. D. Tenemurnè confiteri peccata, de quibus lucrari volumus Indulgentiam?

M. Hoc totum dependet à voluntate Pontificis expressâ in formulâ Indulgentiæ: propterea ubi exigitur confessio, illorum peccatorum pœnæ tantùm remittentur, quæ confessi fuimus.

52. D. Requiriturnè dolor de peccatis?

M. Semper dolor iste requiritur; quia non po-

test

test remitti reatus pœnæ, nisi primùm sit remissus culpæ reatus.

53. D. Hinc sequitur, quòd pauciſſimi lucrentur Indulgentiam plenariam de peccatis venialibus, quia pauciſſimi habent dolorem ita perfectum, qui delere valeat reatũ omnis culpę venialis?

M. Hoc est veriſſimum; sed tantùm lucramur Indulgentiam de illis peccatis, de quibus dolemus; & de his sanè plenariã, ita ut si primùm deleamus reatum culpæ, nobis remittatur omnis pœna, quã deberemus luere in Purgatorio pro illis peccatis.

54. D. Lucraturnè Indulgentiam, qui quidem visitat Eccleſiam, sed sine intentione lucrandi?

M. Hic non lucratur; nàm visitatio est indeterminata ad talem effectum; & solum determinatur ex intentione visitantis. Vide rationem hanc universalem ex S. Th. p. 1. c. 12. n. 7.

CAPUT LXVI.

Recapitulantur dicta de Excommunicatione, & inseruntur quædam magis generalia de Suspensione, Interdicto, & Irregularitate.

1. SAnctus Carolus ex c. 62. n. 22. & 23. vult ab examinando ad confessiones experimentum sumi, an sciat, *quibus criminibus annexæ sint censuræ: An item illarum peritiam, & vim te-*

teneant: *An casus, in quibus irregularitatis macula contrahitur*: & quidem casus, in quibus, & Irregularitas, & Censuræ contrahuntur, habes in Alphabeto p. 1. c. 20. Solum igitur earum vis est hìc recapitulanda, in confuso tamen, & in generali, quantùm sufficit Confessori ordinario.

2. D. Quot sunt genera pœnarũ Canonicarũ?

M. Sunt plura: nàm Ecclesia privat suos fructibus beneficiorum, inhabilitat ad beneficia, privat voce activà, passivà &c. sed tamen principaliores pœnæ Canonicæ sunt tres, illæ, scilicèt, quas forma absolutionis ex Rituali exprimit, *Suspensio*, *Interdictum*, & *Excommunicatio*. De his notitiam specialitèr exigit S. Carolus in approbando ad confessiones.

3. D. Quid est Suspensio?

M. Est censura Ecclesiastica, privans usu Ecclesiastici officii, vel Beneficii, vel ordinis, in totum, vel in partem.

4. D. Quomodò sciri poterit, si privet in totum, vel in partem?

M. Legendo decretum Superioris, in quo talis censura imponitur; & si nihil exprimatur, id explicabit Judex.

5. D. Peccatnè mortalitèr exercens id, à quo est suspensus?

M. Utique peccat mortalitèr, & si suspensus ab executione Ordinum, illos exerceat, fit irregularis.

6. D. Ut quis incurrat pœnam suspensionis, requiriturnè peccatum mortale?

M. Non

M. Non semper requiritur, sed incurri potest etiam propter peccatum veniale.

7. D. Incurritnè illam homo, quoties facit opus, cui est annexa suspensio?

M. Ut quis incurrat suspensionem operi annexam, debet scire hanc suspensionem, & ignorantia, etiam probabilis, dummodò non sit supina, & crassa, excusat ab incursu. Ita ex c. *Ut animarum* de const. in 6. Confessor tamen ex se ipso non judicet, an hìc, & nùnc ignorantia talis fuerit, sed relinquat Superiori judicium, præsertim in istis materiis, quę, ut plurimum, sunt fori exterioris. Cæterùm hæc de suspensione sufficiunt Confessori ordinario, qui ab illâ non potest absolvere, sed debet remittere pœnitentem ad suum legitimum Superiorem.

8. D. In Jubilæo poteritnè ab illâ simplex Confessor absolvere?

M. Consule semper Jubilæi formam prius; & juxtà illam age. Idem dic de Regularibus, qui debent consulere sua privilegia; & quando ad hoc extendantur, debebunt se gerere, sicut se gerunt circà excommunicationem ex Bullâ Clem. X. adductâ p. 1. c. 9. n. 5.

9. D. Quid est Interdictum?

M. Est censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenùs talis est.

10. D. Quotuplex est Interdictum?

M. Cum plures assignentur divisiones, videbit eas

eas Confessor ordinarius apud Authores. Illi sufficiat principalem divisionem in Interdictum locale, & personale: primum est, quando interdicitur locus, nè in eo celebrentur divina: secundum, quando interdicitur personæ assistere divinis.

11. D. Potestnè homo tempore interdicti assistere divinis?

M. Distingue: si personale sit interdictum, non poterit, quòusque durat interdictum: si autem sit locale, homo, qui non fuit causa interdicti, accedens ad locum non interdictum, poterit assistere.

12. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut homo incurrat interdictum?

M. Generale interdictum nullis divinis assistendi, vel sit locale, vel personale, semper est gravissima pœna; quare non incurritur, nisi ob peccatum mortale conjunctum contumaciæ, quando tamen est locale, non debet esse peccatum illorum omnium, quibus divina interdicuntur, sed sufficit, quòd peccaverit caput, seù Princeps, estò subditus sit innocentissimus.

13. D. Tempore Interdicti possuntnè conferri aliqua sacramenta, vel celebrari aliqua divina?

M. Circà hoc multa videbis apud Authores: multa etiam indulgent Sacri Canones, quæ tamen non est necesse hic colligere pro Confessoribus ordinariis: primò quia nostris temporibus rara sunt admodum interdicta, præsertim in nostris partibus, quarum Confessariis hæc scribuntur; & debent

scire

ſcire tantùm ordinariè contingentia: ſecundò: quia Confeſſor ordinarius, ſi caſus contingat, debet recurrere ad Epiſcopum, ut ex illo diſcat, quàm latum ſit interdictum, & quomodò debeat ſe gerere circà quælibet ſacramenta, nèc non adminiſtrationem ſingulorum divinorum.

14. D. Quid eſt Excommunicatio?

M. Eſt cenſura Eccleſiaſtica privans hominem Chriſtianum aliquibus bonis Eccleſiæ.

15. D. Quotuplex eſt Excommunicatio?

M. Eſt duplex: Alia minor, alia major. Excommunicatio minor privat ſuſceptione paſſivà ſacramentorum. Major privat uſu activo, & paſſivo ſacramentorum, ita ut neque poſſit recipere, neque conferre ſacramenta. Quòd ſi excommunicatus ſit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percuſſor, tùnc etiam privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, juriſdictione Eccleſiaſticâ, & communicatione civili cum cæteris fidelibus.

16. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut incurratur excommunicatio minor?

M. Non requiritur, ſed ſufficit veniale; nàm ſalutando excommunicatum denuntiatum, vel publicum Clerici percuſſorem, incido in excommunicationem minorem, & tamen talis ſalutatio, ex communi Doctorum, non eſt mortale peccatum.

17. D. Peccatnè mortaliter, qui excommunicatus minori excõmunicatione ſuſcipit ſacramenta?

M. Suſcipiens peccat mortaliter, ſed non adminiſtrans, quia prohibitus eſt ſuſcipere, non cõferre.

18. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut incurratur excommunicatio major?

M. Requiritur peccatum mortale, quia est pœna gravissima, & quà majorem nõ habet Ecclesia.

19. D. Excommunicatio major invenitur annexa quibusdam actionibus, quæ non videntur esse posse peccata mortalia, ut est sumere Tabacum in Ecclesiâ S. Petri?

M. Hujusmodi actiones de se quidem sunt indifferentes; At sit regula generalis: Hoc ipso, quòd Ecclesia prohibet aliquid sub excommunicatione majori, intelligitur illud prohibere sub mortali.

20. D. Ignorantia excusatnè ab incursu excommunicationis majoris?

M. Ex c. *Ut animarum* de const. in 6. excusat ignorantia, quæ non sit supina, & crassa. Vide tamen dicta n. 7. nàm quia excommunicatio ex n. 18. est gravissima pœna, requiritur contumacia.

21. D. Cujus est absolvere ab excõmunicatione?

M. Si excommunicatio est lata ab homine, debet absolvere, qui excommunicavit, vel ejus Superior; Si lata à jure, quando non exprimitur eam reservari, quilibet Confessor poterit absolvere.

22. D. Quotiès imponitur pœna excommunicationis, incurriturnè statim post patratũ delictũ?

M. Si prohibeatur aliquid *sub pœnâ excommunicationis*, & addatur *ipso facto incurrendà*, vel verbũ æquipollens, immediatè post petratum delictum est excommunicatus, licèt non sit vitandus, nisi denuncietur &c. Sed si non addatur illa particula,

ut

ut sit excommunicatus, requiritur sententia Judicis: quare ubi agitur de excommunicationibus, Confessor cautè procedat, & primùm videat, nùm talis particula sit inserta, ob plura peccata, & pœnas, quæ consequuntur inde: nàm si prohibeatur aliquid Sacerdoti, sub pœnà excommunicationis ipso facto incurrendà, & posteà celebravit, totiès mortalitèr peccat, quotiès celebrat, & ulteriùs fit irregularis: quòd non contingit, si talis particula desit. Quare in his casibus, Confessor accipiat semper tempus, ut consulat decretum excommunicationis, alioſque doctiores.

23. D. Aliquando non potest petere tempus à Pœnitente, v. g. si accedat ultimo die Paschatis?

M. Etiam in ultimo die Paschatis potest accipere tempus; nàm in c. *Omnis utriusque* relinquitur prudenti judicio Confessoris differre communionem pœnitenti.

24. D. Sed quid, si talis excommunicatus esset in articulo mortis, in quo nequit differri communio?

M. In hoc casu juxtà doctrinam S. Th. traditam c. 18. nu. 8. ad dandum efficacius remedium, curabis, ut ille pœnitens se accuset, quasi facto ipso incurrerit excommunicationem, & quasi semper peccaverit mortalitèr in celebrando &c. sic tamen ut addat peccata certa reliquæ suæ vitæ.

25. D. Quid est Irregularitas?

M. Est impedimentũ canonicũ, quo quis prohibetur suscipere Ordines, vel exercere susceptos.

26. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut

contrahatur Irregularitas?

M. Non requiritur, sed imò sæpè contrahitur ex actione etiam virtuosà: nàm Judex (qui tenetur damnare morti reum, meretur per tale judicium, imò peccaret, si non addiceret morti) fit Irregularis, dum ex suà sententià sequitur mors.

27. D. Scio adesse irregularitatem ex defectu, & ex delicto, sed existimo non contrahi hanc secundam; ubi homo ignorat hanc irregularitatem; & ita qui procurat abortum animatum, nescius homicidio annecti irregularitatem, poterit promoveri, quia talis irregularitas est pœna, & pœnam ignorantes non incurrunt?

M. Irregularitas est introducta principalitèr ob reverentiam sacramenti, & ob hoc motivum non est pœna, quidquid sit, an minus principalitèr, ut est ex delicto, debeat respici ut pœna; & propterea etiam ignorans incurrit hanc irregularitatem.

28. Quis fortè mirabitur S. Carolum nihil exegisse ab examinandis circà Consuetudinarios. Idem dic de constitutis in periculo proximo, de Recidivis &c. de quibus dictum est p. 1. c. 22. sed jàm circà primos, ejusdem S. Pastoris adsunt copiosa monita p. 1. c. 11. à n. 18. quæ priusquam se præsentet examini approbandus, releget pluriès; illaque proponens erit gratus Examinatoribus; At gratior Deo illa reducens ad praxim, ubi confessiones audiet. Porrò constitutus in periculo proximo est æquè tractandus, ac constitutus in occasione proximà, ut nihil propterea superfit addendum. Paritèr circà

Reci-

Recidivos nihil recapitulo, quia dirigendi sunt magis prudentiâ in factis particularibus, quàm per regulas generales: etenim si cognoscatur frequentia sacramenti prodesse, quò abstineant, absolutio non erit differenda; sed si frequentia cognoscatur generare contemptum, nec diminuere peccata, ut sæpè contingit in hominibus alioqui piis, eadem semper peccata venialia accusantibus in sacramento, tunc certè, quò sint cautiores, differri debebit ad tempus absolutio.

CAPUT LXVII.

Instruitur Confessor in praxi circà suum ministerium.

1. MUlta hùc usque diximus pro instructione Confessorum, & certè non inutilia in iis, quæ accepi ab Angelico Magistro; sed, si licet hìc Evangelii textum applicare, post tot dicta, non adhùc doctus erit Confessor. Matth. 13. dicitur: *Omnis Scriba* (quo nomine venit etiam Confessor) *doctus in regno cœlorum similis est homini Patri familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Regulæ generales, & scientia Theologiæ Moralis dici possunt *vetera*; & *nova* dici possunt ipsa praxis exercendi triplex munus Confessoris; quare in regno cœlorum, *quæ præsentis temporis Ecclesia dicitur*; ille solus est Confessor doctus, qui conjungit scientiam prudenti praxi; &

propterea Rituale adductum p.1. c.7. n.7. exigit ambo hæc, nec qualitercūque, sed *quantā potest maximam scientiam, atque prudentiam.* Amborum necessitatem noverunt in Urbe Patres Societatis Jesu, quà propter pro zelo animarum, quo fervēt, aperuere jam à pluribus annis, quam vocant Academiam Casuum Conscientiæ quolibet die Mercurii; & in eà primò providentscientiæ: nam Religiosus ad id deputatus, auditis primò cōfluentium opinionibus super nonnullis casibus propositis, decidit omnes in favorem veritatis, & firmat efficacibus rationibus: secundò consulunt Prudentię: nam aliquo Sacerdote Pœnitentis officium gerente, alter gerit officium Confessoris; & Pater deputatus pro suà prudentià dirigit ambos, quò quilibet in praxi doceatur gerere suum officium: Utilissimum sanè foret, si plures in singulis Urbibus aperirentur hujusmodi Academiæ.

2. Sed mirabilitèr promovit hanc scientiam prudentiæ junctam Reverendissimus P. Jacobus Riccius, dignus frater cla. me. Michaelis Angeli Cardinalis Riccii, Procurator Generalis totius Ordinis Prædicatorum, Lector publicus in Archigymnasio Sapientię, nec non Cleri Apostolicus Examinator in Urbe, qui hanc methodum invexit, ut in examine circà utramque sumeretur experimentum ab approbandis ad confessiones; & eo quidem fructu, ut omnes fateantur hanc esse veram examinis methodum; licet primo aspectu terreat, præsertim doctiores, nullibi assuetos hanc

viam

viam calcare, sed ubique, imò scholasticè respondere. Quò igitur in posterum nemini videatur aspera, pro coronide totius operis, placuit illam hìc brevitèr elucidare: Non omnia proponi possunt, quia casus in praxi sunt infiniti, & infinitè variabiles; attamen ex pede poterit cognosci Gigas, & approbandus ad confessiones, dummodò prudentiæ aliquod in se semen habeat, ex pluribus, qui proponentur, casibus, facillimè poterit dignoscere, qualitèr in aliis infinitis, & similibus, interrogandi, & tractandi sint pœnitentes. Et quò facilior evadat, inducentur hìc tres personę, Pœnitens alloquens, & respondens Confessori; Confessor alloquens, aut interrogans Pœnitentem, & Doctor, qui doceat Confessorẽ interrogare prudentèr nonnulla, quæ imprudentes Cõfessarii non interrogãt.

3. P. Pater, ego sum paratus, si V. Pat. me interroget accusare mea quælibet peccata, sed ex me ipso nihil volo dicere, præ erubescentià tot criminum, eorumque gravissimorum, quibus Deum ingratissimè offendi?

M. Casus ordinariè potest contingere: videtque Confessor pœnitentem esse indispositum ad sacramentum, quia confessio debet esse accusatio voluntaria propriorum criminum: Equidem ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 18. Sacerdos debet adjuvare Pœnitentem, *quotiescunque opus fuerit;* sed aliud est adjuvare impotentem, sive ignorantem, aliud adjuvare dispositum nihil dicere ex se ipso, quare.

C. Non possum te audire, nec es dispositus ad

sacramentum, qui propositum habes non satisfaciendi tuo muneri, pro quanto ex te ipso potes.

4. P. Volo jam, Pater, confiteri mea peccata, & signatum signo Crucis, si aliquid habes interrogare, interrogà?

M. Ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 15., nisi aliter notus fuerit Pœnitens, debet primùm interrogari, quàm pridem fuerit confessus: quare.

C. A quanto tempore non fuisti confessus?

5. Ab aliquo tempore.

M. Responsio ista est captiosa, & data ad eludendum Confessorem: nàm potest continere longum, vel parvum tempus; & nisi se specialiùs explicet Pœnitens, non poterit Confessor dignoscere, primò, an peccaverit mortaliter differendo pœnitentiam, quia certum est peccasse mortaliter, si per annum distulit, quam commodè quotidiè poterat adimplere: secundò, nequit scire statum pœnitentis: etenim si à quindecim diebus fuit confessus, postea, v.g., sexies fornicatus, debet Confessor suspicari, quòd peccet ex habitu, vel consuetudine: non verò si sexies fuit fornicatus in anno; quare.

C. Dic præcisè à quanto tempore circumcircà non fuisti confessus?

6. P. A decem mensibus.

M. Rituale adductum ubi suprà, præcipit secundo loco inquiri de adimplemento Pœnitentiæ: quare:

C. Adimplesti Pœnitentiam?

7. D. Totam, Pater, neutiquam adimplevi?

M. Hìc

M. Hîc in examine aliqui deficiunt, respondentes statim illum esse reum peccati mortalis, cujus tamen damnandus non est, nisi primò sciatur causa: potuit enim esse pœnitentia ad annum, vel de illâ oblitus pœnitens: quare.

C. Cur adhùc totam non implesti, vel quam tibi pœnitentiam imposuerat?

8. P. Injunxerat bis recitare Coronam B. Virginis; & semel recitatâ, neglexi recitare secundò; sed tamen peractâ confessione statim omninò satisfaciam.

C. Vade priùs adimplere; ac redi; nam hîc te expecto: nec enim te audiam, nisi priùs totam adimpleveris.

M. Quis neget maximam fuisse Pœnitentis negligentiam; & tamen frequenter contingit differri ad Pascha. Porrò incredibile est, quanta promittant, ut absolvantur ante adimplementum; Confessor nullatenùs cedat verbis; & quidem suavitèr, sed simùl fortitèr neget audire, nisi priùs adimpleverint hujusmodi leves, ac faciles pœnitentias.

9. P. Ego, Pater, ille sum, qui paulò ante, neglectâ pœnitentiâ comparueram: eâ nunc peractâ redeo; & me accuso, quòd aliquoties fuerim levitèr mentitus, &c. peto absolvi?

M. Ita se accusant plerumque tacentes se accusare de negligentiâ in adimplendâ pœnitentiâ, quam vidisti fuisse notabilem, & quòd pejus est, Confessores non admonent, ut se accuset: quare.

C. Cur tantùm memoras leviora peccata venialia,

lia, & non accusas negligentiam in adimplendà pœnitentià?

10. P. Multi Doctores scribunt pœnitentiam protrahi posse per annum, quare non peccavi, differens per decem menses.

M. Nisi Confessor sit cautus, inveniet etiam ex plebe, qui renuant esse discipuli, & in confessione sibi usurpent officium Doctoris, ex quibusdam casu auditis à Parocho, vel Concionatore, proponentibus aliquando generalem doctrinam, quæ non est applicanda casibus, ubi quis commodè potest satisfacere. Igitur, quidquid sit, an ex causâ rationabili ad tantum tempus differri possit adimpletio pœnitentiæ.

C. Debes te accusare de tantà negligentià; Nolim ego decidere, an peccaveris mortaliter; quia non est determinatum tempus satisfaciendi; sed fortè peccasti mortaliter; & certè fuit grave peccatum veniale. Porrò quia volo, quantum possum mederi tuæ conscientiæ, accusà negligentiam hujusmodi, ut si fuit mortalis, invalidum non sit sacramentum, si verò tantùm venialis fuerit, in posterum vivas cautior.

11. P. Ego, Pater, sum valdè rudis circà ea præsertim, quæ pertinent ad salutem hominis. Porrò Concionator heri prædicans, innuit in confessionali Confessorem exercere officium Doctoris; quare peto à te instrui?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 17. præcipit hunc esse instruendum, si tempus suppetat, &

cor-

corripiendam illius ignorantiam; quare videbit distinctè, an ignoret symbolum, quòd petinet ad fidem, an orationem Dominicam, quæ tangit actus Spei; An præcepta Decalogi, vel Ecclesiæ, quæ tangunt actus charitatis; Et ut illum plenè instruat circà primum, habebit in promptu dicta in *Instruct. pro ordinandis* c.8. Circà secundum dicta c.9. Circà tertium dicta c.10.

C. Quid particularitèr, & principaliùs ignoras?

12. P. Vellem scire, an ignorare omnia hæc, sit de se peccatum mortale?

C. Utique, & gravissimum, quia sine horum notitiâ nequis elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis, ad quos Christiani tenentur.

33. P. Ego heri, Pater, audivi, necessitate medii credenda esse tria mysteria, scilicèt, Dei *Unitatem, & Trinitatem, Deũ Remuneratorem*, nèc non quòd *secunda persona*, scilicèt, *Filius fuerit incarnatus, mortuus, & resurrexerit*. Fateor me nunquam hæc explicitè credidisse, sed tamen quotidiè elicui hunc actum: *Credo quidquid Sancta Romana Ecclesia credit, & paratus sum pro his dare vitam?*

C. Non satisfeciſti tuæ obligationi: nàm illa tria explicitè credere necessarium est necessitate medii, idest, non possumus salvari, nisi explicitè singula credantur; nèc sufficit implicitè credere in actu subjuncto. Cum hàc ignorantiâ alicujus ex dictis mysteriis, confessus nè unquam fuisti; nam si hoc contigit, invalidè omninò fuisti confessus?

14. P. Sexiès v.g. fui confessus; at non capio, quòd

quòd invalidè fuerint prædictæ confessiones: etenim fuit ignorantia omninò invincibilis?

M. Hæc frequentèr congerunt Pœnitentes, ut se justificent coram Confessore, qui nisi cautè procedat; facilè inducetur in graves errores: quare

C. Estò ignorantia tua fuisset invincibilis, invalidè fuissent confessiones, quia si non potes glorificari sine illorum fide, nèc potes justificari. Solum id tibi concedo, quòd si fuit ignorantia invincibilis, nõ commisisti sacrilegium: A peccato enim hæc utique ignorantia excusat, sed non supplet dispositiones à Christo exactas pro susceptione sacramentorum. Addo, me statim non debere credere, quòd ignorantia de mysteriis adeò communibus in te fuerit invincibilis: Utique admitto de rebus supernaturalibus dari posse hanc ignorãtiam, quæ insuper in omni casu excusat à peccato juxtà quod docuit Alex. VIII. damnans secundam ex triginta unâ propositionibus adductis p. 1. c. 28. Ut igitur videamus, an tua hæc ignorantia fuerit vincibilis, nècnè, dic: Audisti à patre, & matre symbolum Apostolorũ, ita quòd hortati fuerint te illud addiscere: frequentasti nè doctrinam Christianam in diebus festis, quam Parochus explicat &c.

M. In hoc toto Confessoris discursu, multa sunt inserta doctrinalia, quæ rudioribus non indigitabit Confessor, sed insinuata sunt, ut ipse percipiat veras dictorum rationes. Etiam multa sunt simul cõgesta, quæ tamen omnia distinctè, non uno ictu interrogabit Confessor: etenim si omnia simùl, &

con-

confusè proponat, veluti suffocabit Pœnitentem, qui omissis prioribus, unicè respondebit ad ultimã interrogationem. Igitur procedat cum omni prudentià, & charitate paternà, juxtà Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 21. faciens se doctum cum doctis, & rudem cum rudibus, imponensque ovem perditam in humeros suos.

15. P. Ego, Pater, parentibus destitutus, vivo in sylvis ductor ovium; vix quolibet mense possum semèl Ecclesiam adire, ut sacrum audiam, obligatus à Superioribus in reliquis adsistere gregi. A Parocho nihil audivi de mysteriis fidei; sed tamen pluries monuit, ut ignorantes hæc mysteria, die sibi commodiore pro instructione accederent ad se.

C. Hoc ipso convincitur ignorantia fuisse vincibilis: etenim poteras, & debebas adhibere diligentiam, ut tempore opportuno te præsentares Parocho, qui promiserat instruere comparentes: quare confessiones tuæ fuerunt invalidæ, sed & sacrilegæ, si ex defectu examinis non te accusasti de hac negligentià mortalitèr peccaminosà, vel ex alio capite non potes excusari.

16. P. Quid igitur faciam in hoc miserabili statu?

C. Instituenda tibi est confessio generalis, per quam accuses omnem speciem, numerum, & circumstantias explicatu necessarias præteritorum criminum?

M. Porrò ubi detexerit peccara præterita, meminerit Confessor interrogare, ut se accuset de sacrilegiis in confessione commissis, quę ex n. 14. fuerunt

runt sex; & inducat ut explicet numerum, quia & species, & numerus peccatorum est explicandus.

C. Quotiès in anno fuisti confessus?

17. P. Tantum semel in anno, sed cum Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 20. prohibeat inutiles interrogationes, credo V. P. in hoc directè peccasse contrà Rituale.

C. Non est inutilis, imò necessaria omninò hæc interrogatio, ut possim scire numerum peccatorum: quia semèl in anno fuisti confessus per sexennium, commisisti duodecim peccata, quorum sex fuere sacrilegia: sex verò contrà præceptum Ecclesiæ, de confitendo semèl in anno.

M. Confessor à Pœnitente non solùm debet inquirere super peccatis, quæ accusat; sed insuper si quæ ordinariè solent oriri ab illis: quare:

C. Etiamnè communicasti?

18. P. Ex ratione dictà video etiam esse necessarium, quòd exprimam me paritèr communicasse quolibet anno. Sed vellem scire, an alia peccata commiserim extrà jam dicta, de quibus me debeam accusare?

C. Quoniam scire cupis, quot peccata commiseris, vide primò, te quinquiès, vel sexiès in anno peccasse, omittendo actum Fidei; totidem vicibus omittendo actum Spei, & totidem, omittendo actus Charitatis: Insuper totiès circumcircà peccasti non adeundo Parochum, ut instruereris circà doctrinam Christianam.

19. P. Nullus alius Confessor fuit adeò exactus

in

in discutiendâ meâ conscientiâ: quare scrupulosior, quam par sit, mihi videtur V. P. Fateor nihilominus, quòd hæc diligentia multũ mihi cõsulit?

C. Non sum certè scrupulosus, quandoquidem aliunde constat obligatio sub mortali eliciendi actus Fidei, Spei, Charitatis ex vi talium virtutum; & aliunde constat etiam obligatio sub mortali ad expellendam ignorantiam mysteriorum, quæ sunt necessaria necessitate medii. Quod addis alios Confessores, hæc omisisse, non est meum de illis judicare; sed satisfacere proprio muneri Judicis, Medici, & Doctoris. Ipsi consuiant sibi, ut rationem Deo reddituri suæ villicationis.

20. P. Quia jàm accusavi mea peccata, dignetur V. P. me ab illis absolvere?

C. Non adhuc potes absolvi, debeo enim te prius instruere circà prædictos fidei articulos; & videre, nùm scias elicere actus virtutũ Theologaliũ.

21. P. Hoc non videtur omnimodè necessarium, quia Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 17. pœnitentem præcipit instrui, *si tempus suppetat*. Porrò præterquam quòd V. P. circumdant multi pœnitentes, quibus in hoc solemni die Paschatis, non poterit satisfacere, si tantum temporis insumat mecum, debeo redire quàm primum ad gregem.

C. Pœnitentes, quorum non incæpi judicium, non teneor audire cum detrimento animæ meæ, & ejus, cujus jam incæptum est judicium. Rituale loquitur de articulis solùm necessariis necessitate præcepti, & si tempus non suppetat, possum te remit-

Digitized by Google

mittere ad proprium Parochum, juxtà tamen S. Caroli monita p.1.c.11.n.20. At circà necessarios necessitate medii, absolverem invalidè, si te non instructum plenè, dimitterem.

M. Confessor jam instruet, ut addiscat, quot sint prædicti articuli, sed insuper ut sciat elicere actus virtutum Theologalium; eritque optimum, si eliciat ipse jubens Pœnitentem repetere verba prædictorum actuum. Hic illos non appono, quia habes insertos in *Instruct. pro ordinandis* c.8.n.19. In id incumbet Confessor, ut Pœnitens tangat rationem formalem actuum, quò verè sint virtutum Theologalium, ita ut in fide tangatur revelatio Dei facta Ecclesiæ Catholicæ, & nobis proposita per hanc, ut instrumentum Dei nos alloquentis. In spe tangatur Omnipotentia, & Misericordia Dei, cum ejus gratiâ, & nostris bonis operibus per eandem gratiam factis in proposito saltem, quæ gratia, & opera sunt instrumenta, seù media consequendi vitam æternam. In Charitate verò tangatur, ut ratio motiva, Dei summa bonitas. His ita peractis dimittet hunc pœnitentem.

22. P. Ego, Pater, habeo rem alienam: quæso, in me faciat officium suum, ut ritè confitear?

M. Innumeri labuntur: nàm alii statim divertunt ad obligationem restituendi; Alii statim damnant peccati mortalis, cum id non importent termini accusationis: etenim res aliena potest possideri bonâ, & malâ fide. Nulli horum consulunt pœnitenti, qui vult exerceri circà se Confessoris officium,

Digitized by Google

ficium; quare ut directè procedatur, nihil supponi debet, sed ordinatim de omnibus interrogari Pœnitens. Igitur.

C. Rem hanc alienam quomodò habes, bonâ nè, an malâ fide?

23. P. Rem hanc alienam possideo partim bonâ, partim malâ fide?

M. Quandoquidem Pœnitens respondet per extrema omninò diversa in genere moris, caveat Confessor, nè circà utrumque simul interroget, sed quærat disparatè de singulis, & primò.

C. Quid bonâ fide possides, & quomodo?

24. P. Bonâ fide plura obtinui; & cum circà restitutionem pluribus angar scrupulis, hodie vellem mihi à V.P. sedari omninò conscientiam meã. Igitur primò invitatus ad prandium, bonâ fide comedi cibos delicatos, & pretiosos, quos tamen, finito prandio, cognovi esse furto ablatos, quid teneor restituere vero domino?

M. Facilè multi sciunt regulam generalem, quòd *possessor bonæ fidei tenetur restituere rem, si extat: si non extat id, in quo factus est ditior.* Hoc est habere scientiam à Rituali requisitam, sed non prudentiam, quæ hìc, & nùnc determinat, quantum præcisè tenear restituere; nèc satisfit Pœnitenti, præsertìm Idiotæ, qui à Confessore cupit explicari: *Tantùm determinatè obligaris restituere.* Id apparet ex interrogatione. Igitur ut in omnibus directè consulatur Pœnitenti.

C. Non curo, an cibi fuerint pretiosi, sed solùm,

dic, quid insumpsisses domi tuæ pro prandio, & an illud verè consumpseris?

25. P. Equidem ordinariè domi meæ consumo valorem Julii; quod etiam insumpsi; nàm invitatus fui fortuitò, jàm præparatis cibis, quos familia consumpsit in meà absentià.

C. Quia ex sumptibus tuis ordinariis, nihil tibi superfuit; in nihilo factus es ditior, & per consequens nihil teneris restituere.

M. Si verò ex sumptibus ordinariis aliquid sibi superfuisset, quia in hoc factus esset ditior, teneretur hoc restituere.

26. P. Secundò: emi bonà fide tria pallia, quorum alterum adhùc intactum servo; alterum omninò consumpsi; & tertium pro medietate. Hæc agnosco esse furto ablata; quid restituam?

M. Regula generalis de possessore bonæ fidei valet in omni casu; & hoc pertinet ad scientiam; requiritur solùm prudentia, ut hic, & nùnc consulatur pœnitenti juxtà suum quæsitum: quare.

C. Consuevistinè tu palliatus incedere?

27. P. Utique, Pater, & ideò emi credens omninò venditorem esse verum dominum, in hoc, ut agnovi nudiùs tertiùs, fui deceptus.

C. Quod adhùc servas intactum, omninò restitue: nàm res extans est restituenda, illamque verus dominus, etiam de altari potest repetere: quòad reliqua duo, quanti emisti, & quanti emisses, si ejusdem qualitatis pallia debuisses emere?

28. P. Emi decem scutis; & aliàs emissem duo-

decim

decim ex officinâ veri domini?

C. Quòad pallium omninò consumptum, quia tibi duo scuta superfuerunt ab eo, quod ordinariè soles insumere, in his factus es ditior; & teneris hęc duo restituere: quòad consumptum pro medietate, teneris restituere pallium, ut extat, & ulteriùs, quià pro medietate consumptâ, unum tibi scutum superfuit, teneris hoc restituere, nàm ubi hodie consumpsisti valorem quinque scutorum, ex pallio in officinà empto, scutorum sex valorem consumpsisses.

29. P. Tertiò: bona fide librum accepi dono mihi traditum à Petro, quem redonavi Paulo; nùnc autem cognosco Petrum furto abstuliisse. Ad quid teneor?

C. Teneris, adhibere omnem diligentiam, ut Paulus restituat vero domino.

30. P. At Paulus abiit in longinquissimas regiones, adeò ut impossibile mihi sit illũ admonere.

C. Semper insistendo reguiæ generali, quæ ubi res non extat, obligat restituere id, in quo factus est ditior, dic, an aliud quicquam abeunti Paulo donasses.

31. P. Ego sanè, ob varia mihi à Paulo collata beneficia, gratitudinis ergò, munuscula, sed viliora donare proposueram: quia verò mihi liber erat inutilis, & illi valdè proficuus, dispositi parcere pretio dictorum munusculorum?

C. Sanè quia peperci sti huic expẽse, in hoc factus es ditior: quare hanc teneris restituere: quòd si aliàs

nihil donasses, nihil Petro redderes; & si pepercisses expensis equivalentibus pretio libri, tenereris has restituere.

32. P. Quartò: per decennium possedi villam bonâ fide, quam nunc ex tuâ generali regula videò me obligari ad restituendum, quia res extat?

C. Hoc utique verum est; sed non sufficit restituere villam; teneris etiam ad fructus, quando in illis factus esses ditior; Porrò, quia id ex me non possum scire, dic, an villa reddat fructus naturales, an mixtos?

33. P. Reddit, & naturales, & mixtos; naturales, quia in illâ oritur fœnum, quod tamen fuit pabulum mei equi, & reddit copiosè vinum, quod inserviit familiæ?

C. Hoc non sufficit, ulterius adde, an quid de tuo pepercisti pro expensis equi, & pro expensis vini in familiâ?

34. P. Fateor, Pater, Alvi equum ob opportunitatẽ fœni nascentis in villâ, quam omninò credidi meâ, nèc aliàs alvissem: familia verò bibisset utique vinum, sed multò debilius, si villa non extasset.

C. Estò fœnum sit fructus naturalis, quia tamẽ illo carens, non fecisses de tuo alias expensas, nihil teneris restituere, sed tenereris; si adhùc aluisses equum, ad illud, in quo ditior esses factus. Vinum verò, quia est fructus mixtus, debes deducere primò expensas factas in culturâ vineæ; secundò debes computare vinum ad pretium quanti valeret vinum, quod familia bibisset, & si consideratis

om-

omnibus his; in aliquo factus es ditior, id unà cum vineà restitue.

35. P. Memini me pridie ex dolio vini, ludo fuisse lucratum decem dolia, quæ nùnc supersunt, teneornè ista restituere?

C. Non teneris hæc restituere, quia pertinent ad fructus industriales; quos neque possessor bonæ fidei, neque possessor malæ fidei tenetur restituere.

36. P. Quintò possedi domum, de quà semper dubitavi, an mihi legitimè potuerit obvenire, adhibitisque diligentiis debitis pro indagandâ veritate, adhùc remaneo dubius?

C. Quandonè incæpisti dubitare?

37. P. Sanè ab ipso instanti, quo cæpi possessionem prædictæ domus?

C. Si dubium fuisset ortum, postquam possidebas, tùnc quia debitas diligentias adhibuisti, posses tutò retinere, sed quia dubium fuit ab initio, teneris restituere.

38. P. Agnosco nùnc verè, Pater, quòd sis nimium scrupulosus: etenim est axioma commune Theologorum, & Juristarum, quòd *In dubiis melior est conditio possidentis.* Igitur cum ego sim adhùc dubius quare teneor restituere?

C. Illud axioma favet solùm possessori bonæ, non malæ fidei; & dicitur malæ fidei possessor, qui dùm accipit rem, peccat: & quidem tu peccasti accipiens domum, dubitans, an tibi legitimè posset obvenire: quare teneris ad restiturionem.

39. P. Sed fac me hodiè certioratum, quòd legi-

timè domus mihi obvenerit, tenebornè ad restitutionem?

C. Sit tibi pro regulâ generali, quòd accipiens hodie rem propriam, quam nihilominùs ex conscientiâ dubiâ, vel etiam erroneâ, non credit suam, peccat, & peccat contrà justitiam, quia peccatum procedens ex his conscientiis opponitur eidem virtuti, cui opponitur peccatum procedens ex conscientiâ rectâ; nihilominùs ubi detexisti proximũ in rei veritate non fuisse læsum, non teneris restituere, quia restitutio non sequitur ad quodcunque peccatum contrà Justitiam, sed oritur ex verâ, & reali retentione rei alienæ, sive peccaverim, sive non peccaverim in accipiendo; Licèt igitur peccaveris, accipiens domum, quia hodiè cognoscis esse tuam, non teneris restituere.

40. P. Nihil amplius habeo dicere circà ea, quæ possedi aliorum bonâ fide, restat, ut conscientiam exonerem circà ea, quæ possideo malâ fide. Ac primò me accuso, quòd consulvi amicum, ut inferret damnum proximo suo.

M. Ita plerumque in praxi accusant, Idiotæ quidem ex ignorantiâ; complures alii, quia nolũt, ut debent, reflectere ad necessitatem explicandi distinctè speciem, numerum, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias. Noster Pœnitens multò magis deficit, qui neque genus peccati explicat; quia non exprimit, an leve sit damnum (unde peccatum esset veniale) an grave (unde peccatum esset mortale) Portet illum Confessor humeris

meris suæ Christianæ patientiæ. Igitur.

C. Consulvistinè damnum grave, an leve; nàm primò debes explicare genus peccati, ut inde cognoscam, quid mihi incumbat interrogare super species?

41. P. Consului damnum grave.

C. Habeo genus peccati, quòd sit mortale; nùnc interrogo ulteriùs, quòd nàm consulueris damnũ?

42. P. Nunc verè agnosco, te scrupulosum in omnibus: etenìm apud alios Confessores accusantem me sæpius de damno illato, statìm, nullà alià interrogatione factà; & ore promissa restitutione, immediatè absolverunt.

C. Quidquid sit de aliis: tu prævertis ordinem sacramenti; in quo Confessor Doctoris munus exercet, pœnitensque munus discipuli, qui nunquam potest esse super Magistrum: Tu autem vis docere Magistrum; imò in æternum mei, & tui damnum, vis absolvi: quod sanè contingeret, damni genere ignorato. Eidem justitiæ plura opponuntur peccata specie diversa ex diversitate materiæ, quatenus damnum illatum excedit, vel deficit, seù est inferioris, vel superioris ordinis: quare debes explicare, cujus ordinis damnum consulueris; utrum cõsulueris lædere proximum in bonis vitæ, an in bono, quod habet in corpus uxoris, an in bonis famæ, an in jurisdictione; & hìc etiam est explicandum, an fuerit Jurisdictio Ecclesiastica, vel Laicalis &c. Hæc & similia constituunt diversam speciem peccati contrà justitiam; & Confessor obligatus acci-

pere speciem peccati à Pœnitente, quando hìc non se explicat, debet interrogare. Absit à me, ut curiosis, & inutilibus te detineam, sed ubi tu deficis ex ignorantià, & inadvertentià, meum est supplere.

43. P. Certè volui sapere, plusquam oporteat sapere pœnitentem. Video quàm rectè procedat V. P. juxtà sui muneris obligationem: promitto emendam; & interim fateor, me consuluisse Petro, ut furaretur decem scuta.

C. Verè ne Petrus abstulit?

44. P. Utique abstulit; sed dubito valdè, num abstulerit ex meo consilio. Adhibui diligentias interrogando Petrum ipsum; ex cujus tamen responsione, nihil certi potuit deduci. Ad quid teneor ita dubitans?

C. Ubi Petrus non restituit, teneris restituere tu. Vide dicta n. 38.

45. P. Ego ipse posteà occultè abstuli rem alienam in materià gravi?

C. Equidem explicando materiam gravem, explicasti genus peccati; & intelligo, quòd fuerit mortale: sed nondum habeo speciem omnem peccati: potuit enim esse sacrilegium: quare ulterius id explicà?

46. P. Dic, Pater, quandonè furtum erit simul in duplici specie, ut sit contrà justitiam, & ulteriùs sacrilegium contrà virtutem Religionis?

C. Furtum in triplici casu evadit sacrilegium: primò: si accipiatur res sacra de loco sacro; & tunc est duplex numero sacrilegium, ut si accipiam in

Ec-

Ecclesiâ calicem, quia violo Religionem, ratione loci sacri, & ratione rei sacræ: secundò: si accipiatur res sacra de loco non sacro: tertiò: si res non sacra accipiatur de loco sacro.

47. P. Ego Pater, accepi furto in Ecclesiâ: primò calicem, secundò vas argēteum Ecclesiæ commodatum pro solemnitate: tertiò: gemmam ab homine prædivite, qui audiebat missam, vellem scire, qualitèr peccaverim?

C. In primo casu, præter furtum, commisisti duo sacrilegia: in secundo commisisti sacrilegium: in tertio peccasti tantùm peccato furti, non sacrilegii, estò abstuleris in Ecclesiâ: nam est per accidens ibi: quare non facio injuriam Ecclesiæ.

48. P. Cur in secundo casu committo sacrilegium; quandoquidem res non est ipsius Ecclesiæ?

C. Si tu in meâ domo furaris alicui, qui per accidens ibi reperitur, non facis injuriam mihi; sed si res in domo meâ sit depositа, vel deputata meo servitio, licèt ad horam, facis injuriam mihi, furando illam, pro tempore, quo est deputata meo servitio. Idem dic de Ecclesiâ.

49. P. Ego, Pater, abstuli furto, à meo domino materiam gravem.

M. Hìc debet Confessor esse cautus, ut quia speciem peccati Pœnitens explicuit, etiam explicet numerum, & circumstantias furti notabilitèr aggravantes: quare.

C. Quanti valoris circumcircà esse potest res furto ablata?

50. P.

50. P. Non teneor explicare: quantitas furti est circumstantia solùm aggravans circà eandem speciem ; & plurimi Doctores probabilissimè sustinent non necessariò explicandas esse circumstantias, etiam notabilitèr aggravantes?

C. Scio innumeros ita opinari ; & veneror hujusmodi Doctores. At apud me pluris valet authoritas Catechismi p. 2. c. 5. n. 48., quæ vult omninò explicandam furti quãtitatem. Innocentius etiam XI. voluit explicari consuetudinem, estò esset circumstantia notabilitèr aggravans ; ex quibus p. 1. c. 34. n. 20. deducta est regula generalis ibi tradita. Debeo igitur scire quantitatem furti, vel aliàs te dimitto?

50. P. Abstuli pro valore viginti scutorum?

C. Abstulistinè unicà tantum vice, vel iteratis vicibus?

51. P. Abstuli vicibus iteratis?

C. Quotiès, & quantum abstulisti quàlibet vice: hoc enim mihi est necessarium scire, ut possim discernere, quot numero commiseris peccata mortalia?

52. P. Abstuli quadragintà vicibus ; at primis decem abstuli valorem Julii. Peccavinè semper mortalitèr, etiam primà & secundà vice?

C. Non possum de primà, & secundà vice, id adhùc judicare, nisi ulteriùs explices, an primis duabus illis vicibus habueris intentionem furandi plura, vel prosequendi: nam si cum hàc intentione processisti, etiam tùnc peccasti mortalitèr.

At

At si defuit hæc intentio, peccatum incepit esse mortale, quando incæpisti retinere alienum in materiâ gravi.

53. P. Scio equidem me mortalitèr peccasse tertiâ vice: sed quid si quartà vice accepissem unicum quadrantem, fuissetnè peccatum mortale?

C. In hâc materiâ furti habe pro regulâ generali, quòd primò pertingens ad materiam gravem, in subsequentibus peccat semper mortalitèr, estò accipiat unicum quadrantem, (dummodò faciat unum morale cum præcedentibus furtis: quod maximè judicabis, si furans unum quadrantem, advertas, vel advertere debeas, quòd antea sustuleras materiam gravem)

54. P. Quomodò furans unicum quadrantem, absque intentione plura furandi, possum peccare mortalitèr?

C. Estò nùnc accipias unum quadrantem, nihilominùs advertis te præcedentèr accepisse materiâ gravem, & cum illâ advertentiâ, nùnc renovas furtum, quòd est virtualis voluntaria retentio rei alienæ in materiâ gravi; Et ita peccas mortalitèr non ratione ejus, quod accipis, sed ratione ejus, quòd retines, reiterando in acceptione actum retinendi. Porrò cùm sufficientèr ex his habeam tuæ conscientiæ statum, circà speciem, numerum, & circumstantias furti explicatu necessarias: memento, quòd non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

54. P. Utique, Pater, ego restituam?

C. Jam

C. Jam currunt viginti, & ampliùs anni, quòd assiduus in Ecclesiâ Dei (licèt indignè) officium Confessoris exerceo. Intrà hoc tempus; neminem inveni, qui à me jussus restituere, aut tollere occasionem proximam, non promiserit se restituturũ, aut vitaturum, sed hoc, non sufficit Sedi Apostolicæ: nàm Innocentius XI. damnat prop. 60. asserentes; quòd peccator sit absolvendus, *dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Igitur promisistinè aliàs Cõfessoribus, quòd restitues?

55. P. Verè nimis rigida videtur illa prohibitio: nàm solus Deus intuetur cor, non Confessor, qui stare debet dicto Pœnitentis, tàm pro se, quàm contrà se; sed quoniam ita declaravit Pontifex, fateor me pluriès promisisse Confessori, & neglexisse: nùnc autem toto corde promitto restituere, statim ac exibo à facie P.V.

C. Multùm tibi cavendum est à pœnis, quas Innocentius XI. inflixit contrà non suscipientes, ut par est, damnationem talium propositionum: Ad hoc relege Bullam. Confessor utique non intuetur cor; & propterea solus Deus potest judicare, an tuum hocce propositum sit hic, & nùnc efficax. Homo potest id judicare tantùm ex annexis, & connexis: Ubi nihil habet in contrarium, debet stare dicto Pœnitentis, debetque supponere, quòd accedit ad sacramentum cum proposito efficaci, quale requiritur ad effectum sacramenti, & sine quo exponit se periculo sacrilegii. Quia igitur promisisti pluriès, & neglexisti semper exequi, ex

ope-

Digitized by Google

operibus tuis arguo tibi deesse propositum efficax; quare nullatenus volo te absolvere; præsertim, quia facillimè poteras, nec voluisti.

56. P. Equidem facillimè poteram, & me accuso, quòd positivè noluerim restituere: sed quæso, inabsolutum nè me dimittas. Hodie mihi currit perëptoria obligatio implendi Paschale præceptũ.

M. Sanè mirum est, quot viis, & artibus absolutionem conentur extorquere hujusmodi parùm firmi in proposito, vel Consuetudinarii, adeò ut cum periculo animæ, Confessor sit flectendus, nisi constanter subeat suum officium.

C. Multò magis inducor ad differendam absolutionem: videris enim accedere ad sacramentum, unicè, ut evites mala temporalia: etenim non distulisses confessionem ad ultimum diem; Possum tibi prorogare tempus. Incipe saltẽ restituere in parte.

57. P. Si differam, instat grande scandalum; & ad evitandum scandalum, scio permitti ordinario Confessori, quòd absolvat etiam à reservatis: in quo casu Theologi dicunt indirectè absolvi pœnitentem à reservatis, & directè à non reservatis. Multò magis ego absolvi potero, cujus peccata non sunt reservata.

C. Utique, si haberes reservata, & viderem instare scandalum, si te dimitterem inabsolutum, uterer securiore viâ, quæ est, ut tu confitearis omnia peccata reservata, & non reservata, deinde absolverem te cum onere, quam primum comparẽdi coram Superiore. Porrò ex vi absolutionis meæ

re-

58

remaneres directè absolutus à non reservatis, & indirectè à reservatis, ad differentiam constituti in articulo mortis, qui directè ab omnibus absolvitur; etenim pro illo articulo nulla extat reservatio. Quicunque tamen absolvitur, ostendere semper debet Confessori propositum efficax dimittendi peccatum, quòd tu nunquam ostendes, nisi restituere incipias; uti constitutus in occasione promà, nisi dimittat, & Consuetudinarius, nisi curet tollere habitum.

58. P. Suppone, Pater, adesse scandalum grande, nisi communicem, an me dimittes inabsolutum, & quid tùnc faciam?

C. Utique, nàm sacrilegè pecco, si absolvo, ubi prudentèr dubito de proposito. Cæterum consule tu conscientiam in gravi scandalo, quod exposuisti, & verè fateor adesse; nam si cognoscis coram Deo te habere propositum efficax (cujus tamen contrarium mihi apparet) elice actum Contritionis perfectæ, cum quâ poteris communicare, quasi destitutus copiâ Confessoris: At consule tibi: Deus non illuditur.

CAPUT LXVIII.

Sequitur eadem materia Praxis.

1. P. EGo pluriès habui cogitationes inhonestas; & iis fui vexatus per longum tempus?

M. Con-

M. Confessor adhùc ignorat, an Pœnitens peccaverit: quia etiam Sancti patiuntur hujusmodi cogitationes: Igitur non sit velox, ut interroget numerum, antequam cognoscat speciem: nec absolutè quærat assensum ad opus, cum potuerit peccare per delectationem morosam: unde poterit respondere Pœnitens se paratum potius mori, quàm perdere honorem. Et ita contingit inter personas honoratas, quòd morosè delectantur, sed absque ullo desiderio. Igitur.

C. Voluntariè nè fuisti immoratus in hujusmodi cogitationibus inhonestis?

2. P. Equidem aliquoties repuli, aliquotiès fui negligentior in repellendis; At non ita, quòd advertenter voluerim; Aliquotiès autem voluntariè immoratus fui.

M. Semper Confessor ante numerum, inquirat speciem: Pœnitens hùc usque solum genus explicuit: quare.

C. Peccastinè per delectationem morosam, vel per desiderium, vel per intentionem, vel ulterius eligendo media, per quæ pervenires ad fœminam intentam?

M. Omnes hæ interrogationes hic simul ponuntur gratiâ brevitatis: cæterum in praxi, juxtà Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 20. cavebit, nè inutilibus interrogationibus doceat Pœnitentem peccare, præsertim Virgines, & adolescentes.

3. P. In quâlibet harum specie aliquoties peccavi, & primò quidem, ut pervenirem ad quandam

dam Virginem, usus fui medio alterius fœminæ: nèc per me, nec per hanc stetit, ut complerem designata.

C. Quoties usus fuisti, & quænam erat fœmina hæc, quâ usus fuisti, libera, vel maritata &c. Si enim erat maritata, concurristi cum illâ ad peccatum in ratione adulterii. Idem dicendum in reliquis &c.

4. P. Erat vetula libera; bis ipsa sollicitavit Virginem; ego autem quater induxi ad sollicitandum. Quater intendi fœminam liberam, proponendo adhibere media, ut assequerer, licet nulla determinaverim in particulari: quatèr desideravi aliam simplicitèr, equè liberam. Porrò sexies fui morosè delectatus de fœminis per simplicem complacentiam absque ullo ordine ad opus, imò, & absque ullo periculo, vellem scire, an peccaverim.

C. Est regula generalis, quòd delectatio sequitur naturam actus; quare cum actus sit peccaminosus, erit etiam peccaminosa talis delectatio, quanquam sit absque ullo ulteriori periculo; & sicut actus non excusatur à mortali ex parvitate matèriæ, ita neque delectatio.

5. P. Estnè peccatum mortale, omnis delectatio de actu mortalitèr peccaminoso?

C. Theologi distinguunt: est peccatum mortale: si actus ab intrinseco sit malus, & ut dicunt, sit prohibitus, quia malus: At si sit malus, quia prohibitus, non est peccatum mortale; Hinc delectari de furto, de homicidio &c. est peccatum mortale;

At in die Veneris delectari de carnium comestione, non est mortale, quia primum, non hoc secundum, est intrinsecè malum, nisi delectarer, ut in die prohibito: etenim tunc importaret cõtemptum præcepti, qui contemptus est ab intrinseco malus. Hæc pro tuà instructione, interim dic statum tuum, & statum fœminarum, de quibus fuisti morosè delectatus?

6. P. Dicam libenter, & me, & fœminas fore liberas; quod dico ad superabundantiam; scio enim me non teneri ad hujusmodi circumstantias explicandas in delectatione morosà.

C. Deciperis ponendo regulam hanc generalem: Theologi quidam utique docent non explicãdam esse necessariò circumstantiam objecti, sed omnes fatentur explicandam circumstantiam subjecti. Juxtà illos (quos ego nullatenus sæquor juxtà dicta p. 1. c. 31. n. 7.) non teneris explicare statum fœminæ, quę est objectum delectationis: At teneris explicare tuum, qui es subjectũ delectationis: Hæc quòad generalia principia: cæterum ego nulli sententiæ præjudicando, velim amplecti opinionem, quæ favorabilior est tuæ securitati.

7. P. Hìc mihi ulterius V. P. explicet species peccatorum contrà Castitatem ex parte objecti.

C. Prima species dicitur simplex fornicatio; & est unicum peccatum contrà Castitatem: secunda dicitur Adulterium: & est duplex peccatum: alterum contrà Castitatem; alterum contrà Justitiam: Tertia dicitur Stuprum, etiam duplex peccatum,

& contrà Castitatem, & contrà Justitiam, ad minus contrà Custodes virginitatis. Quarta dicitur Incæstus; & est etiam duplex peccatum: alterum contrà Castitatem: alterum contrà Pietatẽ. Quinta dicitur Sacrilegium, quod paritèr est duplex: alterum contrà Castitatem, alterum contrà Religionem. Species peccati contrà naturam vide alibi.

8. P. Sum Sacerdos, & heri confessus fui. Porrò hàc nocte peccavi semel cum fœminà liberà.

M. Utinam non contingeret, quòd in sacris constituti frequentarent sacramenta, sicuti frequentant peccata; quare necessarium est, nisi aliud suadeat notitia Pœnitentis, & circumstantię, quòd Confessor interroget, nùm aliàs peccaverit cum hàc fœminà. Igitur.

C. Peccastinè aliàs cum hàc feminà?

9. P. Utique jam aliàs peccavi, sed jam elapsi sunt tres menses. Hoc autem fateor statim, quia scio ex prop. 57. Innocentii XI. me teneri respondere Confessori interroganti circà consuetudinem; quæ tamen non videtur esse in hoc casu, quando elapsi sunt tres mẽses ab ultimo peccato.

C. Nimis facilè proponis regulas omninò universales absque ullà exceptione. Potest esse occasio proxima, etiamsi à sex mensibus non peccasses: finge tibi esse fœminam ruri, cum quà tunc peccas: est certè ista occasio proxima, quando illam ruri sustentas, vel extat in tui dispositione, quando ibi moraris. Igitur dic, quare non peccasti hoc tempore. An quia illam non potuisti habere?

10. P. Fa-

10. P. Fateri debeo me non peccasse, quòd longè abesset: cæterum ubi erat in Urbe, semel in hebdomadà visitabam, non tamen semper peccabam, sed duodecim vicibus ex viginti; quare non erat occasio proxima.

C. Falleris etiam in hoc, credens, quòd occasio proxima sit illa, in quà homo positus semper peccat; quandò è contrà occasio proxima est, in quà homo positus sæpè peccat. Si unà, vel alterâ vice tantùm, aut circumcircà peccasses, non diceretur occasio proxima; sed in nostro casu verè sæpiùs peccasti. Ergo si tantum semel peccasses, utique absolverem te; sed juxtà Rubricas Missalis, consulerem, ut abstineres à celebrando, nisi esset necessitas; At quoniam est occasio proxima, non possum absolvere, nisi primùm omninò familiaritati fœminæ renuncies.

11. P. Renunciare, Pater, non possum sine magnà fœminæ infamiâ, quæ moratur ad servitium meæ matris, credita domi Virgo honestissima; & si vellem suadere, ut dimitteretur, domus tota suspicaretur grande malum.

C. Scito, quòd proxima occasio alia est voluntaria, & alia involuntaria; Quæ non potest dimitti sine scandalo, vel generalitèr sine peccato, dicitur involuntaria; sed tu debes facere, quantum in te est, nempè, Deo te specialitèr commendare, ac præcipuè non loqui solus cum solâ; nam in hoc diceretur voluntaria, quòd possis evitare id absque omni peccato, & infamiâ fœminæ.

Digitized by Google

12. P. Dicereturnè paritèr involuntaria, si esset mihi utilis pro servitio domi, vel si peccem circà illam actibus internis, dùm inservit in mensà mihi, cæterisque domesticis?

M. Pro primo casu vide propositionem 41. Alexandri VII., per quam dicenda est occasio proxima voluntaria; nam potes illam dimittere absque peccato. Equidem nequis dimittere absque aliquo damno rerum temporalium, sed hoc est subeundum, ubi agitur de Animà. In secundo casu, si absque scandalo, nequit dimitti, adhùc remanet aliquid voluntarium, quod teneris evitare, cum facilè possis oculos dejicere in terram.

13. P. Ego, Pater, sum honesta Virgo quæ tamen ago cum Juvene; sed hoc ad effectū nubendi?

C. Interceduntnè in tali colloquio actus aliqui, vel verba inhonesta?

14. P. Absit, Pater: nec in actus, nec in verba prorupi minùs decentia meæ Virginitati; sed nec in hujusmodi prorupit unquam Juvenis; imò ex parte meà nūquā in cogitationes minùs honestas.

C. Hoc non sufficit: Ulteriùs videndum est, an tuo colloquio coopereris peccato juvenis; quod tunc esset, si probabilitèr judicares ex tali colloquio illum incidere in cogitationes inhonestas volūtariè: tenereris enim tunc ex charitate id evitare.

15. P. Libentèr prius, Pater, intelligerem, si peccatum sit voluntariè cogitare turpia?

C. Turpium cogitatio, ut est in intellectu, de se non est peccatum, & per consequens neque peccatum

tum de se est voluntate applicare intellectum ad cogitandum turpia; sed ordinariè est peccatum ob periculum imminens, nè dum delectaris de ipsà cogitatione, delecteris etiam de objecto cogitato, in quo consistit peccatum; quare si absque necessitate homo cogitat, peccat se exponens periculo; si cum necessitate, non peccat, dummodò absit periculum delectandi de objecto: Necessitas autem est Prædicatori, aut Confessori, qui debent studere hujusmodi materiis: hoc enim est studere, quod cogitare.

16. P. Ex his, quæ conjicio prudenter, nullum peccati extat periculum ex parte Juvenis; quare possim frequentare illum absque scrupulo?

C. Tu solum consideras peccatum contrà Castitatem, sed latiùs debet prospicere Confessor, nec solum inquirere debitum Pœnitentis pro unà virtute, sed pro omnibus. Tu æque teneris ad Castitatem, & ad obedientiam parẽtibus, absque quorum participatione nequis agere cum aliquo de matrimonio. Igitur adestnè consensus parentum, ut alloquaris prædictum Juvenem?

17. P. Ego, jam patre amisso ab annis, vivo sub tutelà matris, quæ imò unicè desiderat hoc matrimonium; quandoquidem ego sum pauper. ille autem nobilissimus, & ditissimus.

C. Equidem erat mei muneris post prædicta, ultimò inquirere, an Juvenis esset paris conditionis: quia hoc totum in praxi debet scire Confessor ad formandum judicium prudens, quòd talis actus

sit licitus, vel illicitus; quoniam verò ex te ipsà denunciasti excellentiam viri, nullatenùs possum approbare hujusmodi colloquia. Talis enim vir verè non accedit, nisi animo te decipiendi.

18. P. Ego, Pater, ab hero, sæpius mittor cum epistolis ad concubinam: Non possim jurare, quòd epistolæ sint turpes, imò nec scio, quid contineant, licet re verà malum suspicer: Illum comitor, dum vadit ad concubinam, cujus pulso januam, & ad hanc expecto herum, quòusque egrediatur. Libentissimè dimitterē, si haberem, Pater, alium melioris conditionis. At nullum reperio, & sum gravatus familià, quæ tota sustentatur ex meà mercede, redigenda in extremam necessitatem: ideò crediderim me non peccare in his omnibus actionibus: etenim aliquid indifferens est ferre litteras, pulsare januam, & ibi herum expectare. Quid enim mali est in his, quando maximè omninò sum alienus ab omni peccato; & aliàs me constituerem in extremà necessitate cum totà familià?

C. Hæc omnia non ita sunt indifferentia, ut supponis tu, qui rem consideras in abstracto. Certè ita considerando, posses etiam furtum dicere aliquid indifferens: talia enim sunt in abstracto, extendere manum, contrectare pecuniam, & illam reponere in marsupio. Hæc omnia sunt media, quæ induunt rationem boni, vel mali ex fine; sicut intrinsecè malum est furari; ita intrinsecè malum est extendere manum ad furandum; Ferre litteras non est malum, sed ferre litteras amatorias

est

est intrinsecè malum, quia cooperaris peccato mittentis. Pulsare januam (estò meretricis) non est malum, quia & illam pulsat Parochus; At pulsare januam, ut aperiatur volenti peccare, est intrinsecè malum, quia cooperaris peccato, quare nequis hæc agere, estò sis in extrema necessitate. At herum expectare ad januam, non est peccatum, nisi casu, quo herus nollet peccare, si abesses.

19. P. Ego, Pater, à decem mensibus non confessa, & à sex nupta, semel in hoc tempore peccavi cum fratre sponsi?

C. Peccastinè ante, vel post matrimonium; hoc est necessarium scire: nam, si peccasti post matrimonium, fuit incæstus, & in pœnam privaris jure petendi debitum: si verò peccasti ante matrimonium, ex tali peccato contraxisti impedimentum dirimens in primo gradu cum fratribus Amasii, quem cognovisti.

20. P. Equidem; Pater, peccavi ante matrimonium, quod deinde contraxi bonâ fide, invincibilitèr ignorans omnem attinentiam, quam si novissem, nullàtenus contraxissem, fixa potius mori, quàm committere sacrilegium, & contrahere sacramentum omninò irritum.

C. Hæc ignorantia excusat utique à sacrilegio, sed non validat sacramentum: nec enim bona fides in hoc contractu supplet, quod Ecclesia requirit pro substantiâ. Teneris nùnc omnia facere, ut matrimonium revalidetur, quod quidem est possibile, recurrendo ad Sacram Pœnitentiariam. Hæc

habet authoritatem Pontificiam dispensandi in quibuslibet impedimentis jure humano constitutis, etiam occultato nomine pœnitentium, ubi agitur de foro tantum interno. Et verè dispensabit, cum agatur de matrimonio jam contracto in facie Ecclesiæ.

21. P. Sanè si possem absque peccato, me separare ab hoc viro, libentèr me separarem, cum sit naturæ bestialis: At quia fieri hoc non potest absque peccato, & maximo meæ famæ detrimento ex Dei manibus accipiam hanc crucem. Quò magis occultum remaneat meum peccatum, V. P. obtineat pro me dispensationem à Sacrà Pœnitentiarià, quòusque tamen expediatur Breve, quomodò me geram cum hoc viro pœnitus bestiali? An possim petere debitum, ubi me sensero agitatam vehementi stimulo carnis, aut saltem reddere, ubi petat ipse homo suspiciosissimus, & cui negans ego debitum; me expono evidenti mortis periculo?

C. Quia matrimonium fuit invalidum, quælibet copula, quam petas, vel reddas, est fornicaria, nèc ullàtenus potest honestari à quocunque mortis periculo, etiam evidentissimo. Es equidem in magno labyrintho, sed cum Dei auxilio, & prudentià tuà liberaberis. Melius est mori, quàm fœdari. Debitum ubi rogeris, tuum erit effugia quærere, non quidem mēdaciis; hæc enim nequit consulere Confessor, neque pro totiùs mundi salute, sed viis prudentibus, ut quòd hodie tibi nimis esset

mo-

molesta redditio debiti &c. Interim pro meà parte sollicitabo dispensationem, quò citiùs eruaris à tantis periculis. Redi festo sequenti; nàm spero per hos dies omninò me obtenturum.

22. P. Ego, Pater, sum fœmina, quàm festo præcedente jussisti redire ad te hodie pro dispensatione Apostolicà, & video in manibus V.P. Breve. Igitur sum dispensata; & nùnc absolutè possum petere, ac reddere?

C. Utique es dispensata, sed, antequam petas, vel reddas, renovandus est consensus matrimonialis, sine quo adhùc copula esset fornicaria. Non tamen opus est illum renovare coram Parocho, & testibus; nàm quia occultum omninò fuit impedimentum, in facie Ecclesiæ matrimonium remanet sufficienter probatum; Renovabis igitur consensum inter te, & ipsum solum; Nec est necesse, quòd moneas virum impedimenti præcedentis, & dispensationis subsecutæ. Imò teneris nihil revelare circà hoc, quia teneris consulere propriæ famæ. Igitur antequam reddas debitum, poteris petere, an amet te vero affectu maritali, vel verbis æquipollentibus uti; Et ubi respondeat affirmativè, jam renovatus est consensus ex utràque parte: si verò negaret, jam habes, unde neges justè volenti debitum affectu fornicario.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXIX.

Sequitur eadem materia Praxis circà primum, & secundum Decalogi præceptum.

1. PRocedo inordinatè, quia varietas acuit curiositatem, & hæc attentionem. Plura c.66. dicta sunt circà primum Decalogi præceptum, sed omnia respiciunt eò, ut Confessor instruatur circà praxim eorum, quæ audiuntur ordinariè in confessionali, peccatorum contrà præceptum affirmativum eliciendi actus Fidei &c. aut illorum scientiam habendi; nùnc verò ponemus praxim peccatorum, quæ sunt contrà præceptum negativum, & præcipuè hæresis; & tangemus etiam pro praxi primum Canonem Bullæ Cœnæ adjungentes, quæ spectant ad secundum Decalogi præceptum, scilicèt, circà perjurium, & blasphemiam, quæ sunt peccata, & ordinaria, & frequentia. Igitur.

2. P. Ego, Pater, pluries blasphemavi.

C. Tu non accusas numerum determinatum, imò nec speciem peccatorum: blasphemia enim est genus continens sub se blasphemiam simplicem, & hæreticalem: prima quarum est contrà Religionem: secunda verò: contrà virtutem fidei, quòad suum actum externum. Dic igitur primò quas blasphemias protuleris?

3. P. Ego, Pater, protuli semèl *Deus sit maledictus,*

ctus, & aliàs etiam semèl *Deus est maledictus.* Vellem scire, in quo casu gravius peccaverim?

C. Peccasti gravius in secundo: nàm prima fuit blasphemia simplex, ut potè prolata solum per modum optantis: altera verò fuit hæreticalis: affirmasti enim aliquid contrarium articulis fidei: Et quidem hic in Urbe potes absolvi, ordinariè loquēdo, quia non est reservata, è contrà reservatur, ordinariè loquendo in aliis Diœcesibus ab Episcopis.

4. P. Dixisti *ordinariè loquendo* non esse reservatam in Urbe: propterea innuis aliquando in Urbe non posse absolvi. Hoc non intelligo; V.P. clarius id explicet.

C. Si hanc blasphemiam protulisses Tusculi, ubi reservatur; & Romam accessisses eo fine tantùm, ut absolvereris, nolens comparere coram tuo Superiore Tusculano, tùnc venisses in fraudem; nèc ego te possem absolvere, juxtà constitutionem Clementis X. adductam p. 1. c. 9. n. 5. sed tenereris, vel redire ad tuum Superiorem Tusculi, vel adire Pœnitentiarios trium Basilicarum.

5. P. Cur in isto casu de se non reservato Romæ, tu non potes; & illi possunt absolvere?

C. Quia ego absolvo per jurisdictionem mihi collatam à Cardinali Vicario, etiam si sim Parochus. Equidem Cardinalis confert jurisdictionem, ut Vicarius Papæ, & ejus nomine, sed Papa Vicarium nominat, ut Episcopus Urbis, & per consequens ut cæteris Episcopis par, & par in parem non habet potestatem: At Pœnitentiarios deputat,

Digitized by Google

tat, ut Papa totius orbis, & per consequens, ut Superior omnibus Episcopis: quare si adis Pœnitentiarios pro absolutione, adis legitimum Superiorem tui etiam Episcopi.

6. P. Ego, Pater, hìc in Urbe protuli utramque blasphemiam, & super omnia dolens mei peccati, peto statim absolvi?

C. De simplici blasphemià possem te statim absolvere, quia explicasti speciem, & numerum. At super hæreticali nondum habeo speciem, quia potes commisisse peccatum hæresis reservatum in canone primo Bullæ Cœnæ. Dic igitur, an proferens illam blasphemiam, credideris in tuo intellectu verè Deum esse maledictum?

7. P. Fateor me, Pater, credidisse; at pro illo instanti, quo proculi: tamen statim valdè pœnitui, & professus sum me paratum mori potius, quàm discredere vel minimum articulum fidei. Porrò in hoc non mihi videor fuisse formalis hæreticus, sed tantùm materialis: Ad hæresim formalem duo simul juncta requiruntur indispensabilitèr, & error in intellectu contrà fiedm, & pertinacia in voluntate; Hàc pertinacià deficiente, homo habens errorem in intellectu est solùm materialitèr hæreticus.

C. Primò scias, quòd si potulisses dictam blasphemiam animo formali etiam contemnendi, & injuriandi Deum, peccasses quidem gravissimè, ac peccato pœnè diabolico, sed si per intellectum non credidisses, nunquam fuisset peccatum hæresis: nàm optimè notasti ad hæresim formalem requiri

duo

duo illa indispensabilitèr, adeò ut non sufficiat error sine pertinaciâ, neque pertinacia sine errore. Quoniam autem credidisti, pro illo instanti verè fuisti hæreticus. Pertinacia non est, ut credis, perseverare in errore, sed dicitur pertinax, qui sciens Ecclesiam definivisse aliquid, vult tenere contrarium, & hoc etiam pro uno instanti, nàm hæresis, ut alia peccata, incurri potest in uno instanti. Dicitur autem hæreticus materialis, qui habet errorem in intellectu, sed quoniam adhùc ignorat contrarium esse definitum ab Ecclesiâ, paratus est huic se subiicere in omnibus; Et quia tu pro illo instanti credidisti sciens contrarium ab Ecclesiâ definitum, non possum te, utpotè hæreticum absolvere.

8. P. Ego, Pater, protuli, hanc hæresim, in meo cubiculo, hemine audiente, nèc potente audire. Cum igitur aliquam hæresim possit absolvere Confessor ordinarius, maximè poterit istam?

C. Video te in aliquibus instructum, sed omninò confusè. Posset contingere, quòd aliquando cum hàc instructione, velles promoveri ad sacerdotium, & in illo exercere officium Confessoris: quare volo te clarè, ac totalitèr instruere in hàc materiâ: nam si ità confusè procedes, id continget cum maximo tui, animarumque tibi confitentiũ periculo. Igitur scias hæresim merè internam posse absolvi à quocunque; sed interna dicitur, quæ tantùm est in mente; Si semel ore protulisti, estò solus, imò etiamsi vix te ipsum audieris, etiamsi so-

sis vicibus, in quibus peccasti, & etiam exdiversitate objecti materialis. In prolatione talis blasphemiæ peccasti primò contrà Religionem, & secundò contrà charitatem peccato scandali, & tot numero sunt scandala, quot numero scandalizati (saltem virtualitèr, quod sufficit, ut tenearis aperire) quia injuria est in injuriato. Cum blasphemia hæreticalis ex n. 3. in Urbe non sit reservata, possum, & volo te absolvere; sed ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 21. Confessor absolutioni *paternà charitate*, debet præmittere opportunas monitiones. Paterna charitas mihi deesset, si non curarē te liberare à gravibus pœnis, quas potes incurrere. Ex c. 6. n. 11. qui audierunt te blasphemantem hæreticalirèr, tenentur te denunciare Inquisitioni infrà mensem, nisi velint esse ipso facto excōmunicati. Sanctū verò Tribunal procedet contrà te graviter ad pœnas à Jure statutas, nisi prævenias Delatores, comparendo spontaneè. Non teneris quidem sub præcepto te præsentare; sed unicum medium ad evadendas pœnas, est prævenire denunciationes juridicas Auditorum, quæ, ubi spontaneè compareas, nullius momenti erunt contrà te omni tempore. Consilium meum tibi placeat, & blasphemias tuas redime humili hàc denunciatione.

11. P. Ego, Pater, ex odio in Titium Sacerdotem, inductus fui absque ullo fundamento ad credendum, quòd Christus non esset sub hostiâ, super quam proferebat verba consecrationis, judicans illum non habere intentionem consecrandi, fuinè hæreticus?

Digitized by Google

C. Exc 1. n. 11. formalis ratio, sub quà credimus fide Theologicà, est, *quia Deus revelavit Ecclesiæ Catholicæ*. Et Deus quidem revelavit in hostià ritè cõsecratà coutineri verum corpus Christi, sed non revelavit hanc in particulari hostiam esse ritè consecratam: quare non es hæreticus, credendo hanc hostiam non esse consecratam; sed gravissimè peccas, judicando temerè tam grande malum, absque fundamento de Sacerdote Catholico.

12. P. Teneornè in confessione explicare, quòd blasphemiarum aliæ fuerint in Sanctos, aliæ in B. Virginem, aliæ in Deum?

C. Exc. 4. n. 8. S. Thomas ponit omnes blasphemias, ut ejusdem speciei, sed tamen suaviter disponat Confessor pœnitentem, ut explicet illam diversitatem, quia potest variare notabiliter judicium Confessoris.

13. P. Ego, Pater, sæpius juravi: nàm consuevi ad omne verbum addere, *Per Deum, Per Virginem Mariam* &c.

C. Hàc tuà confessione confundis juramentum, quòd est actus Religionis, perjurium, & nominationem Dei in vanum, quę sit tantum veniale peccatum. Si profers verba illa, sed simul non affirmas, aut negas aliquid, ad quòd confirmandum adducatur in testimonium Dei nomen, tùnc fit vana Dei nominatio, & fuit peccatum veniale, quia secundum Decalogi præceptum sub mortali tantum prohibet perjurium, blasphemias, & violationem votorum.

14. P:

Digitized by Google

14. P. Utique pluriès eo modo nominavi Deum, sed etiam pluriès juravi; quæro an ista consuetudo jurandi sit mórtale peccatum?

C. Sit regula generalis, quòd consuetudo de se non est peccaminosa, nisi peccatum sit actus: nam consuetudo est circumstantia, seù accidens, quòd non est peccatũ, nisi mala sit substantia, seù species rei. Consuetudo id mali dicit, quòd assuetus jurare se exponit periculo pejerandi, & propterea peccat toties, quoties; at etiam peccaret; si unico actu se exponeret periculo. Cæterum si quis haberet consuetudinẽ jurandi solùm in re verà, & justà, nõ peccaret mortalitèr. Dic igitur, quæ sit ista cõsuetudo?

15. P. Fateor me jurare tum in vero, tùm in falso; nàm juro quidquid in buccam venit.

C. Hoc modo jurans, peccas, & jurando verum, & jurando falsum: quia jurando verum exponis te periculo jurandi falsum, & ita debes explicare quoties jurasti verum, & quoties jurasti falsum. At prius dic speciem peccati.

16. P. Darinè possunt circà juramentum plura peccata specie distincta?

C. Utique possunt dari: nàm primò: quatuor sunt species juramenti, assertorium, promissorium, comminatorium, & execratorium. Ulterius considerandæ sunt conditiones juramenti, nempè, Judicium, Justitia, & Veritas. Judicium consistit in eo, quòd juretur cum Prudentiâ; sed conditionem hanc omitto, quia defectus illius de se tantùm constituit veniale peccatum. Justitia est, quòd

juretur de re non illicitâ: Veritas, quòd juretur res, qualis est in mente.

17. P. Juravi me daturum obolum, quod tamen postea non dedi, peccavinè mortaliter?

C. Distinguendum est: si jurans habuisti intentionem jurandi, & dandi, sed deinde ex alio motivo non dedisti. Tale juramentum dicitur habere primam veritatem, quę consistit in intentione, dùm juras, & carere secundâ: In hàc autem juramentum excusatur à mortali ex parvitate materiæ. At si deficiebat prima veritas, peccasti mortaliter, nec ullatenus materiæ parvitas excusat.

18. P. Juravi me dicturum leve mendacium, dic mihi, an peccaverim mortaliter in hoc juramẽto?

C. Si deficiebat intentio dicendi, utique peccasti mortaliter; si habebas intentionem dicendi, tùnc erit veniale: nam circà justitiam, materię parvitas excusat à mortali.

19. P. Juravi bis me occisurum filios, semel absque intentione, semel cum intentione, quando peccavi gravius?

C. Ubi absqne intentione jurasti, fuisti sacrilegus, & periurus contrà veritatem juramento debitam: Ubi cum intentione jurasti: primò violasti justitiam juramenti, jurans de re illicitâ; & in hoc paritèr fuisti sacrilegus contrà Religionem: secundò: violasti virtutem Justitiæ intendens inferre mortem proximo: tertiò: violasti virtutem Pietatis intendens inferre mortem filiis. Porrò in quâlibet harum specierum tot numero peccata commisisti,

misisti, quot sunt numero filii.

20. P. Ego, Pater, plures dubitationes habui contrà fidem; & aliquando voluntariè dubitavi, non quidem credendo contrarium definitis ab Ecclesiâ, sed tantùm ea revocans in dubium?

C. Optimè feci‌sti, distinguendo dubitationes voluntarias ab involuntariis: involuntariæ sunt tentationes dœmonum, quas etiam passi sunt Sancti. At voluntariæ sunt vera peccata infidelitatis: nam dubius in fide est infidelis: habuisti errorem in intellectu, quia positivè dubitare de re certâ, est error. Quòad speciem igitur ulterius explicà, nùm fuerit Paganismus, nùm Hæbraismus; nùm Hæresis: nùm internè tantùm fuerit dubium, vel externè prolatum, ut videam, si à me possis absolvi. Etiam explicà numerum.

21. P. Semel legi librum prohibitum?

C. Si paucas tantùm lineas legisti, venialitèr peccasti ex parvitate materiæ: si plura legisti, mortalitèr peccasti, & quia reflecto ad primum Canonem Bullæ Cœnæ, ut videam, an possis à me absolvi, explicà ulterius, an liber sit hæretici, & quando sit talis Authoris, an contineat hæresim, vel saltem tractet de Religione?

22. P. Utique liber erat Authoris jam ab Ecclesiâ damnati, ut Hæretici, verumtamen agebat unicè de mysterio Trinitatis, illud mirabilitèr explicans, absque ullo errore contrà Fidem?

C. Qui legit librum Hæretici, sive contineat hæresim, sive solùm de Religione agat absque ullo

errore, si scientèr id faciat, & sine licentiâ, ipso facto incidit in excommunicationem primi Canonis Bullæ Cœnæ.

23. P. Incidinè in eundem Canonem ego, qui bis receptavi, & occultavi Hæreticum: semel, dum à suo Principe quærebatur ad necem ob homicidium ab illo patratum; & semel, dum petebatur à Sanctâ Inquisitione ad triremes ob hæresim à se evulgatam.

C. In primo casu non incidisti, quia receptasti materialitèr, Hæreticum: At in secundo casu incidisti, quia receptasti Hæreticum, ut talem ab Inquisitione petitum.

CAPUT LXX.

Sequitur eadem materia Praxis, circà quintum Decalogi Præceptum.

1. UT habes in *Instruct. pro ordinandis* c. 10. nu. 2. quodlibet Decalogi præceptum continet in se duo præcepta: alterum negativum; & alterum affirmativum. Porrò ex n. 33. affirmativum contentum in quinto Decalogi præcepto, est Charitas proximi. De utroque igitur præcepto, & negativo, & affirmativo aliqua ponemus, quæ conducant ad praxim.

2. P. Odio semel habui, Pater, quosdam meos inimicos, & quoniam agnosco experientiâ doctus, Confessorem in hac odii materiâ exquirere tempus,

Digitized by Google

pus, utpotè circumſtantiam, quæ ſolùm aggravat, ſed notabilitèr poteſt variare judicium Confeſſoris; ideò me accuſo, quòd per mediam horam duraverit tale odium, & quia ſcio interruptionem moralem conſtituere diverſitatem numericam juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 9. fateor hoc odium fuiſſe unicum moralitèr actum toto eo tempore; quo finito, poſitive oravi ſemper Deum in poſterum pro ſalute illorum, & nùnc inſuper maximè dolens de hoc peccato, peto abſolvi?

C. Primò debes explicare, an odium fuerit leve, an grave; ſecundò: ſi dicatur grave, debes ulterius te explicare: nâm odire eſt velle malum, & poteſt eſſe in triplici ſpecie: ſi primò triſtaris de bono proximi: ſecundò complaceas, vel gaudeas de malo proximi; nàm odii peccato peccas, ſi auditâ morte proximi gaudes: tertiò: ſi deſideres malũ proximo.

3. P. Meum odium fuit in ſecundà ſpecie; complacui enim, audito gravi damno inimicorum, per epiſtolam amici.

C. Nondum ſufficientèr explicaſti ſpeciem infimam peccati; ſicut enim inferens actu damnum grave proximo, debet explicare in quà materiâ intulerit, ſi in vita, in famà, in bonis temporalibus, aut ſpiritualibus &c. juxtâ diverſitatem ſpecificã peccatorum, quæ ſuo loco ex Angelico dicta ſunt militare contrà juſtitiam commutativam, ita eædem differentiæ ſunt explicandæ in interno actu odii, ſive odium ſit triſtitia de bono, ſive complacentia, ſeù deſiderium de malo. Tandem ut poſſim

habere numerum peccatorum, debebis explicare, quot numero fuerint hostes.

4. P. Mihi ut omninò novum accidit, quòd tristitia de bono sit peccatum odii: putabam, quòd omnis tristitia de bono proximi esset Invidia; & sub hàc specie volebam confiteri tristitiam semel conceptam, quòd Petrus fuerit promotus ad beneficium?

C. Hæc tua opinio erat erronea ex multiplici capite: primò: falsum est, quòd omnis tristitia sit peccatum Invidiæ. Tristitia in appetitu sensitivo est passio, quæ potest esse bona, vel mala: in voluntate verò est actus indifferens; Utraque propterea ut judicetur bona, vel mala: dic, si tristatus fuisti de promotione Petri ad beneficium, quia fundatissimè times damnum spirituale subditis, nàm tùnc fuit bona tristitia: si doluisti, quia Petrus est indignus bonorum temporalium beneficio annexorum, fuit æmulatio, quæ ex suo genere non est peccatum mortale. Si doluisti, quia nolles Petrum habere tale bonum; hoc est formale odium. Si doluisti (notà benè) quòd Petrus habuerit beneficium, quia nolles Petrum habere plus quàm te; hoc est Invidia ex suo genere peccatum mortale, quia contrà charitatem. Igitur ut habeam peccati speciem, explicà id totum magis in particulari?

5. P. Hæc distincta explicatio summoperè mihi placet: Ut igitur scias meum peccatum, dico me etiam prætendisse dictum beneficium, pro quo habebam requisita non spernenda: Ut autem vidi col-

collatum Petro, dolui de meo infortunio.

C. Laudas, quòd ego explicem clarè omnia, sed tu semper obscurius loqueris; verumtamen ignosco tibi: nec enim tenemini vos Pœnitentes esse Theologi; sed ego peccarem gravissimè contrà meum officium, si nescirem discernere lepram à leprâ, odium ab invidiâ, & peccatum ab actione, in quâ non est peccatum, quod ultimum videris confundere in ultimâ responsione tuâ. Igitur explicà ulteriùs, an tantùm dolueris de tuo infortunio. An verò huic dolori addideris alium dolorē de fortunâ Petri. Si tantùm doluisti de tuo infortunio præscindens ab eo, quòd Petrus habuerit beneficium; non peccasti, quia doluisti de tuo malo; & hoc non est contrà charitatem, sed juxtà charitatē, quę incipit à se ipso. Si dolori de tuo infortunio addidisti alium dolorem de fortunà Petri, tùnc peccasti, non in primo dolore, sed in secundo, & videndum, an dolueris, quia erat bonum Petri: tùnc enim fuisset odium: vel an dolueris, quia nolles Petrum habere plus, quàm te: nam tùnc apprehendisti bonum Petri, ut diminutivum tuæ excellentiæ: quare fuit Invidia.

6. P. Ego, Pater, verè dolui, quòd Petrus obtinuerit, ex eo tantùm motivo, quia vellem non esse inferior Petro. Addantur illi alia complura, imò Cardinalatus ipse; dolerem unicè, quòd ille esset Cardinalis, quando ego non sim.

C. Dixi jam: si doles tantùm te non habere, quòd habet Petrus, non peccas. At si doles Petrum

trum habere, quod tu non habes, etiam si non doleres, quãdo haberes & tu, peccasti peccato Invidiæ.

7. P. Quoties, Pater, video meum hostem, totiès mihi congelatur sanguis in venis; etenim nimis injustè semper me vexat.

C. Nondum te sufficientèr explicasti: nam effectus iste potest esse naturalis; Ut pedetentim te ducam ad bonam confessionem, primò explicà, nùm videns hostem, feceris actus voluntatis contrariè oppositos charitati, odiendo illum, vel per tristitiam de suis bonis, vel per complacentiam, aut desiderium de malo, & item de quo bono tristatus fuisti, vel de quo malo complacuisti, aut desideràsti. Explicatis ita peccatis contrariè oppositis charitati, ulterius explicà, si peccasti omittendo actus charitatis eidem ex præcepto debitos?

8. P. Scio, Pater, me teneri ad subveniendum hosti posito in extremà necessitate, in quà ille nunquam fuit; & scio me teneri ad subveniendum proximo in graviori, in gravi, & in communi necessitate; sed cum ille sit multò meditior, nunquam me credidi obligatum eidem subvenire de meis superfluis?

C. Huc usque meministi speciales effectus charitatis, quos tenemur exhibere proximo in casu &c. sunt etiam signa communia amicitiæ, quæ sub mortali tenemur exhibere omnibus, ut orare pro inimicis, vel salutare, quando in civitate salutatio habetur, ut signum commune, quod indifferentèr omnibus tribui solet. Igitur ut possim scire tua

peccata,

peccata, mihi particularitèr explicà, nùm defeceris in istis?

9. P. Quòad orationem mihi videor non teneri sub mortali ad orandum particularitèr pro inimicis: & quòad salutationem fateor in meà patriâ, salutari omnes indifferentèr; propterea coram aliis, saluto meum hostem, nè sim scandalo videntibus: At inter me, & ipsum solùm non saluto.

C. In *Instruct. pro ordinandis* c. 8. n. 47. habes, quòd oratic num alius est fructus generalis, & alius particularis. Igitur non peccas mortalitèr; quando prætermittis applicare particularitèr orationes pro tuo inimico: sed si non communicares fructum generalem, in quo justi omnes totius orbis communicant, peccares tùnc mortalitèr. Missa etiam tres fructus producit: primus est generalis pro quocunque justo: secundus specialis; pro assistentibus: tertius specialissimus, pro quo offertur: Hūc ultimum in missâ, & in orationibus non teneris offerre pro tuo inimico, sed peccares mortalitèr, si orans in tuo cubiculo, nolles, quòd hostis tuus communicaret in fructu generali tuarum precum. Idem dic, si nolles eum communicare in primo fructu missæ, vel etiam in secundo, ubi adsistit. Porrò nè angaris in hoc scrupulis, adverte non esse necessarium, quòd habeas positivam, & formalem intentionem communicandi hunc fructum; quare è contrà, ut pecces, requiritur te habere formalem, & positivā intentionem excludendi hostem à generali fructu. Quòad salutationem, quia illam dicis in patriâ esse

signum

signum commune, peccasti mortaliter contrà charitatem peccato omissionis, quoties non salutasti (dummodò tu esses inferior, & ad te spectaret salutare primum: si enim hoc spectabat ad ipsum, non peccasti tu non resalutans, sed ille peccavit non salutans) etiamsi nullus adesset: quòd si adfuissent alii, tùnc præter peccatum omissionis in non salutando, peccasses etiam peccato commissionis per scandalum contrà eandem charitatem; & explicare deberes, quot numero personas affecisti scandalo.

10. P. Accedens ego, Pater, ad Urbem, cum alio Peregrino per viam rixati fuimus; & tandem percussi socium.

C. Hic simul refers duo peccata specie diversa, rixam, & percussionem. Ut fungar meo munere, debes distinctè quodlibet explicare. Ordinariè rixa incipit per verba dehonorativa. Dic ergo quas injurias protuleris in socium?

11. P. Injurias graves protuli coram sex (quandoquidem semper vis scire numerum) & illum dixi furem, adulterum, & homicidam?

C. Tres injurias protulisti specie distinctas, omnesque graves, nondum tamen habeo speciem tui peccati. Explicà ergo ulteriùs an verum, vel falsum fuerit, quod exprobrasti socio; & an publicum, vel occultum.

12. P. Fateor, Pater, publicum erat, & notum omnibus audientibus, quòd socius erat Adulter; Verum erat, quòd esset fur. nam meis oculis vidi fu-

furantem, sed solus ego sciebam: Falsum erat, quòd esset homicida: Unum peto pro meà instructione in posterum, ut dicas, an verè necessarium sit hæc omnia explicare in confessione, an potiùs id facias ad majorem tui cautelã, & mei securitatẽ.

C. Id omninò necessarium est: nam exprobrãs adulterium, quod est verum, & publicum, peccasti solùm contrà charitatem: nec enim læsisti justitiam, (quæ sola obligat ad restitutionem) quia socius non habet jus ad famam in hoc. Exprobrans furtum, estò verum, sed occultum, peccasti contrà justitiam, quia socius, quamquam verè fur, habet jus, ut non publicetur talis; quare tu teneris restituere famam, ita tamen, quòd non mentiaris, dicendo iis, qui audierunt, te locutum ex passione, laudando illum in hoc genere &c. Exprobrans homicidium peccasti etiam contrà justitiam, talitèr excedens, quòd excessus iste constituit peccatum in aliâ specie; teneriseque multò magis ad restitutionẽ, adeò, quòd, etiam, si oporteat, dicas te fuisse mentitum. Et quia potes addere, quòd illi non deponent judicium factum de Petro, quòd sit homicida, dico, quòd in tali casu etiam debes addere juramẽtum, ut medium ultimum à Deo institutum pro confirmandà veritate. Et hęc circà Rixam. Adde jam circà percussionem; & primò explicà, num socius iste fuerit Clericus; etenim tunc incidisses in excommunicationem Papæ reservatam inflictam in c. *Si quis suadẽte.* Ulteriùs quia innuisti vos fuisse Romipetas; explicà, num percusseris animo im-

pe-

pediendi accessum ad Urbem: tunc enim incidisses in aliam excommunicationem Papæ reservatam can. 10. Bullæ Cœnæ, quam non incurris, ubi percussisses absque illo animo: nam Romipeta in tali Bullà formaliter accipitur, non materialiter, ita ut sit excommunicatus, qui molestat, ut ibi asseritur, Romipetam, quia Romam petit,

13. P. Eidem etiam pluries maledixi, ut & mihi, sed in irâ, & desiderans utrique mortem, pro illo tantum instanti, quo elapso, statim cessavit malum omne desiderium, ergà me præsertim.

C. Non ideò, quòd in irà desideraveris mortem, peccasti minus, quàm mortaliter, si ex animo verè desideraSti; nam ira non aufert usum rationis. Et cum maledicere sit idem, ac malum dicere, si ex animo dixisti, quanquam in uno instanti, explicà quot vicibus maledixeris tùm illi, tùm tibi specialiter; nam hoc est peccatum omninò gravius.

14. P. Estnè peccatum sibi mortem apprecari ad fugiendas afflictiones hujus vitæ?

C. Est utique peccatum mortale: nàm est velle majus malum ad fugiendum minus: Paupertas, exilium, persecutiones, infamia, & omnia, uno verbo, mala præsentis vitæ sunt minora morte. Mors autem est minus malum peccato quolibet, etiam veniali: quare non peccas desiderando mori potius, quàm peccare, vel venialitèr.

15. P. Ego semel movi, semel induxi, & meo exemplo semel fui occasio, ut occiderentur alii, peto, an tenear restituere?

C. Quan-

C. Quando fuisti movens, & inducens, teneris restituere; & 39. propositio contrarium docens dānata fuit ab Innocentio XI. & rectè; nam ambo, utpotè causa moralis, influunt in violatione justitiæ. Ubi fuisti tantùm occasio, violasti charitatem peccato scandali, non justitiam, quæ sola obligat restituere.

CAPUT LXXI.

Sequitur eadem materia Praxis pro vitiis capitalibus.

1. QUotidiè accusant se fœminæ in generali de vitiis capitalibus. Porrò Confessor debet habere modum interrogandi (nisi aliàs pœnitens ita sit notus, ut Confessori moralitèr constet ipsum in prædictis vitiis non peccasse mortaliter) ut ex unà parte non gravet pœnitentem; ex alià eliciat, si quando mortaliter peccaverit.

2. P. Ego, Pater, sum superba, sum avara, sum Invida, sum Gulosa, sum Acidiosa.

C. Pedetentim procedamus in quolibet horum peccatorum; & primò dic, an verè cognoscas, quid sit Superbia?

3. P. Utique, Pater; audivi enim pluries, quòd Superbia esset *appetitus propriæ excellentiæ inordinatus.*

C. Tu sanè diebus Dominicis non frequentas do-

doctrinam Christianam in tuà Paræcià: nam te Parochus docuisset, quòd *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ* sit inanis Gloria; & quòd Superbia est *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut non vult homo subjici suo Superiori:* & est ex suo genere peccatum mortale.

4. P. Hoc est peccatum meum, quæ volo dominari, non subesse marito: Cibos illi non præparo, domum non curo, quòd nolim illi subesse, sed imò præesse. Memini etiam, quòd semel jussa levare festucam è terrà, respondi me nihili facere sua mandata.

C. Semper peccasti mortaliter peccato Superbiæ in ultimo etiam casu. In primis casibus ex te vides gravem esse hujusmodi inordinationem; unde non potes excusari à mortali ex parvitate materiæ, licèt ex hàc excusetur Superbia, quando levis est inordinatio. In ultimo casu nolle subjici marito in levando festucam è terrà, esset utique levis inordinatio, & per consequens veniale peccatum, nisi per rationem formalem tui motivi contempsisses totam mariti authoritatem; & gravissimus contemptus est totam contemnere. Igitur circà primum explicà numerum, & quoties id feceris; quo explicato, procede ad secundum tuæ confessionis caput, nempè, Avaritiam; In hàc enim videre debeo, utrùm etiam peccaveris mortaliter?

5. P. Quomodò in avaritià possum peccare mortaliter, si ex genere suo illa non est peccatum mortale?

C. Ego

C. Ego non te specialiùs interrogarem, nisi vidissem, quòd sub illà generali accusatione superbiæ involuisses plura, & quidem mortalia peccata. Ex multiplici capite Avaritia potest esse peccatũ mortale; ac primò si constituas in illâ finem ultimum, hoc est, si es ita disposita, ut ad conservandam pecuniam nihil sis curatura Dei, aut Ecclesiæ præcepta. Es dispositа prætereire sacrum in die festo, & operari servilitèr &c. ut vendas merces &c. quãdo ita fuisses dispositа, hìc animus est de se peccatum mortale, explicandum in confessione. Ulterius etiam deberes explicare, quotiès omisisti sacrum &c. Deficiente hoc animo, utique non peccasti mortalitèr in affectu inordinato pecuniæ, sed quia ex tali affectu ordinariè possunt contingere plura peccata, & Confessoris est, ubi pœnitens non se sufficientèr explicat, inquirere ordinaria: ideò duo mihi distinctè debes explicare: primò an ex hoc inordĩnato pecuniæ affectu processeris ad negandum, aut differendum ultrà conveniens, debitas mercedes operariis, vel ita parum provideris domui tuæ, ut inde possis argui administrator infidelis, nam in altero peccasses contrà justitiam cõmutativam, in altero contrà distributivam: secundò: debes explicare, an ex illo affectu inordinato pecuniæ, processeris ad negandam eleemosinam pauperi constituto in extremà necessitate, vel etiã pauperi constituto in necessitate gravi, aut communi, quando habes de superfluis: nam in his casibus peccas mortalitèr contrà charitatem. Igitur

ex-

explicà, nùm ad aliquid horum proceſſeris.

6. P. Ego, Pater, quòad primum caput contrà juſtitiam, nunquam negavi mercedes operariis. At nec ullus Confeſſor injecit ſcrupulum in differendo; quin imò plurimùm compaſſi ſunt ſcientes me ſentire dolores mortis, dum cogor erogare pecuniam. Pluriès eunt, & redeunt operarii, quos dimitto nùnc ſub uno, nùnc ſub alio prætextu (verè tamen ex affectu inordinato pecuniæ) ad annos, & ad luſtra differo ſolvere; vix enim mei miniſtri debitum reducunt ad memoriam, ſed fateor, quia ſemper me vident reluctantem. Sed hoc unum ſcio, quòd promptè ſolvo, quotiès judicialitèr ſum coacta, licèt nonnulli deſiſtant, quia timent meam potentiam; Alii, quia non habent, unde faciant expenſas judiciarias.

C. Verè es in peſſimo ſtatu, & in die judicii reddes rationem Deo de tot dãnis, quę tuà culpà, ſentiunt operarii conſumentes indumenta in eundo, & redeundo, differentes providere neceſſaria ſuæ familiæ temporibus opportunis ob defectum ſolutæ mercedis, unde contingit ſæpè, ut diſperdantur familiæ, cum filii non poſſint educari in ſtudiis, vel in artibus. Utinam illorum plures neceſſitas non induxerit ad gravia peccata, quæ omnia imputantur tibi, præſertim ſi diſſipes in conviviis, comædiis &c. egeantque poſteà fideles operarii. Quoniam ad annos, & luſtra dicis te diſtuliſſe mercedes, neceſſaria tibi eſt confeſſio generalis à tempore, quo cæpiſti deficere: Quia non eſt determi-

na-

natum tempus præcisum, quo peccatur in differendo, non potes accusare determinatum numerũ peccatorum, sed debes dicere tempus, in quo talitèr processisti, ex illo enim Confessor arguet numerum circumcircà peccatorum, quæ plus, minusuè commisisti: Addes etiam numerum personarũ, quas hàc dilatione vexasti, exprimens quæ tibi videantur gravius, quæ levius vexatæ, habità ratione status, temporis, & necessitatis quorumcunque, referens quidẽ te pro doctrinà universali ad Theologos; at pro casu particulari hic, & nùnc sequens magis dictamen propriæ conscientiæ; nàm vera Theologia docet utique in generali solutionem posse v. g. per mensem differri, & Confessor id in confessionali ritè docebit. At tu particularitèr cognoscis hanc dislationem prejudicare plurimùm Creditori; nec innuis Confessario, qui propterea consulit juxtà doctrinam universalem, nec aliud potest, aut debet consulere, nisi tu de Creditore aperias, quod oculis tuis vides, & manibus contractas. Porrò ut generalis ista confessio sit vera; emendato præterito, cavebis futurum.

7. P. Neque Confessarii, neque Concionatores inculcant hæc, quę tamen hodie cognosco valdè necessaria; & ut generalis confessio, cui me disponam citissimè, sit omni ex parte legitima, differe de reliquis vitiis capitalibus, quæ accusavi?

C. De Invidià, possunt videri dicta c. 69. n. 3. Circà gulã pariter considera, nùm in delectationibus cibi, & potus posueris finem ultimum, hoc est, an

parata fueris, ut has obtineres, conculcare Dei legem, & Ecclesiæ præcepta. Ubi animus iste abfuerit, quia de se Gula non est peccatum mortale, considerà, quòd totiès, quotiès peccasti mortalitèr, si comediſti, aut bibiſti; advertens, vel debens advertere, quòd talis cibus, & potus poterat gravitèr nocere sanitati, nec non totiès, quotiès peccasti mortalitèr peccato Ebrietatis in bibendo, si advertiſti, vel debuiſti advertere, quòd potus te perfectè privaret usu rationis: tertiò: si obligatus ad jejunia Ecclesiæ illa violasti, debes accusare quotiès, & quomodo violasti: si pluriès comedendo, sed cibos quadragesimales; quòd si violasti etiam per cibos vetitos, insuper accusà, nùm in ovis, & lacticiniis tantùm, an insuper in carne: quotiès etiam in die hanc, vel illa comederis?

8. P. Quid dices de Acidià, quæ sæpiùs me opprimit, & vi cujus prætermitto sæpissimè orationes, & alia pietatis opera?

C. Acidia est tædium laboris circà bona spiritualia; & opponitur charitati Dei, propterea ex genere suo est peccatum mortale. Videndum tamen est, quomodo tua hæc Acidia se habeat: etenim si tristaris; quia labor ille cedit in gloriam Dei, quotiès de hoc doluisti, totiès peccasti mortalitèr, nec excusaris ob parvitatem materiæ, quanquam dolueris de recitando ex devotione versiculo *Gloria Patri* &c. si verò non sub eà ratione doluisti, sed quia tibi molestus erat labor, peccasti etiam peccato Acidiæ, sed tantùm venialitèr in Acidià;

quòd

quòd si prætermiseris opera pietatis præcepta, v.g. recitationem officii, ad quod obligaris, tùnc commisisti duo peccata, alterum veniale Acidiæ: quòd fuit causa alterius mortalis, nempè, omissionis officii, & primum veniale est contrà charitatem Dei (quod tamen in confessione non teneris explicare) alterum mortale contrà Religionem, quæ obligat ad officium; & circà hoc in confessione teneris explicare numerum omissionum &c.

CAPUT LXXII.

Conclusio totius operis.

1. ANgelici Theologia est veluti circulus, & Corona, quæ in idem terminat, ubi incipit. Et ita S. Doctor suam Summam incipiens à Deo, intendebat illam terminare in ipsum Deum, complens illam per quæstiones de Deo glorificatore post judicium, licèt morte præventus, non potuerit complere, sed illam inabsolutam reliquerit ad tractatum de Pœnitentiâ, quæ debet esse complementum nostræ præsentis vitæ. Studui, prout mihi quidem videtur, tradere doctrinam Moralem in hoc opere juxtà sensum Sancti Doctoris; quare legenti non debebit esse mirum, si unde incepit, terminet opus, quod ad modum circuli, & coronæ, compactum est.

2. Igitur, ut adprimum redeamus p. 1. c. 1. n. 9. notatum est multa forte repetenda in hoc opere;

& addo nùnc multa sæpius repetita; sed id primò processit ex naturâ doctrinæ Angelicę. Hæc utpotè à fundamentis omnia tractans, uti super eodem fundamento multæ surgunt mensiones, ita super eàdem ratione fundamentali, Angelicus multas deduxit conclusiones; quòd autem hasce stabiliens Angelicus, cogatur pluries repetere principium talis conclusionis, est cum grandi studentium fructu: quem, & ego maximum percepi. Extrà scholam S. Thomæ ablactatus, firmandę cuilibet conclusioni, debui semper ad hibere studium ingens. At factus Angelici discipulus, video me plurima evidentèr statim deducere, percepto fundamentali principio, quod tamen ut percipiatur, est sępius inculcandum, cum omnes neque totiès inculcatũ percipiant. Exemplo sit illud axioma Theologicum, quòd *A causà primà inimpedibili, & necessariâ*, sequi potest effectus causæ secundæ impedibilis, & contingens. In hoc tanquam primo fundamento nituntur plura fidei dogmata. S. Doctor illud firmavit in suis operibus plus, quàm quadragesiès; sub variis quidem terminis, sed ad idem respicientibus; sed sub iisdem omninò terminis, relinquendo cætera S. Doctoris opera, quæ fortè non ita erunt ad manus Confessori ordinario, ter illud firmat: primò quidem 1. p. q. 14. a. 13. sibi secundo loco obiiciens per hæc formalia verba: *Omnis conditionalis, cujus antecedens est necessarium absolutè, consequens est necessarium absolutè* &c. secundò idem proponit q. 19. a. 8. pro tertiâ objectione. Tertiò

idem

idem proponit 2.2.q.171.a.6.etiam in tertio argumento, & firmat mirabilitèr, respondendo, tale principium, ita ut mihi videatur lunà clariùs, ob lucem, quam recipit ab Angelico Sole. Cum toties tamen fuerit inculcatum, cæcutivit ad illud. Petrus de Rivo docens Lovanii, quòd *à causâ inimpedibili, & absolutè neceſſariâ, ſequitur effectus inimpedibilis, & absolutè neceſſarius*. Illum tamen ad Sixtum IV. detulit Academia Lovanienſis tenaciſſima doctrinæ SS. Aug. & Th. Apoſtolicàque authoritate Petrus coactus fuit ſe retractare.

3. Hinc videt Confeſſor aliquando plurimùm prodeſſe, quòd eadem ſæpiùs repetantur. Mihi verò pœnè fuit neceſſarium ob aſſumptam methodum, qui priùs rem volui tractare funditùs; deinde compendio redigere, tertiò tandem, adaptare ad praxim. Ubi verò hæc repetitio faſtidium generet doctioribus, pertranſeant illi, nec malè habeant, quòd ſapientibus, & inſipientibus debitor, me accomodaverim capacitati horum, quibus unicè poteſt ſubveniri per iteratam repetitionem ſæpiùs dictorum.

4. Si quid diſplicui ſemper vertens ſermonem ad Confeſſorem ordinarium, habes jam ex nu. 1. quòd Angelici doctrina eſt circulus, & corona, cujus lineæ omnes ducendæ ſunt ad centrum, ſeù finem; quare ad Confeſſorem ordinarium, cujus inſtructio eſt intenta in hoc opere, omnis concluſio hujus noſtræ Moralis Theologiæ deducenda erat.

4. D.S.Th. in ſecundâ parte tractans de Theo-

logia Morali, postquã egit in particulari de virtutibus, & peccatis, ut exerceri possunt ab omnibus hominibus, à q. 161. ad finem, adhùc egit de nonnullis specialitèr pertinentibus ad aliquos homines, ut se obligatum vidit ex Scripturâ, quam, uti fundamentum, debet sibi apponere Theologus quisque, sed præcipuè Moralis. Ergo considerans verba illa 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, & Divisiones operationum sunt: & Divisiones ministrationum sunt,* cognovit in Ecclesiâ dividi primò gratias gratis datas, ut prophetiam &c. secundò: dividi vitas activam, & contemplativam: tertiò, ministeria, seù officia, & status, ut Episcoporum, Religiosorum &c. de quibus omnibus agit ad complementum Theologiæ Moralis: quare in compendio doctrinæ Angelicæ videbantur addenda hæc etiam ad plenam Confessoris instructionem?

M. Gaudeo maximòpere, quòd ex meo labore in hoc opere videam pullulare fructum optatum, qui est ex affectu ergà doctrinam Angelicam incitare Confessores ad indagandum illius ordinem, ac methodum, quà indagatà facillimè percipitur mens S. Doctoris. Et verò tu ita interrogans, videris jam præmisisse lectionem attentam secundæ partis, & præveniisti me, qui sanè volebam innnere totum processum hujusce partis; At diffusiùs agere de gratiis gratis datis, de vitis activâ, & contemplativâ, de officiis, & statibus hominum, non erat mei instituti, nam instruo Confessorem ordinarium, qui sedet in Confessionali audiendæ mul-

multitudini, seù universitati fidelium, non ut dirigat particulares ad finem determinatum; quę directio indiget scientià, & experientià omnimodè majori.

5. Qui verò in hoc opere studuimus ducere circulum, non modo scientię à S. Th. petitę, sed etiã, juxtà Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 7. circulum prudentię petitę à S. Carolo, restat, & hunc secundum concludere cum S. Carolo. In institutionibus Seminarii c. 4 dedit Ille aurea monita pro Confessoribus ejusdem Seminarii, quorum plurima videntur mihi congruere cuilibet Confessori. Omissis igitur, quę specialiter pertinent ad tales Confessores, adducam hìc pro complemento operis, quę generalitèr possunt omnibus inservire, ut per hæc adjuncta jàm adductis p. 1. c. 11. ex eodem, Confessor instructus dici possit *fidelis servus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.*

6. *Confessarius illud secum reputet, ex se, rectàque sui muneris administratione, pendere Pœnitentium in omni virtute progressum.*

7. *Quare turpe sibi fore, nisi ita vivat, & in omni vitæ parte, ita se gerat, ut ex ipsius vitâ moribusque, omnis virtutis, atque officii exempla peti possint.*

8. *Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentiâ, charitate, officii sui dignitatem sustineat, autoritatem tueatur.*

9. *Vitam, & mores pœnitentis, quantum fieri possit, exploratos habeat, ut vel ad officium revocare errantes vel in viâ Domini incitare ingressos possit.*

10. *Illud in primis, in iis, quorum confessiones audit, efficere studeat, ut eum tanquam parentem ament, ac venerentur; ideòque cum illis benignè agat, præsertim, dum confitentur (adhibitâ tamen eâ gravitate, & auctoritate, quam munus, quod gerit, & persona, quam sustinet, requirit)*

11. *Sic enim maximè sibi fidem conciliabit, efficietque, ut ejus consilia salutaria, libenti animo, & suscipiant, & exequantur.*

12. *Si cui in confessione aliquid occurerit, quamobrem illi necesse sit, longioris temporis spatio immorari, nè astantibus offensionis occasio præbeatur, Confessarius hoc in aliud tempus differat, non impositâ illi tunc quidem absolutione, vel certè, si eum tunc absolvendum judicaverit, ut possit sacram Eucharistiam sumere, id faciat, petitâ ab eo veniâ, secum eâ de re alio loco agendi.*

13. *Nihil aut ipse proponat, aut audiat à confitente ad confessionem minimè spectans: si autem aliquâ institutione quempiam indigere cognoverit, aliud sibi ad eum instituendum tempus eligat.*

14. *Si quos vitæ spiritualis amantes compererit, eis vires addat suis cohortationibus; piis colloquiis, documentis spiritualibus, orationibus, omnique aliâ ratione juvare conetur; languentes verò, desides, & à progressibus spiritualibus abhorrentes, quâcunque ratione excitare, & ad meliorem frugem reducere studeat.*

15. *Ut autem Pœnitentibus ope suâ præsto esse, ac eos ad vitæ emendationẽ, ac progressum in virtute possit excitare, utilia quædam, & sigillatim cuilibet oppositа vitio remedia in promptu habeat: maximè verò iis vitiis adversa,*

versa, quibus præcipuè obnoxios esse novit Pœnitentes.

16. *Quod ad orationem, ejusque rationem spectat, studeat, quàm diligentissimè, quibuscũque rebus poterit, pœnitentes juvare, & quibusdam regulis instruere, cogitetque parùm admodum profecturos, maximisque fructibus privatum iri, si vel nullà, vel non rectà ratione orent.*

17. Porrò ad quas unumquenque pro suo captu orationes debeat excitare, ex eodem habes p. 1. c. 11. n. 49. & p. 2. c. 30. n. 16. ex S. Thom. conditiones orationis, ut esse possit efficax.

18. *Imperitos etiam, & in discutiendâ conscientiâ minimè exercitatos edoceat, omnemque præscribat examinis modum, quo illi uti debeant, ejusque rationem ab iis exigat.*

19. *Moneat omnes, nè unquam sibi ipsis, culpæ mortalis conscii somnum capere audeant, sed contractam peccati maculam, statim sacramentali confessione eluant.*

20. *Omnes hoc salutari præcepto informet, ut, videlicet, in matutinâ oratione, se ipsos Deo Optimo Maximo, desideria sua, omnes cogitationes, actiones ejus diei, & verba offerant, ejusque gloriam solam in omnibus rebus sibi proponant.*

20. Opportunè hìc etiam cadunt monita S. Frãc. Xaverii, & excipienda non solùm propter ejus doctrinam, & sanctitatem, sed etiam propter ejus authoritatem Ecclesiasticam, quippe qui virtutum omnium splendore, jam maturus Apostolico muneri, ut in ejus festo dicitur lectione quintà pro Indiis delectus fuit cum Apostolici Nuncii potestate.

SAN-

SANCTI FRANCISCI XAVERII

Indorum, & Japonum Apostoli toto orbe, zelo Catholicæ Fidei propagandæ celeberrimi;

Ad Confessarios gravissima Admonitio.

De optimâ Sacramenti Pœnitentiæ administratione:

Ex Tursellino l. 6. Vitæ c. 17. ita prænotato.

SI quando locupletes, atque opulenti negotiatores, Magistratus, aut Præsides vitæ solutioris, ad Cõfessionem accederent, ante omnia censebat, eos sedulò admonendos, ut sumpto spatio bidui, triduive, intentius in anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia (si diffiderent memoriæ) mandarent litteris, doloriſque sensum, contritionemque à Deo supplicitèr peterent. Inde principio Confessionis rationem ab eis exquirendam dicebat munerum, curationumque quibus præessent, negotiorum, quæ tractarent, quà sedulitate, quà fide in iis se gererent, gestistentue. Quippe hisce percunctationibus explorari facilius posse, ecquid oporteret restitui, quàm si generatim interrogarentur, nunquid cuiquam restituere deberent; quia ad tales interrogationes prorsùs abnuere

nuere consueverint, seù lucri cupiditate, seù rerum insciti à excœcati: Confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam, ac remediis curandas: *Neque tamen à Confessione absolvendos illicò, sed postea quàm ea, quæ deberent, persolverint.* Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum. *Confessionem non continuò sequetur absolutio. Sed biduum, triduumvè dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim* 1. *Animorum maculas voluntariis eluant pœnis.* 2. *Si quid cui debent, restituant.* 3. *Si multatibus, si quas habent, depositis.* 4. *Redeant cum inimicis in gratiam.* 5. *A libidinis consuetudine.* 6. *Cæteriscque, quibus impliciti sunt, flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectius, quàm sequantur. Namquè istiusmodi homines in ipsâ confessione promittunt, se cuncta facturos: Post absolutionem fidei datæ immemores promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est, ut absolvendi repræsentent, quod præstare debent absoluti &c.* Confitentibus porrò, non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut prę optarent, confessiones paucas ritè factas audire, quàm multas temerè properatas. Quì enim confitentes intentius excuti posse? quì eorum odiis, fraudibus, vitiis adhiberi remedia, *nisi per otium curarentur?* an verò dubium esse, quin confessio una rectè instituta, multis cursim peractis prę ferenda sit, *Cum præsertim confessio aditum aperiat ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*; Postremò monebat Confessa-

fessarios, ut sumpto spatio, in auditas ab se Confessiones inquirentes, viderent intentius, ecquid in delictis aliorum expiandis, ipsi deliquissent, & quęcumque in alienis peccassent, confessionibus expiarent suis, eaque delicta in posterùm summà vi corrigere niterentur. Hoc quippè studium, ad rectè, atque utilitèr confessarii munus obeundum maximo adjumento futurum.

FINIS.



INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum Memorabilium
SECUNDÆ PARTIS.

A

Abortus est homicidium. 176. 16. *subjacet excommunicationi, si fœtus sit animatus: quomodò id dignoscatur; in Urbe potest absolvi à quolibet Confessore.* 177. 16.
Absolvere à peccato omissionis contrà fidem potest quilibet Confessor. 48. 1. *qui possint absolvere à peccato commissionis.* 49. 2. *& seqq.*
Abstinentia quid sit. 398. 3. *quomodò versetur circà potum.* 399. 4. *ejus actus ibid.* 5. *vitia opposita.* 412. 1.
Academia Casuum apud Patres Societatis Jesu, utilis Theoriæ, & praxi. 596. 1.
Acceptio personarum est peccatum oppositum per defectum Justitiæ Distributivæ. 150. 11. *est mortale de naturà suà.* 151. 12. *est genus. ibid.* 14.
Accusator quid faciat, aut justè accuset. 185. 3.
Acidia quid, & quotuplex. 90. 2. *vitium capitale, cujus dantur filiæ.* 92. 3.
Adjuratio, Religionis actus quid sit, & qualitèr de illà differendum. 274. 14 *qui possint adjurari.* 275. 15.
Adulatio quid sit. 251. 3.
Adoratio quid sit. 236. 2. *per se non obligat sub mortali.* 237. 3.
Adulterium quid sit: ad illud reducitur peccatum sponsæ de futuro. 435. 4.
Advocatus quomodò procedere debeat. 189. 8.

Æqui-

Digitized by Google

Æquivocatio an liceat. 343. 3. *an prolilla ſint exempla in ſcripturâ.* 315. 4.
Affabilitas quid ſit. 350. 1. *ejus actus. ib.* 2. *vitia illi oppoſita.* 351. 5.
Amare Deum ſi anima prætendat, abſque ordine ad beatitudinem, quomodò ſe gerat Confeſſor. 69. 3. *Amandus Deus ſuper omnia, & in omnibus.* 70. 4. *Amanda anima noſtra, volendo illi beatitudinem, & ut convivat Deo.* 72. 6. *amandus proximus, volendo illi beatitudinem.* 72. 7. *amandum corpus noſtrum, ut comparticeps beatitudinis.* 73. 8. *Amari, quæ creaturæ poſſint, ut finis proximus: quæ tantum ut medium.* 379. 12.
Ambitio quid ſit. 377. 9. *an mortale peccatum.* 378. 11.
Amicitia triplex, Utilis, Delectabilis, & Honeſta. Hæc ultima perfecta: primæ imperfectæ: ſed amant amicum propter ſe, nec illum ordinant in bonum proprium, ſed benè amorem, quo amicus amatur. 71. 5.
Amor benevolentiæ in Deum ſolus non juſtificat. 76. 2.
Apoſtaſia quotuplex. 31. 7. *Apoſtaſia à fide eſt circumſtantia aggravans. ibid.*
Appendere aliquid ſacrum ad collum, qualitèr liceat. 282. 4.
Artificiata, ut talia, nullam habent virtutem: quare demoni tribuendum, ſi quid producunt. 283. 5.
Aſcenſionis ovum an naturalitèr habeat talem proprietatem. 283. 5. *per Aſtra, quæ futura poſſimus cognoſcere, & quomodo: textus ad hoc S. Th.* 287. 8.
Aſtrologus ubi fortuitos eventus prædicit, dæmon ſe immiſcet. 288. 8.
Aſtutia per exceſſum oppoſita Eubuliæ, quid. 125. 3.
S. Athanaſius non æquivocavit. 345. 4.
Avaritia quid, & quando mortale peccatum. 354. 7. *ejus filiæ.* 355. 8.
Audacia per exceſſum oppoſita Fortitudini, quid. 360. 16. *de ſe non eſt mortale peccatum.* 16. 17.

Ad

Digitized by Google

B

AD Baptiſmum, ut ſit actus Religionis, quid requiratur. 260. 3.
Beatitudo correſpondens dono Intellectus, & Scientiæ. 26. 7. dono Timoris. 60. 8. dono Sapientiæ. 89. 2. dono Conſilii. 122. 8. dono Pietatis. 357. 3. dono Fortitudinis. 371. 19.
Bellum quid, an, & quando liceat. 100. 11. non licet Clericis, & quare. 101. 11.
Bibliothecæ Angelica, & Caſanattea in Urbe. 490. 21.
Blanditia quid ſit. 351. 3.
Blaſphemia quid, & quotuplex. 31. 8. Hæreticalis quomodò diſtinguatur ab hæreſi. 32. 9. ut ſit mortale peccatum ſufficit advertere ad ſignificatum. 33. 10. Blaſphemia Cordis, Oris, & Operis. 16. 11. dantur blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, & cui ſingulæ opponantur. 16. 12.
Bonitas vitæ habet maximè locum in diſtribuendis Eccleſiæ bonis. 145. 3.

C

CAmbium ſiccum prohibitum jure naturæ, civili, & Eccleſiaſtico. 220. 2. Decretalis Pii V. ſuper Cambia. 213. 6.
Cardinalium S. Congregationis de Propagandâ Fide benignitas, in excipiendis, & decidendis dubiis Miſſionariorum. 106. 16.
Caſti aptiores ad cognoſcendum futura in ſomniis. 289. 9. caſtitas habetur à Deo. 422 2. periculũ Confeſſoris circà illam. 423. 2. legat propterea ſæpè Bullas contrà ſollicitantes. ibid. quæ circà illam ſpecialitèr ſcire debeat examinandus ad confeſſiones. 548. à num. 1. ad 6. cautela in tractando de illâ ex Catechiſmo. 423. 3.
Circà Cenſuras, quæ ſpecialitèr ſcire debeat examinandus ad confeſſiones. 587. n. 1. ad 28.
Circà Cenſus Decretalis Pii V. 215. 9.

Digitized by Google

Certitudo quæ necessaria judicio. 136. 6. *ubi non adest, quid faciendum.* 138. 8.

Charitatis nomine quid veniat. 67. 2. *quatuor charitate diligenda, ut objecta materialia.* 68. 3. *formale charitatis objectum Dei bonitas habens nos beatificare.* 69. 3. *charitate diliguntur charitas, virtutes, gratia &c.* 73. 9. *ejus actus interni.* 75. 2. 78. 4. *in quæ materialia objecta explicitè tendere debeat.* 76. 3. *Actus externi.* 79. 5. *ad quos obligamur ex præcepto.* 79. 6. *& seqq. vitia opposita charitati Dei.* 89. 1. *opposita charitati proximi.* 93. 4. *opposita contrariè Beneficentiæ actui externo Charitatis, involvunt injustitiam* 104. 14.

Clementia quid. 456. 10. *quam regulam servet.* 457. 11. *an obliget sub mortali.* 459. 13.

Cæcitas mentis opposita dono Intellectus quid sit. 35. 13.

Commendatio potentiorum qualitèr attendenda in providendis beneficiis. 146. 5.

Compensatio occulta qualitèr liceat. 153. 3.

Confessio ut sit actus Religionis, quid requirat. 261. 4. *non exigit procedere ab actu perfecto charitatis.* 68. 2. *simulans confessionem an cælandus.* 583. 42.

Confessor non potens habere à Pœnitente numerum peccatorum, hauriat circumcircà. 13. 21. *Caroli V. Confessor voluit, ut ille se accusaret de peccatis, quæ committebat, ut Princeps.* 121. 7. *omittens obligare ad restitutionem, ex culpà, tenetur ipse restituere, quomodo medebitur, si deficiat.* 569. 5. 6. *ex Augustino qualitèr se debeat gerere in eradicandis vitiis.* 421. 11. *an debeat scire casus difficiliores circà impedimenta matrimonii.* 429. 9 *quomodo se geret agnoscens impedimentum occultum in confessione.* 16. 10. *quanta ejus esse debeat. Humilitas.* 470. 6. 7. *quibus debeat studere.* 479. 3. 4. *pauper quomodo studeat.* 490. 21. *quas præsertim virtutes exerceat.* 16. *quid maximè legat, dum est in Exercitiis.* 570. 45. *scientia, & prudentia illi necessaria.* 595. 1. *Instruitur circà praxim.* 595. *ad finem operis.*

ne-

neceſſaria illi ſcientia virtutum omnium Cardinalium. 359. 1. *ejus inclinatio in dandis pœnitentiis.* 457. 10. *an debeat illas dare infrà condignum.* 458. 12.
Conſanguinei Prælati ex S. Thomà præferendi cæteris paribus. 146. 4.
Conſcientia formatur per plures habitus. 1. 1.
Conſervatio ſpeciei bonum majus conſervatione individui. 424. 1.
Conſilii, quod eſt Donum, tres actus proprii, conſulere, judicare, præcipere. 121. 8.
Contentio quid ſit: eſt mortale peccatum ex ſuo genere. 98. 9.
Continentia quid ſit. 449. 2.
Contemptus pertinet ad Superbiam. 473. 10.
Contractus, in quibus, aliquid accipiens tenetur erogare pauperibus. 85. 12. *circà contractum Societatis Decretalis Sixti V.* 217. 25.
Contumelia quid ſit. 192. 2 *quando ſuſtinenda.* 193. 3.
Correctio Fraterna quando ſit in præcepto. 83. 11. *Vide: Miſericordia.*
Credendi ratio eſt, quia Deus revelavit Eccleſiæ &c. 7. 11. *tenemur credere omnia revelata, ſaltèm implicitè: quid importet credere implicitè, & explicitè.* 10 16. *quæ credenda neceſſitate medii, & quæ neceſſitate præcepti.* 12. 19. 20. *majores tenentur credere plura, quàm alii.* 13 22.
Crudelitas oppoſita Vindicationi diſtincta à Crudelitate oppoſitâ Clementiæ. 341. 8. *opponitur etiam Manſuetudini, & quomodò diſtinguatur à Severitate, & Feritate.* 462. 17. *quid ſit, ut opponitur dono Pietatis, ſive ut feritas.* 358. 4.
Curioſitas quid ſit. 482. 6. *an ſit mortale peccatum.* 485. 12.

D

Dæmonis invocatio expreſſa, & tacita, quando ſit. 279. 3. *cognoſcit quædam futura ab Angelo bono.* 288. 8. *ad aliquid eſt utilis.* 467. 3.

Digitized by Google

Damnum emergens, & lucrum ceſſans quid. 200. 8. *an exigi poſſint in mutuo.* 205. 13.
Debiti ratio diverſa conſtituit diverſam virtutem. 131. 5.
Delectatio qualitèr quærenda. 393. 3. *in matrimonio quærenda propter ſolos gignendos filios. ib. delectatio Tactus ordinata ad conſervationem ſpeciei, & ideò major delectatione guſtus.* 424. 1.
Denunciatio ſuſpectorum de fide ex præcepto affirmativo Eccleſiæ. 39. 5. *denunciandi etiam complices, & conſanguinei.* 41. 5. *omittens denunciare, poſt triginta dies incidit in excommunicationem reſervatam.* 4. 2. 5.
Deriſio quid ſit. 195. 7.
Deſiderare eſt actus imperfectus charitatis. 68. 2.
Deſperatio quid ſit; ſequitur ad ſyllogiſmum quatuor terminorum. 62. 3.
Determinare ſyllogiſmo practico media ad finem virtutis naturalis eſt Prudentiæ. Doni Conſilii eſt determinare media ad finem virtutis Theologicæ, vel etiam Cardinalis infuſæ. 112. 1.
Detractio quid ſit. 193. 4. *quotuplicitèr committatur.* 194. 5. *detrahens patri an violet Pietatem.* 324. 11.
Devotio primus actus internus Religionis. 226. 5. *an obligemur ad illum.* 227. 6.
Dignior quis dicatur pro conſequendis bonis communibus. 145. 3. *dignior etiam eligi debet ad beneficia extrà concurſum.* 148. 7. *etiam inter Regulares: mala, quæ alitèr proveniunt. ib.* 8.
Diſciplina Eccleſiaſtica quæ ſit, quam ſcire debet Confeſſor. 576. 45. 46.
Diſcordia quid. 97. 8. *mortale peccatum de ſe, & diviſum in alias ſpecies. ibid.*
Diſpenſator qualitèr peccet ex S. Thomâ. 152. 14.
Diſtinctionem ſpecificam facit terminus ad quem, non à quo. 297. 5.
Divinatio quid ſit. 278. 3. *ſpecies ejus.* 286. 8.
Doctores ultimò approbati ab Eccleſiâ. 402. 8. *Doctor debet*

Digitized by Google

bet ſcire fundamenta concluſionum. 500. 2.
Dolor putativus non ſufficit ad confeſſionem. 573. 3.
Dolus, peccatum oppoſitum per exceſſum Syneſ, & Gnome, quid ſit. 125. 4.
S. Dominici Humilitas. 466. 3.
Donationes factæ Judicibus &c. non ſuſtinetur. S. Auguſtini dictum. 190. 8.
In lineâ Donorum actus perfecti, & imperfecti. 226. 4.
Donorum correſpondentia Virtutibus, Fructibus, Beatitudinibus, ac Petitionibus Dominicis. 396. 7.
In Dubio an quis teneatur ad jejunium, Superior poteſt diſpenſare, & ita in reliquis. 405. 12.
Duellum quid ſit: ſemper eſt mortale peccatum. 102. 12.
Dulia quid. 330. 7. *an obliget de ſe.* 331. 8. *an ex præcepto Eccleſiæ.* 332. 9.

E

Ebrietas quid: eſt de ſe peccatum mortale. 415. 5. *etiam primâ vice.* 416. 6. *an liceat pro ſalute corporis.* 417. 8. *Ebrius an peccet in actionibus inordinatis, quas tunc facit.* 417. 9.
Eleemoſina pauperi data, ut oret pro nobis, non eſt in pretium. 306. 19. *quando ad illam obligemur.* 84. 12. *an fieri poſſit de illicitè acquiſitis. ib. Clericus de bonis Eccleſiaſticis tenetur ad illas ex juſtitiâ.* 86. 13.
Epicheja quid. 133. 3. *ſub ſe habet plures ſpecies.* 134. 4. *ejus actus.* 135. 5.
Epiſcopi ſunt Doctores nobis à Deo conſtituti. 63. 429. 8.
Eubulia conſiliatur de mediis. 114. 2. *virtus annexa Prudentiæ. ibid.*
Euchariſtiam ſumere, ut ſit actus Religionis, quid requiritur. 261. 5. *quid ut percipiatur fructus illius.* 262. 5.
Eventus ſequens an ſit peccatum reſpectu ponentis cauſam. 418. 9.
Eunuchus violans Caſtitatem peccat contrà naturam. 439. 9.

Digitized by Google

INDEX

Eutrapelia quid. 491. 24. *quam regulam ſervet*. 492. 25. *non obligat ſub mortali*. 493. 26. *peccata illi oppoſita*. *ib*. 27.

Examinandus ignorans doctrinam Chriſtianam eſt inexcuſabilis ab editâ Inſtructione pro ordinandis. 480. 3. *plures illius defectus in reſpondendo examini*. 584. 45. *examinãdus ad confeſſiones, quid ſpecialitèr debeat ſcire circà Virtutes Theologicas*. 499. *à n*. 1. *ad* 69. *quid circà Reſtitutionem*. 514. *à n*. 1. *ad* 41. *quid circà peccata oppoſita Juſtitiæ Commutativæ*. 525. *à n*. 1. *ad* 29. *quid circà actus Religionis*. 532. *à n*. 1. *ad* 14. *quid circà peccata per defectum oppoſita Religioni*. 541. *à n*. 1. *ad* 52. *quid circà Temperantiam*. 553. *à n*. 1. *ad* 23. *quid circà Sacramentum Pœnitentiæ, juxtà examen S. Caroli* 558. *à n*. 1. *ad* 47. *quid ulteriùs juxtà communem examinis formam*. 572. *à n*. 1. *ad* 54. *quid circà Cenſuras*. 587. *à n*. 1. *ad* 28.

F

Fama, & Honor quomodo differant. 194. 4.

Feſtorum obſervantia quid importet. 243. 12. *obligat ſub mortali*. 244. 13.

De Fide ubi agat S. Th. 4. 4. *Confeſſor debet primariò ſcire de actu, non de Habitu*. 4. 5. *duplex Fidei actus internus, & externus ib. eſt meritorius, & Confeſſor prudentèr imponit illum pro pœnitentiâ*. 5. 7. *illum præceden volitio dicitur pia affectio*. 6. 8. *ad hanc obligamur per accidens*. 6. 10. *ad juſtificationem non ſufficit fides latè dicta*. 7. 12. *requirit evidentiam, quòd Deus ſit locutus*. 8. 13. *quinque ſigna hujus*. *ib*. *particularis revelatio non creditur fide Theologicâ*. 9 14. *nèc unus articulus abſque alio*. 9. 15. *unde fidei præceptum hauriatur*. 10. 17. *etiam per accidens, & quando teneamur ad actum Fidei*. 14. 23. *etiam Catechumeni*. 14. 24. *& ſeqq. cur tempus ad illum Eccleſia non determinavit*. 16. 31. *quæ damna, ſi illam theſim* 17. *non damnaſſet Innocentius*. 17. 31. *de actu externo extat præcep-*

Digitized by Google

ceptum affirmativum, & negativum. 18. 1. *quando nos obliget primum.* 19. 2. *qui per se teneantur ex præcepto Ecclesiæ ad externam professionem.* 20. 4. *qui per accidens.* 22. 5. *peccata per se opposita actui interno.* 28. 2. *quædam illi opposita ex Ecclesiæ statuto.* 38. 2. *in fide dubius est infidelis.* 29. 4.

Filii ex thoro furtivo cur ordinariè nascantur imperfecti. 393. 3.

Finem præcipiens, præcipit simùl media. 7. 10. *finis omnium hominum est gloria Dei per salutem animæ propriæ.* 128. 11.

Fœminæ qualitèr possint se ornare. 497. 31.

Fornicatio simplex quid sit. 435. 3.

Fortitudo quid, & qualis. 361. 3. 4. *ejus materia.* 362. 5. *actus.* 363. 6. *an ejus sit se morti exponere, ut subveniatur peste infectis.* 364 7. *an pati exilium &c. propter fidem. ib.* 8. *an exponere se morti militando. ib.* 9. *an fortis delectetur in suo actu.* 365. 10. *partes integrales.* 366. 11. *an obliget ad suum actum.* 367. 12. *ut Donum, quid:* 370. 18. *an hoc donum obliget ad suum actum.* 371. 20. *peccata opposita Dono.* 372. 20. *virtutes annexæ.* 373. 1.

S. Francisci humilitas. 467. 4.

Fraterna correctio non præmittenda in delictis Sancti Officii. 41. 5.

Fraus opposita Synesi, & Gnome quid. 126. 5. *opposita Justitiæ, quid.* 198. 2. *quotupliciter committatur.* 199. 3. *estò non lædam suprà dimidium.* 199. 5. *quid sit facere in fraudem.* 403. 10. *Fraudis, & Insidiarum differentia.* 100. 11.

Fructus rerum in triplici genere. 160. 11.

Fructus Spiritus Sancti correspondens dono Intellectus, & Scientiæ. 26. 7. *dono Timoris.* 60. 8. *dono Sapientiæ.* 89. 2. *dono Consilii.* 122. 8. *dono Pietatis.* 357. 3. *dono Fortitudinis.* 371. 19.

Furtum quid sit. 179. 1. *quotupliciter committatur. ib.* 2. 3.

Digitized by Google

3. *quando ſit ſacrilegium*. *ib.* 4. *de ſe eſt peccatum mortale*. 182. 10.

G

GEnus *dum dicitur, quid colligat Confeſſor*; 397. 1.
Gnome, & Syneſis differentia: 114. 2. *habet judicare de mediis per cauſas altiores*: *eſt virtus annexa Prudentiæ*. 115. 2.
Gratiam, vel juſtitiam, etiam temporalem, impetrans ab Apoſtolicâ Sede, non poteſt retinere, ſi quid accipit pro impetrandâ. 85. 12.
Gratitudo quid ſit. 339. 4. *ejus actus*. *ib.* 5. *vitia illi oppoſita*. *ib.* 6.
Gula de ſe non eſt peccatum mortale. 412. 2. *ejus ſpecies*. 413. 3. *filiæ*. 414. 4.

H

HÆreſis *qnid ſit*. 29. 3. *diſtinguitur in plures ſpecies*. 30. 6. *quomodo diſtinguatur à blaſphemiâ hæreticali*. 32. 9. *committi poteſt in inſtanti*. *ib. interna non eſt reſervata*. 50. 4.
Hebetudo ſenſus oppoſita dono Intellectus, in quo conſiſtat. 35. 13.
Hiſtriones an peccent. 493. 28.
Homicidium, & occiſio qualitèr differant. 170. 3. *hominis occiſio licet ſoli Principi, quando vita eſt damnoſa publico*. 171. 4. *in ſui defenſionem privatus nequit illam intendere, ſed ad ſummum permittere, & quando*. 171. 5. *non ad defenſionem aliarum rerum*. 173. 6. *homicidium non præviſum cauſans, an peccet*. 173. 7. *nemo poteſt ſe occidere*. 16. 8.
Honeſtas, pars integralis Temperantiæ quid ſit. 395. 6.
Honor an expeti poſſit. 374. 2. *qui verus, & qui falſus*. 378. 10.
Humilitas quid. 465. 2. *an debeamus ſubiicere nos omnibus, & quomodo*. 466. 3. *an, & quando ſub mortali obliget*. 468.

Digitized by Google

468. 5. *gradus assignati à S. Benedicto*. 469. 6.
Hyperdulia quid sit. 330. 7.
Hypocrisis quid sit. 348. 9. *an de se peccatum mortale*. *ib*. 10.

I

Reverendiss. Pater Jacobus Riccius quantùm profuerit Confessoribus. 596. 2.
Januensium fœminarum superstitio. 290. 9 *fortium divisio licita*. 291. 11.
Jejunium actus Abstinentiæ. 399. 5. *ad quid præceptum lege naturę*. 400. 5. *ex lege Ecclesię duo importat præcepta*. *ib*. 6. *negativum est principale*. 401. 7. *deobligatus ab qvis tenetur ad unicam comestionem*. *ib*. & *ad hanc tenetur deobligatus à carne juxtà declarationem*. *ib*. *qualitèr unica comestio cadat sub præcepto affirmativo*. 401. 8. *permissa collatio serotina*. *ib*. *comedens carnes, & lacticinia peccat totiès, quotiès*. 403. 9. *an peccet comedens ante meridiem*. 405. 11. *qui teneantur jejunare*. *ib*. 12. & *seqq*. *dispensatus à carne, an possit comedere quascunque carnes*. 407. 15.
Ignorare aliquid esse peccatum, quod re verà est, quale damnum inferat. 434. 13.
Immodestia quid sit. 491. 23.
Immunditia nocturna quando imputetur peccato. 419. 9. *an possit permitti*. 440. 11. *an impediat communionem*. 443. 2.
Impaviditas opposita Fortitudini. 369. 15.
De Impedimento dirimente matrimonii certus, neque potest petere, neque reddere: dubius potest reddere, non petere. 430. 10. *Vide*: Matrimonium.
Impietas quid. 324. 10. *habet actus specie diversos*. 326. 14. *de se est peccatum mortale*. *ib*. 15.
Inanis gloria quid. 380. 13. *an sit vitium capitale*. 381. 14. *ejus filiæ* 382. 15.
Incarceratio, an, & quando liceat. 175. 11.

Digitized by Google

Incæſtus quid. 436. 6. *an gradus in eo explicandi. ib.*
Inconſideratio peccatum oppoſitum per defectum Syneſi, & Gnome. 123. 4.
Inconſtantia per defectum oppoſita Prudentiæ in ſuo actu. 123. 5.
Incontinentia quid ſit. 450. 2.
Ingratitudo, & ejus actus. 340. 6.
Injuria ex charitate remittenda. 155. 4.
Injuſtæ acceptioni rerum cooperatur quis novem modis, qui explicantur. 162. 14.
Inobedientia quid ſit. 335. 16. *includit ſuperbiam.* 474. 11.
S. Inquiſitionis Edictum de revelandis delictis ad ipſum ſpectantibus. 44. & *ſeqq.*
Inſenſibilitas quid ſit. 434. 1.
Inſidiæ licent in bello. 101. 11.
Inſinuationis, denunciationis, & accuſationis differentia. 185. 3.
Inſtruct. pro ordinandis *conſulenda ignoranti doctrinam Chriſtianam.* 537. 25.
Intellectus Donum quid judicet. 23. 2. *in Juſto ejus actus præcedit actum Fidei: In peccatore præcedit actus in liueà Doni imperfectus.* 24. 3. *extat præceptum habendi hos actus.* 25. 4 *ſed obligat per accidens. ib.* 5.
Invidia quid. 95. 6. *eſt vitium capitale, danturq; filiæ.* 97. 7.
Ira Manſuetudini oppoſita quid. 453. 6. *an de ſe peccatum mortale. ib.* 7.
Judex quid faciat, ut juſtè judicet. 185. 2. *Judicis, Rei, Accuſatoris, Advocati, ac Teſtis peccata de ſe ſunt mortalia.* 190. 9.
Judicium duplex, per connaturalitatem, & rationis inquiſitionem: explicatur differentia. 2. 3. *Pontifex eſt infallibilis in ſecundo.* 3. 3. *Confeſſor in dirigendo debet uti ſecundo; ſed optimum erit habere, & primum. ib. Judicium quid ſit.* 135. 6 *quam certitudinem exigat.* 136. 6. *ejus à ſuſpicione differentia.* 137. 7. *Temerarium eſt mortale peccatum. ib. ubi deeſt certitudo, quomodo*

Digitized by Google

ſe geret homo in judicando. 138. 8. *duæ judicii conditiones*. 139. 9. *ad actum judicii tenetur habens juriſdictionem* 140. 10.

Juramentum de ſolvendis uſuris an ſervandum. 215. 17. *quid ſit juramentum*. 266. 2. *quæ*, & *quot conditiones*, & *quid ſingulæ importent*. 267. 3. *quomodo accipiendum*, *quando intelligitur diverſimodè*. 269. 6. *an liceat jurare per creaturas*. 270. 7. *an teneamur exequi*, *quod juravimus*. 271. 9 *Promiſſorii duplex veritas*. *ib. ſervandum*, *niſi ſit vinculum iniquitatis*. 272. 9. *an jurans Graſſatori pecuniam teneatur mittere*; *quid ſi juret eum cælare Principem*. *ib. quid ſi juret non ingredi Religionem*. *ib. an liceat jurare ſine animo jurandi*, *ſe obligandi*, *aut exequendi*. 272. 10. *quando deobligemur ſervare*, *quod licitè juravimus*. 273. 11. *an obligemur aliquando jurare*. *ib.* 12. *an poſſit relaxari: Epiſcopus relaxat in dubio*. 274. 13. *Promiſſorium obligat juxtà leges*. 302. 9. *obligatione perſonali*. *ib. quando pejeret jurans ex habitu*. *ib.*

Jus in re, & *Jus ad rem*. 156. 2.

Jus quid ſit, & *quotuplicitèr dicatur*. 130. 2. & *ſeqq.*

Juſtitia eſt in voluntate. 129. 1. *quotuplex ſit*. 131. 6. *Legalis in quibus ſit*: *eſt maximè in Confeſſore*. 133. 3. *an ſub ſe habeat plures ſpecies*. 134. 4. *ejus actus judicium authoritativum*. 135. 5. *Peccata illi oppoſita non habent nomen*, *ſed explicantur*. 140. 11. *Diſtributiva ſervat proportionem Geometricam*. 143. 1. *quæ bona diſtribuat*. 144. 2. *dividit illa in bonum Reipublicæ*; & *quid per hoc intelligatur*. 144. 3. *quas circumſtantias conſideret*. 145. 4. *qui obligetur ad illius actum*. 149. 9. *Peccatum illi oppoſitum per exceſſum non habet nomen*: *qui peccent illud*. 150. 10. *Vindicativa qualitèr differat à Diſtributivà*. 154. 1. *Commutativæ peccatum oppoſitum per exceſſum in quo conſiſtat*. 166. 1. *diſtinctio oppoſitorum per defectum*. 167. 2. *in iis ultrà damnum conſideranda eſt injuria*. 168. 2. *ſunt de ſe mortalia*, & *quando tran-*

Digitized by Google

transeant in aliam speciem. 175. 12. 13. *Justitia in pœnis habet latitudinem, sicuti pretium morale* . 456. 10.

L

Laus Dei quid sit. 228. 8.
Leges diversas violans, quæ tendunt ad eundem finem, committit unicum peccatum. 221. 3.
Libelli Anonymi in vim quid possit Superior. 186. 4. *Author, si calumnietur detegendus, & castigandus. ib.*
Liberalitas quid sit. 352. 4. *ejus actus* . 353. 5.
Libri hujus finis. 376. 5. *libros prohibitos legens quid incurrat*. 483. 9.
Litigium quomodò à Contentione distinctum. 351. 3.
Locutiones in fide suspectas Ecclesia prohibet. 42. 6.
Lothebrius quid peccaverit. 420. 9.
Lovanienſis Academia tenacissima SS. Augustini, & Thomæ. 659. 2.
Ludi quales esse debeant. 495. 29.
Luxuria quid. 434. 1. *quotuplex*. 435. 2. *est peccatum mortale*. 445. 5. *ejus filiæ* . 446. 6.

M

Magnanimitas ut integralis pars Fortitudinis, in quo consistat. 366. 11. *in quo ut pars potentialis* . 373. 1. *tendit in magnos honores*. 374. 2. *ejus proprietates*. 375. 5. *an obliget sub mortali*. 376. 6. *vitia illi oppositæ*. 377. 7.
Magnificentia quid sit. 384. 17. *vitia illi opposita*. 385. 18.
Maledictio quid sit. 195. 8.
Mansuetudo quid sit . 451. 3. *an obliget sub mortali*. *ib.* 4. *quàm grave possit esse vitium illi oppositum per aefectum*. 452. 5.
Materiæ parvitatem an admittant peccata contrà Fidem. 43. 7. *an Desperatio*. 63. 3. *an Præsumptio*. 64. 4. *an Acidia*. 91. 2. *an cætera peccata charitati opposita*. 121. 21. *an Judiaium temerarium*. 137. 7. *an Aceeptio per-*

Digitized by Google

personarum. 151. 13. *An, & quæ peccata Justitiæ Commutativæ opposita.* 176. 14. *An Rapina, furtum, & Sacrilegium.* 182. 11. *an Restitutionis omissio.* 165. 18. *an peccata Judicis &c.* 190. 10 *an peccata, quæ verbo committuntur extrà judicium contrà Justitiam.* 196. 10. *an peccata in commutationibus voluntariis* 208. 18 *an præceptum audiendi sacrum.* 239. 8. *An observantia festorum.* 244. 14. *an Votum.* 250. 4. *an in susceptione sacramentorum.* 264. 10. *an in juramento.* 268. 4 *an peccata per excessum opposita Religioni.* 292. 14. *an Tentatio Dei.* 296. 4. *an Sacrilegium.* 300. 8. *an Simonia.* 314. 27. *an Impietas.* 326. 16. *an Inobedientia.* 336. 17. *an omissio Fortitudinis.* 368. 14. *an peccata Fortitudini opposita.* 369. 15. *an Jejunium.* 407. 14. *an Ebrietas.* 416. 5. *an Luxuria.* 445. 6. *an Superbia.* 44. 12. *an lectio librorum prohibitorum.* 485. 13.

Matrimonium in præcepto multitudini, non singulis. 425. 1. *quid sit.* 426. 3. *B. Virginis cum S. Joseph spiritualitèr, non carnalitèr perfectius. ib. quæ personæ sint legitimæ ad illud.* 427. 4. *impedimenta illud dirimentia lege naturæ.* 427. 5. *lege divinà. ib.* 6. *lege Ecclesiæ.* 428. 7. *lex civilis nequit constituere impedimenta.* 427. 4. *impedientia.* 428. 8. *si dubitetur, an horum aliquod cessaverit, recurrendum ad Episcopum.* 429. 8. *an simplex Confessor debeat scire casus circà hæc impedimenta. ib.* 9. *ordinatum etiam in remedium concupiscentiæ.* 431. 10.

Medicus quomodò procedat. 189. 8.

Memoria hominum labilis. 500. 2.

Mendacium quotuplex. 346. 7.

Mensuræ stabiliendæ à Principe. Utens falsis peccat contrà Justitiam Legalem. 202. 9.

Mercator an possit supponere unam mercem pro aliâ. 202. 9. *an vitiosam.* 303. 10.

Misericordia dicit duos actus. 78. 4. *distinguitur à charitate, sed illi subordinatur. ibid. quando, & quomodò tenemur*

nemur ad actum Misericordiæ in nos. 81. 9. quando, & quomodò in proximum ad actus externos. ib. 10. 11. Vide. Eleemosina.

Moderamen inculpatæ tutelæ quid importet. 172. 5.

Modestia quid sit, ejusque species. 488. 19. quam regulam servet. 490. 20. an obliget sub mortali. ib. 22. peccata illi opposita. 491. 23 Modestia in ornatu quæ sit. 496. 30. Ex Mæcenatum defectu scientiæ non vigent. 494. 28.

Mollities opposita Perseverantiæ quid sit. 388. 6.

Monialium Confessor qualitèr Affabilis esse debeat. 351. 2.

Musici ad delectandum innocentissimi. 494. 28.

Mutilatio membrorum quando liceat. 174. 9.

Mutui, & Commodati differentia. 161. 12. quæ cadant sub contractu Mutui. 204. 12.

Mysterii multiplicatio in Sacrâ Scripturâ non facit æquivocationem. 345. 4.

N

IN necessitate extremâ consumens, quod ab alio accepit, non tenetur restituere. 180. 6.

Negligentia peccatum oppositum per defectum Prudentiæ, quatenùs exigit sollicitudinem in exequendo. 123. 6.

Negotiatio an sit licita. 203. 11.

Nimia lenitas, peccatum oppositum per defectum Mansuetudini. 461. 15. de se non est mortale. ib. 16.

O

OBedientia quid sit. 333. 10. an semper illam violet peccans mortalitèr. ibid. 11. an obliget sub mortali. 334. 12.

Oblatio ad altare quando non possit recipi ex illicitè acquisitis. 85. 12. Oblatio quid sit. 241. 11. an teneamur ad illam. ib. jus illas percipiendi est spirituale. ib.

Observantia quid sit. 328. 1. an specie multiplex. 329. 2. quos per illam colamus. ib. 3. peccata illi opposita. 330. 5. quæ illius partes. ibidem. Observantia vana quid,

&

& quotuplex . 292. 12.
Odium eſt genus habens ſub ſe plures ſpecies . 89. 1. *quid ſit*. 94. 5.
Omen quid ſit . 290. 10.
Opera in naturæ commodum à Juſto facta ſunt meritoria . 71. 4.
Oratio ſecundus actus internus Religionis. 228. 7. *quid ſit* . *ib.* 8. *importat duos actus, & an teneamur ad utrumque. ib.* 10. 11. *an debeat eſſe vocalis, vel mentalis* . 220. 12. *Attenta ſit ita, quòd mens elevata ſit in Deum*. 231. 13. *pro quibus orandum* . 232. 14. *an petenda ſint temporalia*. 233. 15. *quas conditiones debet habere, ut ſit efficax ad impetrandum*. 234. 16. *quid in eâ cavendum, nè reddatur ſuperſtitioſa* . 281 4. *ſine jejunio non ſemper efficax* . 411. 20. *orationis tempore vacandum ab actu conjugali* . 431. 10.
Ad Ordinis ſacramentum, ut ſit actus Religionis, quid requiratur. 363. 8.
Ordinandi ad titulum Miſſionis *juramentum de non intrando Religionem, an liceat* 272. 9.
Ornatus vanus an ſit peccatum. 496. 30. 31. *an illum vendere poſſint artifices*. 498. 32.
Oſcula nùm liceant . 444. 2. *quando ſint libidinoſa* . *ib.* 3. *quare non liceant extrà matrimonium* . 445. 4.

P

PArocho ex juſtitiâ debentur oblationes: illas poteſt dimittere, ſed non jus percipiendi . 242. 11. *quando teneatur offerre ſacrificium pro ovibus*. 212. 3.
Patientia quid ſit . 387. 2. *non poteſt haberi ſine charitate* . 16. *an obligemur ad ejus actum* . 386. 3. *quàm ſit neceſſaria* . *ib.* 4.
SS. Patres, Angelicì exemplo, colendi: ab iis haurienda Moralis . 480. 14. 15.
Patres ſtudioſi cur ordinariè generent filios ſtolidos. 393. 3.
Peccata in Edicto S. Officii contenta non omnia ſunt reſervata. 140. 5.

Digitized by Google

Pecunia, quæ cràs minùs valebit, an hodie possit expendi pretio currenti. 203.10.
Ob periculum aliqua prohibentur. 221.4.5.
Periurum an sit sacrilegium. 301.9.
Pertinacia requisita ad hæresim quid importet. 29.3. *quomodo Confessor procedat cum allegante ignorantiam invincibilem definitionis Ecclesiæ.* 29.5. *quid sit, ut opponitur Perseverantiæ.* 388.6. *diligentia Confessoris in hàc eradicandà.* 389.6.
Philotimia tendit in mediocres honores. 374.3.
Petrus de Rivo quid retractare coactus ab Apostolicà Sede. 659.2.
Pietatis Virtus quid sit. 319.3. *quæ objecta respiciat.* 320.4. *habet duos actus.* 321.5. *an habeat plures species. ib.* 6. *an de se obliget sub mortali.* 322.7. *an lex humana determinet ad aliquos actus illius.* 323.8. *peccata illi opposita per excessum, & defectum.* 323.9. *violatur etiam peccatis contrà Castitatem* 325.13. *Pietatis Donum quid sit.* 357.2. *peccata illi opposita.* 358.4.
Pœnam intendere, ut malam patienti; est odisse. 154.2. *solus Princeps potest inferre pœnam ad bonum commune.* 154.3.
Ad Pœnitentiæ sacramentum, ut sit actus Religionis, quid requiratur. 263.6.
Pœnitentis dicto, pro se, & contrà se standum in confessione, & quomodò. 180.5.
Pœnitentiæ à Confessore imponendæ violantibus virtutem Fidei. 51.7. *peccantibus contrà Virtutem Spei.* 64.5. *violantibus Charitatem* 110.22. *contrà Prudentiam.* 128.11. *contrà Justitiam legalem.* 142.14. *contrà Justitiam Distributivam.* 153.17. *contrà Justitiam commutativam, lædendo proximum in vitâ.* 177.17. *lædendo in bonis fortunæ.* 183.14. *lædendo famam in judicio.* 192.13. *lædendo famam extrà judicium.* 197.12. *lædendo proximum in commutationibus voluntariis.* 210.21. *omittenti actus internos Religionis.* 234.18. *omittenti actus externos.*

Digitized by Google

245. 17. *violanti vota*. 257. 14. *omittenti ſuſcipere ſacramenta*. 265. 14. *violanti Religionem per exceſſum*. 293. 16. *violanti per defectum*. 317. 31. *violanti virtutem Pietatis*. 327. 19. *violanti Obedientiam, & Obſervantiam*. 330. 20. *violanti Veracitatem*. 349. 12 *violanti Affabilitatem, & Liberalitatem*. 356. 9. *violanti Magnanimitatem, & Magnificentiam*. 385. 19. *violanti præceptum Jejunii*. 411. 20. *peccanti contrà Abſtinentiam, & Sobrietatem*. 420. 11. *peccanti contrà Caſtitatem*. 448. 9. *peccanti per Superbiam*. 475. 14. *violanti Studioſitatem*. 486. 16.

Poſſeſſor bonæ, aut malæ fidei quis dicatur. 160. 9. *quid teneantur reddere ſinguli. ib.* 10.

Potus quid ſit. 407. 13.

Præcepta nùm multiplicanda: ſingulare dictum S. Auguſtini. 334. 15.

Præcipitatio per defectum oppoſita Syneſi, & Gnome, quid ſit. 123. 4.

Præſumptio duplex ut oppoſita Fidei quid ſit. 63. 4. *oritur ex ſuperbiâ*. 64. 4. *quid ſit, ut opponitur Magnanimitati*. 377. 8. *qualitèr tractandi Præſumptuoſi*. 65. 5.

Pretium rei quando poſſit augeri. 199. 4. 200. 7. *duplex, aliud legale, aliud morale: hoc eſt triplex*. 200. 6.

Princeps in judicando quotuplicitèr peccet. 140. 9. *eſt diſpenſator, non dominus*. 254. 8. *an, & quando reis ad mortem debeat concedere tempus pro ſacramentis*. 460. 14. *quas artes debeat prohibere*. 498. 32. *nunquam judicat in propriâ causâ*. 155. 4. *in rapiendo peccat gravius aliis*. 181. 9.

Prodigalitas quid ſit. 353. 6.

Proportio, ſeù Æqualitas Arithmetica, & Geometrica quid ſit. 143. 1.

Propoſitiones prohibitæ circà fidem, & peccata oppoſita. 51. 8. *circà Spem, & Timorem*. 66. 7. *circà Charitatem*. 108. 19. *circà Prudentiam*. 127. 9. *circà Juſtitiam legalem*. 141. 12. *circà Diſtributivam*. 152. 15. *circà Reſtitutionem*.

tionem. 165. 19. *circà peccata in vitam proximi.* 176. 15. *circà peccata in rem proximi.* 182. 12. *circà peccata, quæ verbo committuntur in judicio contrà proximum.* 191. 11. *circà peccata, quæ verbo extrà judicium committuntur contrà proximum.* 196. 11. *circà peccata in commutationibus voluntariis.* 208. 19. *circà actus internos Religionis.* 234. 17. *circà actus externos Religionis.* 245. 15. *circà Votum.* 257. 12 *circà susceptionem Sacramentorum.* 265. 12. *circà Juramentum.* 275 16 *circà sacrilegium.* 317. 30. *circà Pietatem.* 327. 18. *circà Obedientiam.* 336. 18. *circà Veracitatem.* 349 11. *circà Jejunium* 410. 19. *circà Gulam.* 420. 10. *circà Probabiliſmum, & actum conjugalem.* 433 13. *circà Studioſitatem.* 486. 15. *laudantur, qui addiſcunt illas memoritèr.* 524. 41.

Prudentiæ quid competat. 113 1. *quomodo ib.* 2. *ejus actus.* 115. 2. *conditiones, ut actus ſit perfectus.* 115. 3. *commendantur Confeſſori à Rituali ib. eſt genus Virtutis, & dantur ſpecies.* 118. 4 *an obliget ad ſuum actum.* 119. 5. *an ſub mortali.* 120. 6. *obligat per accidens ib.* 7. *Prudentia carnis peccatum oppoſitum per exceſſum* 126 6.

Pudicitia quid ſit. 443. 1 *quid regulet.* 444. 2.

Puſillanimitas quid ſit. 383 6.

R

Rapina quid ſit, & quotuplex. 181. 8. 9. *eſt mortale peccatum.* 182. 10.

Raptus quid ſit. 437 7.

Regularis Superior peccat permittendo gravia delicta ſubditi amici, & caſtigando levia in illo, cujus non ſperat ſuffragium. 188 5. *an teneatur offerre ſacrificium pro ſubditis* 212 4.

Religio quid 224 2. *poteſt præcipere actus omnium virtutum ib. an ſit virtus Theologica.* 225. 3 *ejus actus interni.* 226 5. *externi* 235. 1.

Religioſo, qui diù vixit purus, graviſſimum ſe detegere, ſi quando labatur ex fragilitate. 541. 1. *bonus quanti factus à Pio V.* 222. 6.

Re-

Reſervationi an, & quæ peccata contrà fidem ſint ſubjecta. 48.1.2.3.4. *an Deſperatio.*63.3. *an Præſumptio.*64.4. *an peccata contrà Charitatem.* 109. 20. *an peccata contrà Prudentiam.* 127. 10. *an peccata contrà Juſtitiam legalem.*141.13.*an peccata contrà Juſtitiam Diſtributivam.* 152.16.*an peccata in vitam proximi.*176. 16. *an peccata in rem proximi.* 182. 13.*an peccata verborum in judicio contrà proximum.* 191. 12. *an peccata extrà judicium contrà proximum.* 196. 11. *an peccata in commutationibus voluntariis.* 209. 20. *an peccata in actibus externis Religionis.* 245. 16. *an violatio voti.*257.13.*an omiſſio ſacramentorum.* 265.13. *an peccata per exceſſum oppoſita Religioni.* 293. 15. *an eidem oppoſita per defectum.*314. 28. *an Inobediendia.*336.19.

*Reſtitutio quid ſit.*158.4 *obligat ſemper, & ad ſemper ib.*5. *quomodò reſtituendum, quando idem nequit reſtitui. ib.*6. *quomodo impedientes alteri conſecutionem rei.* 159. 7. *ejus radices. ib.* 8. *perdens commodatum abſque culpâ, non tenetur reſtituere, ſed benè perdens mutuum.*161.12. *qui reſtituere teneantur ex re acceptâ. ib. qui ex acceptione injuſtâ. ib.*13.*quo ordine reſtituendum, ubi plures obligantur.*164 15.*impoſita, ut pœna debetur poſt ſententiam Judicis.ib.*16.*obligat ſub mortali.*165 17.

Reſtrictio mentalis nùm aliquando liceat. 343. 3. *an pro illâ ſint exempla in Scripturâ.*345 4.

*Revereri filium an pater teneatur.*325.12.

*Reus quomodo procedat in judicio.*187.5.*an poſſit fugere ib.*

*Rixa quid ſit, & quando peccatum.*146.4.

*Ruralis Eccleſia quomodo providenda.*146 4.

Ruſtici qualitèr incitandi ad amorem Dei. 74.5.

S

Sacerdotis inordinata cupiditas audiendi confeſſiones retunditur dicto S. Auguſtini. 96. 7. *an teneatur celebrare.*239.5.*quid obſervare celebrando.ib.* 10.*an ſine paramentis poſſit celebrare ut conſecret pro Viatico. ib. ut*

conferat sacramenta, qualitèr esse debeat in gratiâ. 262. 5. *impotens sibi providere libros, quid faciat.* 490. 21. *adesse, qui celebret cum fasce peccatorum, Author non credit.* 542. 1.

Sacramentalia quot sint: sumere illa est actus Religionis: quid requiritur, ut dignè sumantur. 264. 11.

Sacrificium quid sit. 237. 4. *ad illud tenemur omnes, & quomodò.* 238. 5 *quando, ex præcepto Ecclesiæ teneamur illi adsistere ib.* 6.

Sacrilegium quid, & quotuplex. 297. 6. *de se est peccatum mortale.* 298. 7.

Sævitia quid sit: opponitur dono Pietatis. 463. 17.

Sanctorum invocatio sub quâ virtute præcipiatur. 332. 9.

Sapiens dominabitur astris: *quomodo intelligatur ex S. Th.* 287. 8.

Sapientiæ Donum quid sit, & qui actus ejus. 87. 1.

Satisfactio imposita in Bullâ Cœnæ quid importet. 166. 20.

Scandalum quid sit. 104. 15. *scandalo inducens ad furandum, non tenetur restituere. ib. &* 161. 13 *est genus. ib.*

Schisma quid sit: de se est peccatum mortale: an semper conjungatur hæresi. 99. 10.

Scientiæ donum quid sit. 25. 6. *scientias addiscere non est de se malum, sed ob periculum.* 483. 8.

Seditio quid sit, & quando mortale peccatum. 103. 13.

Servitium Ecclesiæ non persona est considerandа in distribuendis Ecclesiæ bonis. 145. 4.

Severitas quid sit. 463. 17.

Sicarius non potest sibi retinere quod solvitur ob homicidium. 85. 12.

Simonia quid. 303. 10. *importat contractum oneroſum. ib.* 11. *an pecunia possit accipi pro sacramentis ib.* 12. *quid, si aliàs nollet Sacerdos baptizare.* 304. 13. *qualitèr pecuniam exigat absolvens ab excommunicatione. ibid.* 14. *qualitèr detur impedituro consecutionem beneficii. ib.* 15. *qualitèr pro matrimonio. ib.* 16. *an pro actibus spiritualibus.* 305. 17. *an ex officio administrans sacramenta &c.*

possit

possit illa denegare, si denegetur stipendiu. 306. 18. *Actus, qui requirunt missionem pretio non subjacent, quoad laborem.* 396. 20. *pro ingressu Monasterii nequit dari pecunia, neque pro gradu Religionis.* 308. 21. *quomodo vendi possint annexa spiritualibus.* 309. 22. *quæ spiritualia possint commutari. ib.* 23. *an superior possit conferre beneficium: ob servitia sibi præstita, vel ad preces.* 310 24. *quotuplex sit.* 311. 25. 26. *de se peccatum mortale.* 314. 26.

Simulatio quid sit. 347. 8.

Sobrietas quid sit. 409. 17. *an obliget sub mortali.* 400. 18. *vitia illi opposita.* 415. 5.

Societas Jesu amantissima Castitatis prohibet doceri, quòd ex parvitate materiæ reddatur veniale peccatum contrà illam. 446. 6. *ejus Superiores immediatè administrant sacramenta subditis.* 212. 4.

In solidum quis dicatur obligatus. 163. 15.

Sollicitatus in confessione, quomodo se geret denunciando. 41. 5.

Sollicitudo temporalium, & Sollicitudo futurorum quid sint. 126. 7. 8.

Ex Somniis quid possimus præcognoscere. 289. 3. *neque credendum, neque dissredendum illis. ib.*

Somnus quare non sit peccatum, cum impediat usum rationis. 417. 7.

Sortium divinatio qualiter licita. 290. 11.

In specie non modo, sed & in diverso genere constituunt peccatum Agens, & Patiens. 439. 9.

Spes firmat desiderium. 53. 2. *Theologica respicit quatuor causas. ib.* 3. *quando, & ad quos actus Spei teneamur.* 54. 4. 5. *ex præcepto Ecclesiæ tenemur per accidens. ib.* 6.

Status dari nequit, in quo Deus ametur absque Spe, & Timore. 61. 1.

Stipendium à quo dandum Judici, Advocato, ac Testi. 190. 8.

Studiositas quid sit. 478. 2. *quam regulam servet. ib.* 3. *an obliget sub mortali.* 480. 4. *peccata illi opposita.* 481. 5.

Digitized by Google

quando peccetur in ſtudendo. 482 6. *& ſeqq.*
Stultitia, peccatum contrà donum Sapientiæ quid ſit. 107. 18.
Stuprum quid ſit. 436.5. *eſt tale, quamvis puella conſentiat, & quomodò.ib.*
Sublunaria habent vim cauſandi, & ex naturà propriâ, & ex motu cœlorum. 282.5.
Superbia quid ſit. 472. 9. *quomodò diſtinguatur ab Inobedientiâ.* 473.10. *importat contemptum. ib. Superbiæ ſpecies.* 477.13.
Superiores vix ſe accuſant de peccatis omiſſionis in gubernio. 121.7. *quid conſiderabunt in providendo bonis Reipublicæ.* 145.4. *quid faciant ſubditis ſibi caris.* 147.6.
Superſtitio quid ſit: Regula S. Auguſtini ad cognoſcendum, quando cultus ſit ſuperſtitioſus. 276. 2. *in quibuſdam habet locum ſimplicitas fœminarum objurganda, ſed, ubi eſt peccatum mortale, reus denunciandus.* 284. 5. *ſpecies ſuperſtitionis. ib.* 6. *an ſit reſervata in Urbe.* 285.6.
Suſpicio quid ſit. 137.7. *de ſe non eſt peccatum mortale, niſi quando gravitèr nocet. ib.*
Suſurratio quid ſit. 194. 6.
Syneſis à Gnome differentia. 114. 2. *judicat de mediis per cauſas ordinarias. Virtus annexa Prudentiæ.* 115.2.

T

TAlionis pœna quæ ſit. 186 4.
Temperantia quid ſit. 392 2. *quam regulam ſervet. ib.* 3. *an obliget.* 393 4. *vitia illi oppoſita.* 394. 5. *partes integrales.* 395.6. *Donum correſpondens eſt Timor Dei.* 396.7.
Tentatio Dei quid ſit. 295.2. *de ſe peccatum mortale.* 296.3. *an habeat diverſas ſpecies.* 297 5.
Teſtis quomodò procedat in judicio. 188. 6. *an ſuprà duos, vel tres exigi poſſint.* 189.7.
Theologia Moralis utilitèr in compendium redacta. 500.2.
S. Thomæ doctrina velut i circulus. 657 1. *quam ſæpè firmet illud principium:* A causà inimpedibili, & neceſſa-

Digitized by Google

rià ſequi poteſt effectus impedibi lis, & contingens.
Timor quintuplex,& quilibet explicatur.55.1.& ſeqq.Servilis eſt bonus, ſi excludit voluntatem peccandi, quam non excludit dicens: Doleo ex metu gehennæ, ſed, ſi hæc non eſſet, non dolerem. 57. 3. *quomodo reſpiciat principalitèr malum. ib. ad actum hujus timoris obligamur per accidens.58.4 qui ſit timor filialis. ib.5. Initialis eſt mixtus ex utroque.ib.6 quę perfectio requiratur in timore juſtificante.59.7.mundanus opponitur Fortitudini. 369.15.Timor coercet etiam beſtias.423.2.*

V

VEnereus actus ut ſit bonus,quid requirat.425.2.an omni culpà vacet inter conjuges. 430.10.an vacet culpà petitus ad evitandum propriam incontinentiam.432.12.
Veracitas quid ſit.342.2. ejus actus. 346.5. vitia illi oppoſita.ib 6.
Verba ex ſe nullam habent virtutem,ſed ex dæmone.283.5.
Verberatio an, & quando liceat. 174.10.
Verecundia pars integ; alis Temperantiæ quid ſit.395.6.
Viaticum an poſſit conferri ſub ſpecie vini.240.1.
Vindicatio eſſe poteſt in privato, ſed non quoad actum externum.155.4.quid ſit, & quomodo diſtinguatur à Juſtitiâ Vindicativâ. 340.7.vitia illi oppoſita.341.8.
Virtutes quinque annexæ Juſtitiæ, ut hæc habet debitum rigoroſum. 224.1. Retribuentes quomodo diſtinguatur ab aliis.337.1. quæ ſint. 338. 3. diviſivæ Temperantiæ quomodò diſtinguantur. 398.2.
Voluntaria ſuſceptio gratiæ eſt actus charitatis. 76.2.
Votum quid ſit. 247. 2. an ſub voto cadere poſſit matrimonium.248.2. obligat ſub mortali facere ſaltèm, quod poſſum.249.3.qui vovit virginitatem, ſi amiſit illam, adhùc obligatur, ad quod poteſt. ib. duplex.250.5.Violatio ſolemnis etiam explicanda ſpecialitèr in confeſſione. 251.6.quis poſſit vovere.ib.7.poteſt irritari, diſpenſari, & commurari;quomodo hæc diſtinguantur.253. 7. in dubio,

bio, an adsit causa, quid faciendum. 257.9. *an violatum uno die, reponendum sit in alio.ib.*10.*an ad vota incitare debeat Confessor.* 256. 11. *votum cui sit grave jugum.* 257.11.*an differri possit adimpletio.*258.14.

*Usura quid sit, & quando sit.*204.12.*an sit usura mutuare cum spe.* 205.14.*est peccatum exigere illam, non solvere.* 206.15.

FINIS.

MAG 200 3799

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google